1308 1055

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
Racc.
de Marinis
B
713
NAPOLI

Rec. Dr Illinois B. 713-714

106

ALBERICI GENTILIS

J. C. PROFESSORIS REGII,

OPERA JURIDICA SELECTIORA

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA.

TOMUS PRIMUS.

NEAPOLI

Ex Typographia JOANNIS GRAVIER.

MDCCLXX.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

IOH. DOMINICO-MARIAE. BERIO

SALSAE . MARCHIONI

PATRICIO . GENVENSI

PHILOSOPHO . EXIMIO

MORVM.ELEGANTIA. ET.RECTIS.VITAE. ACTIBVS

IN . EXEMPLVM . PRAECIPVO

ADHAEC . GRAECIS . LATINISQVE . LITTERIS

ERVDITISSIMO

QVOD

SEVERIORES. QVAM. ET . AMOENIORES. MVSAS

AMORE . DILIGAT . LARGITATE . ADLICIAT

HVMANITATE . FOVEAT

IOH. GRAVIERVS

DOMINO.SVO.INDVLGENTISS.ET.MERENTISSIMO

HAEC . AB . SE . RECVSA

ALBERICI . GENTILIS . OPERA

DICAT . CONSECRATQVE

LIBENS . ANIMO

Digitized by Google

ELENCHUS
OPERUM,
QUÆ IN PRIMO VOLUMINE REPERIUNTUR.

DE Jure belli.

LIBRI TRES.

DE Armis Romanis:

LIBRI DUO.

Digitized by Google

IN ALBERICI GENTILIS
LIBROS TRES
DE JURE BELLI
INDEX CAPITUM.

CAPUT		PAGINA.
I.	DE jure gentium bellico.	1.
II.	Belli definitio.	10.
III.	Principes bellum gerunt.	12.
IV.	Latrones bellum non gerunt.	19.
V.	Bella juste geruntur.	23.
VI.	Bellum juste geri utrinque.	26.
VII.	De cauſſis bellorum.	29.
VIII.	De cauſſis divinis belli faciendi.	31.
IX.	An bellum juſtum ſit pro religione.	32.
X.	Si Princeps religionem bello apud ſuos juſte tuetur.	36.
XI.	An ſubditi bellent contra Principem ex cauſſa religionis.	42.
XII.	Utrum ſint cauſſæ naturales belli faciendi.	45.
XIII.	De neceſſaria defenſione.	49.
XIV.	De utili defenſione.	51.
XV.	De honeſta defenſione.	57.
XVI.	De ſubditis alienis contra dominum defendendis.	63.
XVII.	Qui bellum neceſſarie inferunt.	68.
XVIII.	Qui utiliter bellum inferunt.	71.
XIX.	De naturalibus cauſſis belli inferendi.	73.
XX.	De humanis cauſſis belli inferendi.	79.
XXI.	De malefactis privatorum.	84.
XXII.	De vetuſtis cauſſis non excitandis.	89.
XXIII.	De regnorum everſionibus.	93.
XXIV.	Si in poſteros movetur bellum.	102.
XXV.	De honeſta cauſſa belli inferendi.	104.

LIBRI II.

Cap.		Pag.
I.	*De bello indicendo.*	111.
II.	*Si quando bellum non indicitur.*	116.
III.	*De dolo & ſtratagematis.*	121.
IV.	*De dolo verborum.*	123.
V.	*De mendaciis.*	127.
VI.	*De veneficiis.*	132.
VII.	*De armis & mentitis armis.*	139.
VIII.	*De Scævola, Judith, ſimilibus.*	143.
IX.	*De Zopiro & aliis tranſfugis.*	149.
X.	*De pactis ducum.*	151.
XI.	*De pactis militum.*	155.
XII.	*De induciis.*	159.
XIII.	*Quando contra inducias fiat.*	163.
XIV.	*De ſalvo conductu.*	166.
XV.	*De permutationibus & liberationib.*	172.
XVI.	*De captivis, & non necandis.*	177.
XVII.	*De his qui ſe hoſti dedunt.*	184.
XVIII.	*In deditos & captos ſæviri.*	197.
XIX.	*De obſidibus.*	206.
XX.	*De ſupplicibus.*	210.
XXI.	*De pueris & feminis.*	215.
XXII.	*De agricolis, mercatoribus, peregrinis, aliis ſimilibus.*	224.
XXIII.	*De vaſtitate & incendiis.*	231.
XXIV.	*De cæſis ſepeliendis.*	238.

LIBRI III.

Cap.		Pag.
I.	*De belli fine & pace.*	247.
II.	*De ultione victoris.*	249.
III.	*De ſumtibus & damnis belli.*	255.
IV.	*Tributis, & agris multari victos.*	259.
V.	*Victoris acquiſitio univerſalis.*	262.
VI.	*Victos ornamentis ſpoliare.*	264.
VII.	*Urbes diripi, dirui.*	268.
VIII.	*De ducibus hoſtium captis.*	275.
IX.	*De ſervis.*	280.
X.	*De ſtatu mutando.*	288.
XI.	*De religionis, aliarumque rerum mutatione.*	291.

XII. Si

XII. *Si utile cum honesto pugnet.* 299.
XIII. *De pace futura constituenda.* 302.
XIV. *De jure conveniendi.* 309.
XV. *De quibus cavetur in fœderibus, & de duello.* 315.
XVI. *De legibus & libertate.* 322.
XVII. *De agris & postliminio.* 326.
XVIII. *De amicitia & societate.* 331.
XIX. *Si fœdus recte contrahitur cum diversæ religionis hominibus.* 339.
XX. *De armis & classibus.* 346.
XXI. *De arcibus & præsidiis.* 349.
XXII. *Si successores fœderatorum tenentur.* 353.
XXIII. *De ratihabitione, privatis piratis, exsulibus, adhærentibus.* 360.
XXIV. *Quando fœdus violetur.* 366.

IN ALBERICI GENTILIS
LIBROS DUOS
DE ARMIS ROMANIS

INDEX CAPITUM.

Caput		Pagina.
I.	*Rerum Romanarum veritatem vitiatam.*	pag. 375.
II.	*De varia Romuli Injuſtitia.*	380.
III.	*De Numa, & reliquis regibus.*	386.
IV.	*De Brutis duobus, & Scævola & aliis ſimilibus.*	388.
V.	*Romani bellis victi.*	391.
VI.	*Fraus Romanorum in fœderibus.*	394.
VII.	*Samnitici belli cauſſa injuſta.*	396.
VIII.	*De bellis Punicis.*	399.
IX.	*De Græcia, & Syria.*	405.
X.	*De Mithridate, & Hannibale.*	409.
XI.	*De Cæſaribus.*	414.
XII.	*De Romanis, & Alexandro.*	416.
XIII.	*Tyrannis Romanorum.*	421.

LIBRI II.

Cap.		Pag.
I.	*Teſtimonia certa Romanæ Juſtitiæ.*	pag. 427.
II.	*Romulus.*	433.
III.	*De Bello Albano, Tullo Rege, & ſequentibus.*	448.
IV.	*Bruti, Scævola, Africanus, alii.*	454.
V.	*Romani bellis invicti.*	463.
VI.	*Juſtitia Romanor. in fœderibus.*	469.
VII.	*Cauſſæ belli Samnitici, & aliorum Italiæ.*	472.
VIII.	*De Bellis Punicis.*	479.
IX.	*De Græcia, & Syria.*	490.
X.	*De Mithridate, & Hannibale.*	497.
XI.	*Reliquum Imperium, & Cæſares.*	509.
XII.	*De Romanis, & Alexandro.*	515.
XIII.	*Fortuna Imperii Romani.*	528.

ILLUSTRISS. V.
ROBERTO DEV.
REUXO.
COMITI
DE ESSEX, ET EV.
VICECOMITI
DE HEREFORD, ET BOURGCHER.
BARONI
DE FERRERS, ET LOVAIN.
EQUITI GARTERIÆ.
MAGISTRO EQUORUM.
PRÆFECTO MACHINAR.
MIL.
ARCHIMARESCHALLO
ANGLIÆ.
REGIO CONSILIARIO, &c.
ARMOR. ET BELLI ARTIB. PRÆSTANTISS.
LITTERIS, ET PACIS ITIDEM ARTIB. ORNATISS.
R. R.
SAPIENTISS.
SUUS REFERT HÆC SUA, ET DD. BM.
ALBERICUS GENTILIS.

AL-

ALBERICI GENTILIS

DE JURE BELLI,

LIB. I.

De Jure Gentium bellico, CAP. I.

AGNAM, atque difficilem rem aggredior, qui de Jure belli ſuſcipio ſcribere, quod latet in receſſibus naturæ, & diſtractum varie, & diſſipatum valde eſt. Neque enim hoc jus eſt libris collectum, & expreſſum Juſtiniani: ad quos adire nos poſſemus facile, aut magiſtri meliores non cum labore multo nos ducerent. Non habent libri illi de hoc jure, non alii ulli, qui extent. Nam Philoſophorum diſputatiunculæ, quas mihi nominare nonnullas aliquis poſſet, eæ generaliter tantum, & quædam ſummatim tradunt, non ad ſpecies deſcendunt, de quibus diſtinctius explicent. [a] Atque M. quidem Tullius, cum pauca admodum hic adnotaſſet; *De bellicis*, inquit, *officiis dictum eſt ſatis*. Scilicet nec moralis, nec politici munus Philoſophi eſſe videtur, exponere jura, quæ cum hoſtibus, quæ cum externis communia nobis ſunt. [b] Sive enim moralis inſtitutionem tradat ſingulorum privatam, ſive quid moliatur aliud ad ſummum bonum adipiſcendum, ſemper continet intra civitatem ſe, omnino intra

a *Cic. 1. De Off.*

b *Picol. intr. ct. Phil. ca. 7. 8. 9. & intr. nat. c. 3.*

fundamenta virtutum, non alte tollit in ædificia. Politici autem non eſt officium de bellico Jure exponere: quoniam non unius
a *Ariſt.* 3. Po. hæc eſt cura reipublicæ, ſed omnium. [a] Et ita Ariſtoteles reiicit a politico partem, quæ eſt de armorum ſtudio, & bellicis exercitationibus. Hæc de bello Philoſophia reipublicæ eſt magnæ, univerſi terrarum orbis, & generis hominum univerſi. Ariſtoteles, & illud ſcribit, non de injuſtitia eorum laborare Politicum, qui ſunt extra Civitatem. Et tractat bellicus de hoc tamen, dum aliorum extra Civitatem docet defenſionem, etiam & ejus injuſtitiæ vindicationem. [b] Plato ſane ait, partem civilis artis eſſe rem militarem, & belli gerendi rationem: atque de illa tractandorum armorum peritia intelligit. [c] Sed & Ariſtoteles idem hoc adfirmat: & veriſſimum nos accipimus. Cæterum, quod dicimus, hoc eſt, non de bellicis legibus expoſuiſſe illos Philoſophos, etiam neque de bellicis exercitationibus, niſi pro civitate quemque ſua. Rem vero militarem, & jura bellica nec concludi intra ambitum civitatum, quinimo ſpectare foras omnino, & ad externos. Juſtinianus quoque noſter, qui leges tulit ſuis pari ratione egreſſus non eſt rempublicam, quam legibus illis voluit adornare. Et quanquam de naturæ, ac Gentium jure diſſeruit, ut Philoſophi quoque fecerunt, & de cauſa bellorum, & de captivis, ac ſervis, aliiſque nonnullis belli rebus: huc tamen ad rempublicam ſuam retulit omnia, & in ejus uſum explicavit: ut qui eſſet captivi ſtatus apud cives, quæ rerum ejus conditio, & id genus alia. Nam quid dicam de his interpretibus juris Juſtinianici: quos hujus juris bellici imperitiſſimos ait merito Joannes Bodinus? [d] Equidem præter Lignani paucula hujus tractatus, & aliorum nonnulla alia ſparſim, legi nihil: & ea non abſque faſtidio legi omnia. Sic ſunt apta minus, minuſque ſplendida: ut præteream illud, eſſe in eorum libris quamplurima non de bello, & de belli jure adverſus hoſtem, ſed de re militari, & legibus cum cive, & milite noſtro. Neque illos propterea accuſo viros doctiſſimos: at hoc magis dico, ullam vix a ſolo jure Juſtinianeo eſſe cognitionem poſſe iſtius juris militaris; quod maximi Juſtinianiſtæ, peritiſſimi omnis Juſtinianici juris penitus ignorarunt. Recentiores non fero interpretes, qui hic veteres condemnarunt, ſe autem magiſtros obtulerunt, quos audiamus. Dico eundem Bodinum, [e] & Petrum Fabrum, clariſſimos Juriſconſultos terræ

b *Plat. Prot.*

c *Ariſt. prin. Eth.*

d *Bod.* 5. *De rep.* 6.

e *Fab.* 2. *ſem.* 3.

Gal-

Galliæ. Sane enim, ſi peccarunt antiquiores interpretes, quod ſolam, ſæpe alienam, civilis juris diſceptationem huc induxerunt: peccarunt & iſti recentiores, qui nudam hiſtoriarum recitationem attulere: de quibus propter varietatem, & contrarietatem exemplorum, item & propter infirmitatem ejus argumenti, quæ plurimum ab exemplo eſſe videtur, non jus aliud facile, non conſtitues ullo modo iſtud, quod naturale, ac certum cenſetur. Exempla, & facta expendenda ſunt ſua lance, & quaſi pondera ſunt ſua trutina conficienda. Veteres auctores legum fortaſſis hoc bellorum, & ejuſcemodi alia gentium in libros ſuos retulerunt: ut Mutius, Pomponius, alii quidam: quorum, quæ ſuperſunt, fragmenta quædam, hujus nobis conjecturæ argumentum non leviſſimum præbent. Illi in rerum geſtarum, & imperii amplitudine verſantes, præter multiplicem aliarum artium, quam ſemper tenuerunt, non ſolum legum cognitionem, clara hic quoque habere omnia potuerunt: quæ nos in tanta rerum tenuitate, & in tam tenui profeſſione litterarum Juſtiniani, vix per nebulam intuemur. [a] Utique libri, qui fuerant de jure fæciali, bellica hæc jura expoſita, & conſtituta habuerunt. Videlicet erant fæciales fœderum, pacis, bellorum, legationum, & reliquorum hujus juris cum exteris curatores. Verum nihil nunc ad nos, niſi deſiderium operum eorum pervenit. [b] Ut enim ſperni cœpta eſt pars iſta juris uſque a fine reipublicæ Romanæ, ideſt, a tempore quo Romani res gerere cum ratione deſierunt, pro libidine agere omnia inceperunt, ita librique juris fæcialis interiere, & memoriæ, & doctores eſſe deſiere. Abit quod non tenetur: & non tenetur, quod in pretio non eſt. Latet itaque jus iſtud. Sed etſi ſit omnino, revocabitur in controverſiam ab aliis, qui, jus non natura, ſed opinione conſtare omne, pertinaciter contendunt, atque adeo contendent adverſus nos, quibus hoc poſitum, & fixum eſt, quæſtiones bellicas jure definiri gentium oportere, quod eſt naturæ. Hos tamen mitto naturæ hoſtes, [c] quos meliorum Philoſophorum diſputationes refutarunt antehac, & habeo pro explorato, jus aliquod naturæ eſſe, quo & argumentum hoc tractetur bellicum. Cæterum manet impeditum, quod quærimus, quodnam iſtud ſit; aut quomodo approbemus, iſtud eſſe, aut illud. Non ſolum ſcilicet docendum cum Platone, ſed propter controverſias evincendum cum Ariſtotile quoque eſt. Atque ſi

a *Cic. 1. De Off.*

b *Varr. 4. De ling. Lat.*

c *Pla. Pol. & 10. de leg. Cicer. 1. De leg. & 2. De Inv.*

adeo latet, non ipſum cernent hebetes: improbi negant tanto facilius, armati hoſtes eo promptius, quod armorum (a ut ille inquiebat,) ſtrepitus, audiri leges, minus permittit: aut quia ſic ſint audaces, ut quicquid id ſit juris, palam vindicare armis & viribus, non erubeſcant. b Antigonus, quum ei libellus de juſtitia a Philoſopho quodam offerretur, ſtolidum illum eſſe hominem dixit, qui ſibi, alienas urbes tum vaſtanti, diſceptationes de juſtitia ſcriberet. c Et Pompejus Magnus Mamertinis, privilegia quædam obtendentibus, *non definetis*, reſpondit, *gladio nobis accinctis laudare leges*? Erit & illa ſubtilior diſputatio, quod qui de jure iſthoc naturali gentium tradere voluerunt, non illi quidem hebetes, aut improbi, at Juriſconſulti noſtri, in diverſas ſæpe, atque contrarias opiniones abierunt. Adi titulum unum, atque alterum, *De adquirendo rerum dominio*, *de adquirenda poſſeſſione*, in quibus de jure gentium traditur plurimum, & notabis diſſenſiones, quas dico. d De fera vulnerata Trebatio aliter, & aliis aliter viſum fuit: nec legislatores conveniunt, quod ego ſcribo in primo libro de armis Romanis. e De re ex aliena materia confecta diſſenſerunt totæ ſcholæ. f Et quæ media ſententia probata legibus eſt, ipſam iniquitatis condemnare non eſt veritus nobilis poſtea Juriſconſultus: qui & alibi clamat, non æquas ſubtilitates veterum auctorum. g Et de pictura, tabulaque, quod erat illis concluſum veteribus idem ridiculum viſum eſt poſtea. Quid de ferruminatis dicam? h & quemadmodum de his diſputationes, atque definitiones, falſo nixæ fundamento, ineptæ hodie appareant. i Si ſupra tuum parietem vicinus ædificaverit, id vicini eſſe, Sabiniani reſponderunt, tuum aſſerebant Proculiani: Num certa nec illa fuit regula, ut ſolo cederet, quod ſolo accederet? Aut non in ſolo factum exiſtimabant Sabiniani, quod in ædificio factum eſſet? k Proculiani quidem contra, & qui ſecuti ſunt, etiam quod in arboribus factum ſit, in ſolo factum exiſtimant. l De latente theſauro iidem Sabiniani contra Brutum, & Manilium expoſuerunt. Et de invento tot ferme extiterunt ſententiæ, quot capita, ut in Diſputatione mea privata de ea re narro. m Impoſſibile, & contra naturam volunt quidam, ut plures eandem rem teneant in ſolidum, & poſſideant: quod facillimum imo ex aliorum opinione videatur. n Quid notem de quæſitis per liberum hominem ſervientem? quid de aliis pluribus?

Quid

a *Val. lib. 5. c. 2. Plu. apoph. reg.*

b *Plut. De vit. Alex.*

c *Plut. Pom.*

d *l. 5. De acq. rer. dom.*

e *l. 7. de adq. rer. dom. l. 3. de uſuc.*

f *Conn. lib. 3. com. ju. c. 3. 5. 6. lib. 20. c. 6.*

g *l. 9. de adq. rer. dom. Inſtit. de rer. di.*

h *Alc. 6. Parerg.*

i *l. 28. de adq. rer. dom.*

k *l. 7. 8. 9. 10. 11. quod vi aut clam.*

l *l. 3. de adq. poſſ.*

m *l. 3. de adq. poſſ.*

n *l. 19. 27. de ad. rer. dom.*

Quid de controverſiis, & dubitationibus interpretum ad hæc, ad alia juris gentium? Omnia jus iſtud incertant, & ferme faciunt, a natura non eſſe, quod contenderunt nonnulli Philoſophi prius. At de hebetioribus primum reſpondeo, & de improbioribus, mox abſolvam de reliquis. [a] Et quod ſpectat ad hebetiores, Caſſiodorus eleganter, nec ineleganter nos hic, laborioſum quidem eſſe, non impoſſibile, juſtitiam ſuadere mortalibus: quam ita cunctorum ſenſibus beneficium divinitatis attribuit, ut & qui neſciunt jura, rationem tamen veritatis agnoſcant, neceſſe eſt enim, ut quod a natura conceditur, ſubmonente iterum eadem ſuaviter audiatur. Aut ſi Platonica hæc non valde probamus, dicet certe Ariſtoteles paria: qui, animos noſtros aptiſſimos doceri, dicit. Et utinam cum rudibus ſolis, non etiam cum improbis agendum eſſet. Quanquam non terrere magis tunc habet improbitas quam ſi jus civile de cædibus, furtis, aliis criminibus, & delictis exponendum eſſet, atque ſicarii, fures, alii criminoſi, oſores legum, & contemptores incurrerent pene innumerabiles. Quod contra jus fiat a multis, non propterea jus non eſt: & non minus eſt lex, quam multi tranſgrediuntur, [b] ut præclare Xenophon ait adverſum concubitus Perſarum inceſtos. De iſtis non magis conſiderandum eſt in jure conſtituendo, quam de feris beſtiis conſideretur. [c] *Iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ a communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt:* ait M. T. Cicero. [d] Vix, vix differunt quidam a beſtiis. [e] Figuram humanam habent, ſed vere ſunt beſtiæ, & in beſtiarum cenſendi numero, ut ita etiam ſapiens quidam Hebræus: *Quid enim interest, utrum ex homine ſe convertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?* itidem M. Cicero ait: Quid hoc facias homine, qui neget, fidem ſervandam, ſuum cuique tribuendum, cætera hujus generis, quæ omnis non effrons audita illico agnoſcit vera, & confitetur? *Qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coneris avertere?* etiam Cicero. Neque enim contra hujuſmodi diſputatio eſt: [f] *Ipſo auditu horreo; & ipſum horrorem puto ſufficere ad refellendum; &, ſi non comprimitur, convincitur tamen audacia*, &c. ait Bernardus. Si quis ſenſum non habet, aut ludit adverſus ſenſum, & nivem neget albam, contendat atram: nos quid faciemus? *Riſi nivem atram*, idem reſponderit Cicero. [g] Provocandum eſt ad ſenſus: [h] judi-

a *Caſſ. 7. var. 26.*

b *Xenoph. 4. Socr.*

c *Cic. 3. De Off.*

d *Ariſt. 3. Po.*

e *R. Moy. Ægy. 1. du. 6. & lib. 3. ca. 9.*

f *Bern. Epiſt. 190.*

g *Cic. ad Q. fr. ep. 12. Riſi l. b. 2.*

h *Ariſt. 1. To.*

judices illos communes, & male illi ſi habent, appellabitur in tempus, quum habebunt bene. Quid facies? Ad mentem, quæ bene ſit, provocatur. [a] Etiam quæ certiſſimis demonſtrationibus oſtenduntur, ſi negentur, quid facies? Epicurus ſolem palmo majorem negat. Id genus alia dicunt. Nihili iſti ſunt. Illæ diſſenſiones doctiſſimorum noſtrorum turbant magis, verum & ipſi fuerunt homines, nati errare, ac diſſentire. Et quanquam jus gentium particula eſt divini juris, quam Deus nobis poſt peccatum reliquam fecit; eam tamen lucem conſpicimus inter tenebras multas; & errore itaque, prava conſuetudine, pertinacia, alio affectu tenebrarum ſæpe non valemus agnoſcere. [b] ut viri explicarunt ſapientes: & nos diſſentiendi ſtudium Procuſianorum, & Sabinianorum cognovimus. Sed non propterea quod latet in profundo, veritas nulla eſt: aut quæſita diligenter, & fideliter, non educi poteſt, & non educta ſæpiſſime eſt. Nobis præbent multum luminis definitiones, quas unanimiter tradunt ad jus hoc, quod quærimus, gentium, auctores illi legum noſtrarum, & conditores. [c] Ajunt autem, jus eſſe gentium, quo gentes humanæ utuntur: quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud omnes peræque cuſtoditur. Hoc jus naturæ eſt. [d] *In re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt*. Atque iſta non ſic ſunt capienda, quaſi convenerint unquam gentes omnes, & jus iſtud ſic conſtituerint. Non, ſic dicunt. [e] Non neceſſe eſt, ſic capere verbum, *omnes*, ut de omnium uſu, quum dicitur, etiam de omnibus omnino gentibus intelligatur, quæ numero innumeræ, regionibus immenſum disjunctæ, moribus prorſum diſcrepantes, linguis variis manerent incognitæ: Non te decipiat juriſconſultus magnus Hugo Donellus: [f] qui definitiones ſic accipit: & propterea improbat quoque. Sed quod ſucceſſive placere omnibus viſum eſt, id totius orbis decretum, & concilium fuiſſe exiſtimetur, [g] ut ita in propoſito ſuo Ambroſius aliquando, & Hieronymus docuerunt. Et vero jus non ſcriptum, ut hoc eſt, item ut conſuetudo, aliter non inducitur. Iſthæc autem adprobatio nec cognoſci non poteſt: [h] quemadmodum quod omnium gentium, generumque hominibus videretur. Deum eſſe. Potuerunt noſtri Juriſconſulti de omnibus gentibus dicere: [i] eum Romanorum, Alexandri, & Parthorum imperia detegere de his potuerint, & detexerint. [k] Scribit Herodotus, incognita omnia in Septentrionem ultra Danubium. Sed non ita poſt Herodotum

fuit

a *Cl. Alex. Str. 7.*

b *Aqui. 1. 2. q. 34. a. 2. Val. diſp. 7. ge. q. 4. pu. 2.*

c *l. 1. §. de juſtit. & jur. Inſt. de jur. nat.*

d *Cic. 1. Tuſc.*

e *Bal. l. 1. C. de teſtam.*

f *Don. 1. com. ju. 6.*

g *A. ad Epb. 4. H. Tit.*

h *Cic. 1. De nat. Deo.*

i *Stra. lib. 11. Polyb. 3.*

k *Herod. lib. 5.*

fuit. [a] Nam & Rhenum, & Danubium Romani pontibus impositis transiere: non modo Euphratem, & Tigrim, inter Rhenum, Albimque omnia duce Germanico debellarunt, ultra Danubium provincias magnas Trajano Imperatore confecerunt, & in Asiaticam Septentrionis plagam multo longius Pompei auspiciis penetraverunt. Mesopotamia, & cuncta intra Phasim, atque Euphratem facta sub Romano populo. Sub Alexandro perventum ad ultimos Indiæ fines [b]. Et ab Indis legationes venere Romam [c]. Septimius Flaccus cum Garamantibus, cum Æthiopibus fuit item & Julius Maternus. Et Garamantum legati non semel in Urbe visi fuerunt. [d] Subegit eos Balbus Cornelius, & ultra Atlantem Suetonius Paulinus tulit arma Romana. [e] Subacti Nabathæi, intrata Arabia Felix, & cognomina illinc Imperatoribus reportata. Sed ad Occidentem quicquid erat, illud Romanæ potentiæ patebat totum. Istorum igitur populorum omnium qui mores fuerint, quæ instituta, incognitum esse non potuit. Sed nec aliorum plurium ignota esse instituta potuerunt: de quibus Historici tradiderunt. Herodotus, Ctesias, Strabo, Diodorus, Solinus, Mela, Tacitus, Plinius, alii: & ad quos per commercia sæpius itum est. [f] Mercatores circa sua occupati commercia, negligentes sunt illi quidem veritatis, & ex inani ambitione dicere multa solent, ut ait Ptolomæus. Sed & vera habita ab ipsis sunt multa, & hæc gentium juris non sane neglexerint, quæ valde ad ipsos spectaverint, & ad commercia ipsorum. [g] Sunt scilicet juris gentium commercia. Et sic itaque notum de populis omnibus esse potuit, & sic itaque definiri jus gentium, & sic alia multa adfirmari. [h] Et Cajus dicere I. C. *Dominorum potestas juris gentium est, nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse.* [i] Et Plato, *Hujus certe hæc probatio fuerit, quod nemo aliter loquatur: sed nostrum unusquisque a primo ortu ita semper, & ubique de his homines loquentes audiverimus.* Et id genus plurima alii. Potuerunt nostri Jurisconsulti & de omnibus omnino gentibus colligere jus istud, quod si Romani, Græci, Judæi, barbari, omnes denique noti jure aliquo usi sunt, eodem homines omnes usi existimentur [k]. Incognita per cognita cognoscimus [l]. Imo ut rectio civitatis & legis latio est penes civitatis partem majorem: ita orbis rectio est penes congregationem majoris partis orbis. Quod & de

a *Arria. lib.* 5. *Tac. an.* 2.

b *Suet. Aug.* 21. *Oros. lib.* 6. *c.* 21.

c *Ptol. 1. geo.* 8. *Tac. an.* 4.

d *Soli ca.* 37. 42. *Plin. lib.* 5. *c.* 5. *lib.* 6. *c.* 29.

e *App. præf. Str. lib. ult.*

f *Ptol.* 1. *geog.* 11.

g *l.* 5. *de in. & jur.*

h *l.* 1. *de his qui su. su.*

i *Pla.* 8. *De legib.*

k *Herod. li.* 2.

l *l.* 3. *de decr. ab ord. fa. Panor. de conc. Basil.*

& de jure non ſcripto veriſſimum eſt, [a] tenet enim conſuetudo omnes in civitate; & civitatis dicitur conſuetudo totius; etſi non omnes conſenſerint in eam cives: forte & nonnulli eidem contradixerint. At alia definitio juris gentium & elegantior eſt, & id ſignificat, quod tradidit Xenophon, [b] leges eſſe quaſdam non ſcriptas ubivis locorum, non ab hominibus latas, qui in unum convenire omnes non potuerint, nec fuerint unius linguæ omnes, ſed datas a Deo: ut illa in primis apud omnes homines, ut Deum colas: & illa, ut parentes honores. [c] Has leges non ſcriptas, ſed natas: quas non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quas non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Et hæc definitio tamen ſuſtinet quoque quæſtionem, quæ ea ſit, aut quomodo oſtendatur ratio naturalis. Ad quam ſic eſt reſpondendum, rationem naturalem per ſe patere, & ergo, qui ea nituntur, habent ſatis, ſi ſic ajunt, [d] *Ipſa natura manifeſtiſſimum eſt. Palam eſt naturali ratione. Naturalem habet intellectum. Natura docet*, & ſimilia plurima. [e] Et *Natura æquum. Nihil tam conveniens naturali æquitati. Contra naturam eſt. Rerum natura non recipit*, & ſexcenta alia. Et Ariſtoteles, [f] *Omnes homines natura ſcire deſiderant, omnes appetere bonum videntur*, &c. Nota hæc ſunt. [g] quæ ſi probare tentes, obſcures. [h] certe demonſtres fruſtra, demonſtrata quæ ſunt. [i] Sic de notoriis tradunt interpretes juris omnes, ea allegare quidem oportere, ſed probare non oportere. Satis probatum eſt, jus eſſe naturale, quod ſi quid facias adverſus illud, tu vel pudore correptus factum ſuppreſſum velis: aut ſi eo proceſſeris impudentiæ, ut fatearis, defendaſque, ſentias tamen idem, quod traditur de his ſententiis, quæ axiomata nominantur, defendi factum non poſſe. [k] *Hoc eſt maximum naturæ meritum, ut virtus in omnium animos lumen ſuum immittat*. [l] Interiore neſcio qua conſcientia (inquit Auguſtinus) iſthæc ſentimus. [m] *Quod vere malum eſt*, (inquit Tertullianus) *ne ipſi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent, omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit*. [n] Et non juſtitia ſola, ſed & pudor miſſus dicitur de cælo, qui homines regeret, & in officio contineret. [o] *Quod licet poſſent negare, non poſſent tamen non erubeſcere*: ſic Ambroſius. [p] Sic Juriſconſulti ajunt, nec juſtum intelligi, quod non eleganter, quod non ſine pudore, non ſecundum pudorem, non ex verecundia deſideratur. Ita jus defenditur gentium. Sed illud

a *l. 32. ſeqq. de legi.*
b *Xenoph. 4. Socr.*
c *Cic. pro Milon.*
d *l. 75. de V. O. l. 1. de obli. l. 5. de ſer. ex. l. 220. de V. S.*
e *l. 1. de prec. l. 9. de ad re. do. l. 3. l. 23. de ad. poſſ.*
f *Ariſt. prin. Metaph. & Etb.*
g *Ariſt. 3. rb. Card. 1. de ſap.*
h *l. 1. de do. rel.*
i *l. 31. de jur. Cle. 5. de app.*
k *Sene. de benef.*
l *Aug. de util. cred.*
m *Tert. Apol.*
n *Pla. Prota.*
o *Amb. 3. de off. 14.*
p *l. 3. 29. de uſur. l. 15. de cond. in f. 8. qui mo. pi. ſo. l. 14. de nup.*

lud probabunt etiam ſententiæ magnorum auctorum ſæpe, quæ in tractatu noſtro tenebunt locum, ut in aliis artibus, & diſciplinis omnibus tenent. Scilicet ſic Philoſophi, ſic ſapientes loqui ſecundum naturam conſuevere. Et ſic exempla eorum huc venient, qui probi, & probati habentur: nam & iſti egiſſe ſecundum naturam videntur. [a] Quanquam enim nec ſit exemplis judicandum; & aurea ea dicitur Juſtiniani lex, ab exemplis tamen duci probabilem conjecturam, certum eſt, [b] & indubio judicandum immo eſt exemplis: & cum itum in conſuetudinem eſt. Neque enim mutare decet, quæ certam obſervantiam ſemper habuerunt, & firmius judicium creditur, quod plurimorum ſententiis confirmatur. Quid de geſtis ſummorum dico, & bonorum virorum? [c] Ea imitanda ſunt ſemper: ſocordiæ enim, & proditionis eſt, nolle eos imitari, qui tanti fuerint: ut idem ſcribit Juſtinianus: [d] *Quod mundus probat, non audeo improbare*: Baldus reſpondit. Etiam argumenta, & rationes facient hic: quemadmodum alibi facere animadvertimus. Quidni? [e] *Ratio & eſt naturæ imitatio*. Et neque ego tibi dico demonſtrationes, quas petes a Mathematico; ſed quales iſta tractatio patitur, ſuaſorias. Quod & Ariſt. ſcribit in principio Ethic. *Sapientis eſt, eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt*. Erunt juris Juſtinianæi civilis nec pauca, quæ aptari valebunt; aut quæ illic adſperſa de hoc jure ſunt bellico gentium. Rectiſſime. [f] nam ratio naturalis ſecundum hominum captum quandoque variat: & multi non tam ratione illa; quam phantaſia aguntur, leges autem latæ a ſapientiſſimis viris, & judicio omnis ſeculi adprobatæ, certe eam rationem tenent, quæ Alciatus ſapientiſſimus. Quæ ſcripta ſunt in libris ſacris Dei, ſummam merito auctoritatem obtinebunt: poſtquam apparuerit, non Hebræis tantum ſcripta eſſe, ſed omnibus hominibus, ubique gentium, & temporibus omnibus: hæc enim eſſe veræ naturæ, id eſt, innocentis, ac juſtæ, certiſſimum eſt. Hæc teſtimonia illico divina ſunt: non egent, ut reliqua, gradibus illis. [g] *Hæc teſtimonia quanto vera, tanto ſimplicia: quanto ſimplicia, tanto vulgaria: quanto vulgaria, tanto communia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto divina*. Age igitur, quando non deeſt, unde confici poſſint definitiones hujus bellici juris, agedum in ipſam tractationem ingrediamur.

a *l.* 13. *C. de ſen. Alc.* 5. *conſ.* 33. & 6. 50. *Decia.* 3. 100.

b *Soc. reg.* 280. *Cepb. conſ.* 25. 96. 120. 307.

c *Alc.* 2. *conſ.* 13. & 9. 44.

d *Juſt. ed.* 13. *Bal.* 4. *conſ.* 496.

e *Sene. ep.* 67.

f *Alc.* 5. *conſ.* 38.

g *Tert. de teſti. ani.*

CAP. II

Belli definitio

BEllum eſt publicorum armorum juſta contentio. Et quidem nihil niſi contenditur in bello: & armorum eſt contentio. Nam animis, non armis gerere bellum, id utique ignaviæ, non belli eſt: [a] ut in Panegyrico quodam bene legimus: & verbis gerere ineptum eſt; [b] ut hoc nomine notat Livius Græcos, & expreſſe Athenienſes: quam civitatem linguatam [c] & Tertullianus appellat, & hiantum, & nugatorum appellitatam, alii narrant. [d] Eſt forte bellum aut a Græco βλάπτειν, a quo & βέλος quod, ut dico, res in bello geritur armis, & telis: [e] vi geritur res, & ferro: ut inquiebat Ennius. Atque multa licet in bellis conficiantur ſine armis, non tamen abſque paratu armorum eſt bellum ullibi: & nihil in bello eſt, quod ſub præſidio armorum non lateat, & ad arma non referatur. Porro autem & publica ſit contentio oportet, neque enim bellum eſt rixa, pugna, inimicitia privatorum. Et publica eſſe arma utrinque debent. [f] Etenim ex eo bellum dictum eſt, quod inter duas partes æquales de victoria contenditur, & duellum a principio propterea nominabatur: [g] *Græcia barbariæ lento colliſa duello.* Et apud Livium de raptis rebus, *puro, pioque duello quærendas cenſeo.* Et perduellum, & duelles, perduelleſque, qui nunc hoſtes nuncupantur. Hoſtis appellatione peregrinus ſignificabatur, qui æquo jure cum Romanis eſſet. Hoſtire ſcilicet eſt æquare. unde redhoſtire, referre gratiam: hoſtimentum, penſatio beneficii: hoſtorium lignum, quo modius æquatur; itaque hoſtis, quo cum geritur bellum, & qui æqualis alteri eſt. [h] Belle Syri, ubi domini verba, *quis rex in bellum proficiſcitur adverſus regem alterum*, ſic transferunt, *adverſus regem ſocium*; & iſtam æqualitatem ſignificant, ut ejus linguæ periti adnotarunt. Et igitur ea, quæ poſt noſtram prodiit, definitio, [i] *bellum eſt vis, & arma in Principem, aut populum alienum*, ex hoc refutatur, quod etiam privatorum, & latronum vim facit bellum. Sed & ex eo inepta eſt, quod de juſtitia nihil notat. Nihil dico otioſa verba. [k] Addo ad noſtra de hoſte, quod & molli iſta appellatione, qua peregrinus ſignificabatur, voluerint veteres *adverſarium* nominare, quemadmodum & apud

a *Naz. ad Conſt.*
b *Liv. lib. 8. 31.*
c *Tert. de ani. Suida.*
d *Conn. 9. com. 5.*
e *Cic. pro Mur.*
f *Varr. 6. de li. Lat. Cic. orat. Priſ. lib. 6. Alc. de ſi. ce. c. 1. l. 234. de V. S. Gloſ.*
g *Hor. ep. ad Loll. Liv. lib. 1.*
h *Luc. 14.*
i *Lipſ. Polit.*
k *Ambr. 1. de off. 29.*

apud Hebræos *alienigenæ* dicebantur, qui hoſtes erant. [a] Et quidem etiam apud Græcos alicubi ita hoſtes nominabantur. Et in concertationibus fori civilibus ſic induxerunt mite verbum conditores duodecim Tabularum: SEI. VECINEI. ENTER. SE JORGASINT, &c. [b] quod laudavit Cic. in libris de Republica, & de Officiis. *Admiror*, inquit, *nec rerum ſolum, ſed verborum etiam elegantiam*, SI JURGANT, inquit, *benevolorum concertatio, non lis, ſed jurgium dicitur, & jurgare lex putat inter ſe vicinos, non litigare*. De quibus notamus & nos judicia ſummorum virorum: ne ſævi nimis, aſperique ſimus in hoſtem, vicinum præſertim. nam, ut audiamus, hoſtis appellatio refertur per eos ad humanitatem: & lenitate verbi triſtitia rei mitigatur. [c] Et res enim nominibus eſſe conſonantes decet [d]. Sic dominum patrem familias; ſic ſervos familiares appellaverunt. De quibus jam ſatis, forte an & ſuper. Dixi contentionem juſtam. Etenim bellum eſſe juſtum; & belli actiones juſtas omnes eſſe volo: [e] & ſic juſtum, piumque audio bellum: & arma juſta piaque. Et itaque diſputationes omnes noſtræ de hoc erunt. At volumus hic etiam excurſiones, & prædationes excludere: quæ juſtum, id eſt, & plenum armorum apparatum non habent: & bellum haud recte dicentur. [f] Sic juſtum, non ſolum quod a jure eſt, ſed & quod eſt ex omni parte perfectum, ſignificat. [g] Ut ſic Seneca, *mare intumuit, juſtis quoque navigiis horrendum*. Sed & ſic alii: [h] & Modeſtinus I. C *teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia*: quod de plena, & perfecta diſpoſitione rerum, quæ teſtatoris ſunt, omnium, rectiſſime interpretantur doctores. Ut ſint videlicet codicilli, & omnes ultimæ voluntates juſtæ; hoc eſt, jure comprobatæ: non tamen alia, præter teſtamentum, juſta, hoc eſt, plena, & de bonis omnibus voluntas eſt, & ſollemnis. [i] Ita, quod nos volumus, Tacitus de bellico inſtruſtu, *latius, ac diutius, quam per latrocinia vaſtaverat*. [k] & Livius, *populabundi magis, quam juſto more belli*. Item; *Irritatio animorum ex populatione agrorum*, &c. *poſtea juſtum bellum indicendo*, &c. Item, *poſtquam apertæ inſidiæ*, &c. *tum juſto, & recto prælio*, &c. Item, *latrociniis magis, quam juſto bello*. [l] & Salluſtius, *latrocinio magis, quam prælio*. [m] Et Scipio itaque latrones, latronumque duces dicebat, qui non juſta acie, ſed populationibus & excurſionibus rem agerent: & alibi apud Livium, *ab Liguribus latronibus ve-*

a *Herod. Cal.*

b *Non differ. & Cic. 1. De Off.*

c *Inſt. de do.*
d *Macr. 1. ſat. 11.*

e *Liv. lib. 30. 45.*

f *Alc. 4. Para. 7.*
g *Sen. 7. Contr. 1.*
h *l. 1. qui teſt fac. poſſ. ubi Bar. Bal.*

i *Tac. An. 15.*

k *Liv. 1. 29. 31. 35.*

l *Sall. Jug.*
m *Liv. lib. 28. 40. 41. Flo. 2.*

rius, quam hoſtibus juſtis. Videlicet quia domi inopes incurſarent aliena propter domeſticam inopiam, & invenirentur difficilius, quam vincerentur. Et forte nec latis ſervantes juris eſſent bellici: qui captivos aliquando interfecerint, & lacerarint fœde; quod ad aliud juſtum magis ſpectat. [a] Etiam Thucydides ſcribit: *Miſſis triginta navibus, rupta aperte fœdera, nam ad eam diem latrocinia potius agitata*. [b] Et P. Jovius de induciis inter Hungaros, & Turcas: *Ex inveterata conſuetudine in finibus minuta prælia, & extraordinarias incurſiones admittebant, niſi juſtis copiis cum juſto tormentorum muralium apparatu vis inferretur*. De quo & dicendum eſt libro tertio, quemadmodum contra pacem, aut fœdus non fiat, ſi juſta hæc vis non intercedat armorum, quæ magna eſt; [c] ut juſta chiragra eſt magna Horatio in Satyris. [d] Dio de Parthis: *Extra ſuos fines pugnis aliquando, & excurſionibus repentinis nonnihil egerunt; tamen juſtum bellum gerere, niſi domi ſuæ non valent*. Ecce juſtum hic bellum. [e] Sic juſtus exercitus; Sic juſtus miles. [f] *Neque ad exemplum juſti militis quicquam eis præter libertatem deeſſe*. Sic juſtus dux: *Proſperis aliquot populationibus juſti ducis ſpeciem nactus*. Sic juſta, & recta pugna, [g] quæ acies legitimaque furtis opponitur, & latrociniis: [h] & ſic juſta victoria de ampla, ac plena. Nos vero jam pro officio Juriſconſulti noſtro hæc plenius declaremus.

a *Thuc. lib. 6.*
b *Jov. lib. 36.*
c *Scip. 1. par. 4.*
d *Dio. lib. 40.*
e *Vell. lib. 2. 2. Liv. 25.*
f *Liv. 22. 24. 25.*
g *Caſa. Suet. 2. 3.*
h *Cic. 2. fam. 10.*

CAP. III.

Principes bellum gerunt.

[i] *Hoſtes hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus; cæteri latrones, aut prædones*: inquit Pomponius, & totidem verbis Ulpianus: *Hoſtes ſunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano: cæteri latrunculi, vel prædones appellantur*. Publica ergo eſſe arma utrinque oportet, & utrinque eſſe Principes, qui bellum gerant. [k] Quod & Auguſtino, & reliquis viſum Theologis; & ratio oſtendit; quia [l] ex neceſſitate bellum introductum eſt: quæ eſt, quoniam inter ſummos Principes, populoſve liberos fori diſceptationes eſſe nequeunt, niſi inter volentes, qui judicem ſcilicet non ha-

i *l. 118. de V. S. l. 24. de capt.*
k *Aug. 22. 10. Fau. 71.*
l *Inſt. de jur. nat.*

habent, & ſuperiorem. [a] & ſic ſummi ſunt, & publicorum appellationem merentur ſoli: reliqui autem inferiores omnes loco privatorum cenſentur. Non eſt Principi in terris judex, aut ille Princeps non eſt, ſupra quem capit alius locum primum. Et vero ſic ſe ferunt Principes. [b] & optimus ſic dicebat Imperator M. Aurelius. Neceſſarium itaque judicium armorum inter hos fuerit. [c] Bellum (inquit Demoſthenes) contra hos eſt, qui legibus nequeunt coerceri: judicia autem in cives redduntur. Neque eam tamen hic intelligo neceſſitatem, quæ ſæpiſſime non neceſſitas eſſe non poſſit. [d] Nam ut duo ſunt genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim: ita ad hoc confugiendum non eſt, ſi uti ſuperiore licebit. [e] Hæc eſt neceſſitas, quæ bellum juſtificat, quum ad bellum extremo loco confugitur, ait Baldus. [f] Et hoc eſt, quod Romani provocare ſolebant, ut verbis & judicio controverſiæ finirentur, non ad arma iretur. [g] Sic Ardeates & Aricini: ſic Neapolitani, & Nolani ad judicium populi Romani adeunt, afferunt controverſias. [h] Sic Samnites provocant in diſceptationem Romanos coram communibus amicis. [i] Et Archidamus dicebat, non legitimum eſſe, armis ire adverſum eos, qui offerunt ſe judicio. [k] Et Cyrus, (qui eſt Xenophonti, Philoſopho ſummo, & ſummo Imperatori, optimi exemplar effictum Principis) regem Indorum judicem fert ſibi, Aſſyrioque. [l] Et alii, barbarique; (ſic notum hoc jus eſt, & iſta non neceſſitas nota) judicem controverſiarum, & bellorum Adrianum, Antoninum, Imperatores Romanos ſumſere. [m] Et Carolus IV. Imperator aditus judex a Franco, & Anglo, regibus. Et Henricus II. Angliæ Rex a regibus aditus Caſtellæ, & Navarræ. [n] Et altero ſeculo Aragonii reges Neapolis de regno illo, in controverſia cum Gallo rege, referre in arbitrium Pontificis Romani voluerunt, [o] Et Helvetii ſic convenerunt cum Gallo, ut ab hoc pars illa Burgundiæ reſtitueretur Carolo Imperatori, quam Juriſconſulti conſtituiſſent. [p] Et de regno Navarræ inter duos hos principes itidem convenit, ut ejecto illud regi reſtitueretur, ſi judicibus ex æquo, & jure videretur. [q] Et inter Ferdinandum Regem Neapolis; & Princeipem Tarentinum ſimiliter appellati noſtri: quorum arbitrio ſapientum ſcriberetur inſtrumentum pacis. At cur memoro adeo multa? [r] Aut quis multo plurima non novit facta ejuſmodi per omne ævum? Scilicet

a *l. 16. de V. S. Bal. 4. conſ. 32. Ariſt. 4. Pol. 4.*
b *Xiphil.*
c *Dem. de Cherſ.*
d *Cic. 1. De Off.*
e *Bal. 5. conſ. 419.*
f *Dionyſ. ecl. de lega.*
g *Liv. 3. Dionyſ. vl. Cic. 1. de Off.*
h *Liv. lib. 8.*
i *Thuc. lib. 1.*
k *Xen. Cyrop. 2.*
l *Zon. Dio. frag.*
m *Polyd. Ang. 13. 20.*
n *Jov. lib. 1.*
o *Jov. lib. 8.*
p *Jov. lib. 18.*
q *Com. Pii 2. lib. 10.*
r *Herò. lib. 5. Sigon. de reb. Ital. 14.*

licet ut intelligant, qui defugiunt genus hoc decertandi per diſceptationem, & ad alterum, quod eſt per vim, currunt illico, eos a juſtitia, ab humanitate, a probis exemplis refugere: & ruere in arma volentes, qui ſubire judicium nullius velint. Nam cur privatorum cauſſæ, majores ſæpe his publicis [a] obſcuriores certe plurimum, tenentur judiciis, Principum non tenentur? [b] Melius, & civilius eſt, (ait lex,) non manu cogere. Judices eligi peritiores, incorruptiores in cauſſis Principum poſſunt: quæ teſte quaſi, ac ſpectatore orbe terrarum & audiantur, & definiantur. *Arma amens capio, nec ſat rationis in armis.* [c] Cur Philippus Hiſpaniarum rex de jure ſuo in regnum Luſitaniæ noluit judicio cum eorum ullo contendere, qui ſibi in regnum illud contendebant jus eſſe potius? Nihil dico, cur Pontificem Romanum noluerit judicem: nam ille ſuo ſe ferre jure judicem videbatur. Et itaque (quod hiſtoria notat) Philippus noluerit additum antiquis exemplum, quo arbiter regnorum Papa adfirmaretur. Ego de arbitris loquor, quos accipiant ipſi Principes ſponte. Et ridicula eſt diſceptatio in illa hiſtoria, de Juriſconſultis non adeundis in hujuſmodi Principum quæſtionibus; quia jure gentium iſtæ, non ſubtilitatibus, & fictionibus juris Juſtinianæi civilis, regendæ ſint. Hoc ſit jus nuper ab Imperatoribus conditum litibus privatorum. Periti antiquitatum viri, qui ſupra vulgum ſunt ſegulejorum, ita cenſuerint, in ea quæſtione ſucceſſionis regni Luſitanici, quod de repræſentatione parentum dicebatur, aut pro Farneſio, aut pro aliis còntra Philippum, id eſſet ab inventis Juſtiniani: atque adeo non poſſet has hodie finire controverſias. cum eaſdem finire antea non potuiſſet, quando nec erat. Vt ſic in hiſtoria diſputant Philippici. Cæterum ridicule: ut modo dixi. [d] Et magnus Imperator Fridericus non in cauſſis privatis modo, ſed & in publicis juris regni uſus conſiliis, & ſententias ſecutus illorum noſtrorum eſt, Bulgari, Martini, Jacobi, Hugonis, aliorum Juriſconſultorum. Scilicet Juriſconſulti nec concluduntur libris Juſtiniani; ut nec libris Galeni Medici, nec libris Ariſtotelis Philoſophi, nec aliis ullis alii, ſacros ſi excipis, ad quos Theologi concluduntur. atque eſt privata ratio, quia voluntas Dei ab his quæritur, quam niſi ab ore Dei non quærimus. [e] Jus etiam, illis perſcriptum libris Juſtiniani, non civitatis eſt tantum, ſed & gentium, & naturæ; & aptatum ſic eſt ad naturam Univerſum,

ut

a *Cic. Topic.*
b *l. 1. ſive. no. nu.*
c *Conneſt. 3. Luſat.*
d *Sigo. 12. de reg. Ital.*
e *Inſt. de jur. nat. Don. 1. comm. ju.*

ut imperio extincto, & ipſum jus diu ſepultum ſurrexerit tamen, & in omnes ſe effuderit gentes humanas: Ergo & Principibus ſtat: etſi eſt privatis conditum a Juſtiniano. Et ſtat ſane, nec auditum mihi eſt, lectumve umquam, quod egregii illi ſupra vulgum poſiti tradunt. Forte an deſiit eſſe gentium, & naturæ jus, quia expoſitum eſt civitati? [a] Sed ut quod civile eſt, non idem continuo eſt gentium: quod tamen gentium eſt, idem & civile eſſe debet. [b] Eſt quidem jus civile, quod non ſervit naturali, & gentium juri per omnia: at neque in totum a naturali recedit, vel gentium. Et cur non ſerviat per omnia, aut ratio communis omnium civitatum facit, aut ſingularis aliquarum. [c] Ut quod civilia jura non omne agnoſcant pactum ad actionem, cum gentium jus differentiam pactorum nullam conſtituat, id fit ne perpetui ſtrepitus fori quietem civitatis turbarent; qua mihi de re explicatum in primo libro eſt Diſputationum de nuptiis. [d] ſuaſit ratio ſervandarum familiarum civitatibus multis, potiores fœminis haberi mares: Suaſit ratio onerum & militiæ, & domi: ſuaſit alia ratio civitatibus aliis: & itaque jus civile cognatos non curabat Romæ, non filias ipſas: quod maximum alioqui vitium contra naturalem creditur æquitatem. Et quamplurima ejuſmodi ſunt. Cæterum ſi quid ejuſmodi proprium civitatis non oſtenditur, illud de his tollere publicarum rerum diſceptationibus pluſquam ridiculum fuerit, pluſquam ineptum. Quid? Non apta Principibus illa librorum Juſtiniani, [e] Honeſte vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere, Liberos tueri, Injuriam propulſare, Cum omnibus hominibus cognationem agnoſcere, Commercia retinere, id genus reliqua, & quæ ex his ſunt, quæque in illis ſunt libris fere totum? Iſthæc juris gentium ſunt, & juris bellici. Quid ajunt, a Juſtiniano inventum jus repræſentationis, & novellum? Quo igitur contenderunt jure, qui avo, nepotes ex primogenito, & prædefuncto, ſuccedere ante patruos ſæpius, perque ſententiam probatiorem volebant? [f] In linea tranſverſa dicent novellum jus. Nec eſt propterea novella æquitas, aut æquitas naturalis non eſt, ut in recta. Etenim edicta Prætorum novella ſunt, & naturam, & æquitatem ejus ſequuntur ſupra leges veteres magis. Leges Juſtinianus ſuas & ſimplicitati aptavit (ut profitetur ſæpe) naturæ: & veteres ad eamdem naturam retraxit devias. Ergo & conſenta-

a *Cic. 3. De Off. Rom. conſ. 523.*
b *l. 6. de juſt. & jur.*
c *Duar. de pact.*
d *l. 2. un co. l. 4. C. de lib. præt.*
e *l. 1. 2. 3. 5. 10. de ju. & jur.*
f *l. 3. C. de ju. & leg. l. 3. C. leg. hæ.*

taneum cum aliarum omnium hereditatum, & ſucceſſionum hoc jus ſit, idem quoque in regnorum hereditatibus obſervari; [a] ut ita Hotomanus, peritiſſimus antiquitatum ſupra Philippicos illos omnes, in alia quæſtione argumentatur, & concludit. [b] Commentitia, ſubtilia Juſtiniani non ſequimur, nec ſi appelletur jus civile. [c] Et Juriſconſulti tamen (ne neſciamus) per hæc norunt æquitatem, quæ quæratur adhuc melius: dum norunt utrumque contrarium: ut ita P. Caſtrenſis ait contra mercatores: qui magiſtros ſe inepte faciunt æquitatis; [d] videlicet jus profitentur, etiam & profeſſi ſunt, qui neſciunt. [e] At contraria abſque contrariis non intelliguntur, Illud probum erat, & oſtenſum jure Juſtiniani, [f] quod iidem dicebant Philippici, & quod ad præſentem articulum ſpectat, non eſſe compromittendum, quod nec dubium eſſet. Et attexebant mox tamen improbe, non eſſe dubiam Philippi cauſſam; pro qua cenſuiſſent doctores omnes. Omnes? Non Cujacius pro Catharina Medici? Non Coimbriani contra Philippum? & (mitto de aliis) non illa tria lumina orbis terræ, Peruſinum, Bononienſe, Patavinum collegia pro Farneſio diſputarunt, reſponderunt? Vulgo reſponſa proſtant. At neque id quærimus in præſentia. Pro Philippo forte eſt, & itidem eſt ad rem præſentem, quod Corcyrenſibus reſponſum [g] accepimus provocantibus ad inermem diſceptationem, occupata dimitti prius oportere; expectat enim judicium de tuto, qui poſſidet. Ipſe rex reſpondebat non longe hinc, nolle ſe ab armis ceſſare: nam tempus interim elaberetur commodum, quod tum in manibus eſſet rebus agendis. Non ſic eſt inter cives; at poſſeſſio omni ſervatur poſſidenti, donec de re vincat alius, & de poſſeſſione. Neque enim verendum eſt, quin faciat conditionem meliorem ſuam a cœpta lite: & quin non poſſit ſemper de poſſeſſione deduci a magiſtratu. Verum hic, qui regnum tenebat Luſitaniæ, Antonius ſi in poſſeſſione, dum civiliter contenderetur, relictus fuiſſet, illinc dejectus poſtea nunquam fuiſſet. Atque ſimillimum eſt, [h] quod tradunt Juriſperiti, non eſſe ſpoliatum reſtituendum ante omnia, ut eſt regula fundatiſſima, tamen ſi facta reſtitutione eſſet, deinde recuperatio difficillima, & ferme impoſſibilis. Etenim ubi eſt damnum irreparabile, non jus ſequimur. Et forte etiam neque componi verbis tum poteſt res, quum nec verbis læſio præit, ut ſic Archidamo reſponſum fuit, armis vin-

di-

a *Hot. ill. q. 2.*

b *Al. 2. conſ. 37.*

c *Caſtr. pr. de juſt.*

d *Cic. orat.*

e *Pla. 7. de legi. Bal. l. 1. de his qui ſu. ſu.*

f *Conneſt. 4. 5.*

g *Thuc. lib. 1.*

h *Alc. 5. conſ. 132. 136. & lib. 6. conſ. 7.*

dicandos, qui læſi verbis non eſſent. [a] At hic tamen verius contra eſt; facta deleri verbis poſſunt: falſaque, & deteſtabilis prior opinio, & vulgi eſt. Et ea quoque nec reſpondet quæſtioni noſtræ reſponſio. De ratione diſceptandi quærimus nos, non de vindicandi, & puniendi. Diſceptationem abſque vi deſideramus: ubi juſtam ferant aditi arbitri ſententiam: & indamnent, quod juris eſſe cenſuerint. Quum in nos, vel in noſtros armis agitur, diſputationi locus judiciali non fuerit. indignum judicium hujuſmodi dicitur apud Thucydidem. Atque ita cauſſæ aliæ eſſe poſſunt, cur neceſſario ad vim & arma deſcendatur: & poſſunt aliæ eſſe, cur deſcendere ad arma minime neceſſe ſit. [b] Sexcentas ait Alciatus, cur venire non oporteat ad duellum & quaſdam etiam exprimit. Quæ cauſſa legem illam per Italiæ municipia, ut controverſiæ, quæ inter neceſſarios oriuntur, ad arbitros deferantur, effugiunt, ea facient & hic ſæpe, ut ad arbitros non eatur. Et hic potens illa eſt, quod caveri ſatis non poſſit de ſententiarum executione. Quis alterutrum coget noſtrum, qui conventis ſtare noluerit? Dicebat Auguſtus Antonio. Et hæc tamen cauſſa non potens eſt ſola, ut intelliges de his, quæ in tertio libro ſcribam de pace futura conſtituenda. Itaque concludo, quod ſi neceſſitas non ſubſit, bellum eſſe juſtum nec poſſit: [c] nam ex neceſſitate inductum dicitur. [d] Voluntario compromiſſo antea eſt diſceptandum & ratione naturali, arbitra illa (ut [e] inquit Seneca) bonorum, atque malorum: etiam & aliis rationibus, quæ antea notatæ ſunt. Aut qui in judicium refugit, de juſtitia diffidit. Privati porro homines, & populi ſubditi, & Principes inferiores non eam habent neceſſitatem unquam decurrendi ad judicium Martis: qui jus ſuum in judicio apud ſuperiorem perſequi poſſunt. [f] In his etiam contra fundatiſſimam illam regulam ſic tenent quidam, reſtituendum ſpoliatum, vel ſi difficillima ſit futura poſtea recuperatio poſſeſſionis. [g] Et neque auctoritas privatorum hæc eſt, ut concire multitudinem valeant. [h] *Si quis privatim ſine publico ſcitu pacem, bellumve fecerit, capital eſto*: Lex Platonis. [i] Ejuſdem ſcilicet poteſtatis eſt ſuperioris, bellum facere, & pacem. [k] Et lex itaque Julia eum majeſtatis tenet, qui injuſſu Principis bellum geſſerit. [l] Et dedere eumdem his, qui petiti bello eſſent, oportere, Romani exiſtimabant. Et

a *Caſ. 6. de ſi ce. 5. Ariſt. 2. Rh.*

b *Al. deſi. ce. 6. 28. & præced.*

c *Inſt. de jur. nat.*
d *Bald. proœ. Cod.*
e *Sen. ep. 67.*

f *Covar.*

g *Aug. Joſ. q. 10. Aqu. 2. 2. q. 40. a. 1. & c. 4. 23. q. 1.*
h *Plat. ult. de legi.*
i *Dec. 3. conſ. 20.*
k *l. 3. ad l. Jul. mai.*
l *App. etiam de*

lege Plu. Cat. Cat. mi.

sic sibi dedi Hannibalem petiere. [a] Et sic sibi dedi Samsonem, Philistæi petunt, & sic illum dedunt Judæi. Atque hæc explorata sunt. Quæstio illa est, si Princeps, qui jus gladii habet, & merum, & mixtum imperium, quales sunt Duces Mantuæ, Parmæ, Ferrariæ in Italia, & illi in Germania, Saxo, Brunsvicensis, reliqui Principes, & Civitates liberæ, eo titulo superiorum censeri in proposito hic possint: quoniam feudi, & qua alia ratione superiorem Principem habent. Dico, qua alia ratione, [b] nam Mantua (exempli gratia) non censetur simpliciter subjecta imperio, sed fœderata per fœdus Constantiæ, ut Alciatus scribit. Ut idemque sit de Parma. Ad quam notat ille præterea, quod etsi transierit ad Ecclesiam, manent illic tamen reservata imperio: item & veteres leges. Cæterum ista facti quæstio definienda est ex tenore investiturarum, & instrumento libertatum, sive alio quo jure. [c] De pace Constantiæ, an perpetua, an tribuens civitatibus illis jurisdictionem imperialem, alia controvertunt interpretes. Mihi, quæstiones facti attingere, non libet. [d] Generaliter verum id est, ut potestas feudatariorum de investitura quæratur. [e] Hoc circumscripto, probatur mihi dispositio Alciati adversum reliquos, ut superiores hos quoque censeamus, & posse gerere bella. [f] Quanquam idem Alciatus, ex facto consultus, contrarius sibi respondeat, videri quidem Germaniæ Principes in quasi possessione esse hujus juris faciendi bellum: sed & probari istam oportere quasi possessionem: & lege Germaniæ novissima sublatam: & jure non tribui. At reges creati, etsi subditi sint, reservata Principibus summis omnia obtinent statim: etiam dicente Alciato. [g] & duces (quod alii dicunt) sunt Imperatores in suo ducatu. [h] Non exercent feudatarii jura regalia cum suo superiore: [i] sed fœdusque possunt cum aliis inire tamen. [k] De civitatibus, quæ nec sunt feudum, & sunt omnino liberæ, ut Venetiæ, non dubium, quin idem possint, quod Princeps quilibet supremus: & recepta hæc est nostrorum opinio: & pro certo vera. quicquid ineptiant [l] aliqui in Roma, non attendendo, id de omnibus civitatibus esse, quod de Roma dicitur in jure nostro, si quæ sunt tales, ut Roma fuit. [m] Qui Principes dicuntur, nec exercent in principatu jurisdictionem, hi neque sunt, neque dicuntur proprie Principes. Sic sunt in eadem Ger-

a *Jud.* 15.

b *Alc.* 9. *conf.* 33. 73.

c *Bal.* 5. *conf.* 300. *l.* 1. *C. de ju. au. an.*

d *Dec.* 1. *conf.* 58.

e *Alci. l.* 5. *de just. & jur. c. quod. de off. or.*

f *Al.* 5. *conf.* 132.

g *Cepb. conf.* 539.

h *Cepb.*

i *Bal.* 1. *conf.* 369.

k *Dec. conf.* 125. 534. *Alc.* 1. *conf.* 18. *Cepb.* 58. *Cast. l.* 1. *de just.*

l *Cepb. conf.* 615.

m *Alc.* 3. *conf.* 35.

Germania, qui duces dicuntur vivo patre duce, alio vivo, qui regnat, dum ipſis nihil, niſi nudum manet, & ſine re nomen inane. [a] *Filios principum principes; filios regum reges eſſe, quis ne ſciat?* [b] Eſſe, ego, Bernarde, nelcio; dici, lcio, vacuo nomine.

a *Ber. 3. de adv. ſer. 1.*
b *Serv. ecl. 3. Æn. 6.*

CAP. IV.

Latrones bellum non gerunt.

CUm piratis, & latrunculis bellum non eſt, ut ita Pomponius, & Ulpianus definierunt. Etenim iſti delinquendo non ſe ſubtraxerunt juriſdictioni: [c] Subditus rebellando non ſubtrahit ſe a ſubjectione juris: ait Baldus. [d] & delinquendo nemo fit pretioſior: ait Paullus. Et alia ratione nec jus belli habent: quia jus belli a gentium jure eſt: & tales non fruuntur illo jure, cui hoſtes ſunt. His, qui a communione ſe ſubduxerunt, atque fœdus humani generis (ut loquitur [e] Florus) abruperunt, jus quî manet, [f] quod nihil, niſi communio, & fœdus eſt. [g] Piratæ omnium mortalium hoſtes ſunt communes. Et itaque negat Cicero, poſſe cum iſtis intercedere jura belli. *Si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt: ne ſi juratus quidem id non feceris:* inquit. [h] Et Baldus, non his bellum indici, non teneri nos redire ad eos, qui jus tenendi non habent, & id genus alia. Atque adeo Livius, *latronibus verius, quam hoſtibus juſtis:* [i] & alibi; quod ſumtum ſupplicium de prædonibus fuerit, nec datum eis belli jus fuerit. Quæ & de fugitivis ſcribit Florus. [k] Invitavit Spartacus Craſſum ad fœdera: ſed cum indignitate rejectus. [l] Tacfarinas latro Afer huc, ut Tacitus ſcribit, arrogantiæ venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret. Sed exarduit iſte, & contumeliam factam ſibi a Tacfarinate ſingularem adfirmat, quod prædo ſecum quaſi perduellis ageret, hoſtiſve publicus. [m] Nunquam pactis bellum cum prædonibus compoſitum, neque fœderibus finitum: ſed aut ſuperſtites fuere victores; aut victi neceſſe mori habuerunt. [n] Ergo miror, Hotomanum adfirmare voluiſſe, jus gentium immo & cum fugitivis, & cum prædonibus eſſe. Et prima ejus eſt ratio, quia lex nulla ſit, quæ pactionibus, & conventionibus, cum illis contrahendis inter-

c *Bal. 3. conſ. 96.*
d *l. 63. ad l. Falc.*
e *Flo. lib. 3.*
f *Hot. Inſt. de ju. na.*
g *Plt. lib. 2. c. 46. Cic. rep. 6. pro L. Ma. & 3. de off.*
h *Bal. l. 4. C. de ob. pa. pr. & 2. conſ. 247.*
i *Liv. lib. 34.*
k *App. Mitr. & 1. civ.*
l *Tac. An. 3.*
m *Helio. lib. 1.*
n *Hot. ill. q. 7.*

terdicat. itaque, quæ nominatim vetita non ſunt, permiſſa intelligantur. Et quæ ratio nihil valet. Nam, quod iſti ſunt omnium hoſtes, & prorſum (ut Plautus [a] loquitur) parcunt nemini, jure omnium frui (ut dixi) nequeunt. Non eſt quæſtio, quid cum illis fieri poſſit, etiam & quid fecerint plures, ſed quid neceſſe ſit fieri. Hoc eſt jus, & de jure diſputare, id eſt de vinculo, quo obſtringimur: & hoc vinculo non obſtringimur iſtis. Addit, ex ſententia Triphonini Juriſconſulti perſpicuum eſſe, etiam latrones juris gentium communionem habere, [b] nam ſtatuit ille, ſi a latrone res apud dominum ignorantem deponitur, jure gentium obligationem non contrahi: ſed ſi apud alium, contrahi. De qua ſententia contrarium fuerit definiendum. latro enim ibi non eſt, ubi dominus non eſt, & nec latronem eum nominat abſente domino Juriſconſultus: at inquit, *rem accipiat is, qui dedit, ei reſtituenda ſunt, qui depoſuit*. [c] Scilicet non eſt latro, niſi convictus. ei certe non eſt latro, qui tanquam a non latrone habet. Et hoc eſt, quod in principio ſcripſit Juriſconſultus, ejus ſuæ inſpectionis alteram hanc partem eſſe, quum jus inter eos tantum, inter quos eſt contractum, nullo extrinſecus aſſumto æſtimamus. Quod igitur jure gentium reſtituenda res fuerit depoſita, id fit ut cum deponente, non ut cum latrone. Nam latroni reſtitui negatur: *ſceleſtiſſimo ademta ſunt*: & latro fit aſſumta domini demum perſona. [d] Spoliatus etiam latro reſtituendus ante omnia: ſed quando conſtat eſſe latronem, contra eſt. Affert Hotomanus & quod apud Cæſarem eſt. [e] *Liceretne civibus ad cives legatos mittere, quod etiam fugitivis ab ſaltu Pyrenæo, prædonibuſque licuiſſet?* Sed neque is locus quicquam movet. Neque enim contendit Cæſar, jus in illo facto fuiſſe: ſed potius ad invidiam Pompejanorum ſic dixit, datam & his ſecuritatem legationis, quibus danda non fuerat: & civibus interim non daretur. Etiam illud imperite Hotomanus, jus gentium & cum defectoribus eſſe. [f] Quod namque Paullus dicere videtur, *defectores hoſtes eſſe uſque eo, ut civitatem amittant*, non ipſis conſulit profecto, aut jus novum hoc defert gentium, & neque crimen id facit, aut prena. Unum moneo, ne de aliis defectoribus quiſquam me capiat, quam de his, qui ſub ditione fuerunt. Qui enim ab amicitia, fœdere, comi etiam obſequio deſecerunt, hi jura belli, & alia gentium tenent, teſte omni hiſtoria. Piratis, & prædonibus nulla

a *Char. lib. 2.*

b *l. 31. depo.*

c *Bal. 2. conſ. 364. 410. & 3. conſ. 44. & 4. conſ. 480.*

d *Cepbal. conſ. 685.*

e *Caeſ. 3. civ.*

f *l. 5. de cap. mj.*

nulla manent jura, qui omnia jura violant. Et supradictis rationibus, non quod pluribus Alexander navibus, pirata ille myoparone uno infestaret maria, refutatur [a] quicquid Cicero eas rationes forte non cogitaverit, qui responsum laudare piratæ visus est: [b] & nec Augustinus, qui veraciter & eleganter dictum contestatur. Nisi feceris & Alexandrum ipsum latronem, [c] quem alii quoque ita appellant, & terrarum prædonem, tunc enim vereque arguteque datam a pirata responsionem laudaveris. [d] Et ita fallitur etiam Alciatus, qui idem piratæ dictum aliquando adprobare videtur; & aliquatenus piraticam; ea scilicet ratione quia piratæ a Principibus tolerentur: & fuerint gentes, quæ piraticam publice exercuerunt. [e] *Normanni* (id nunc addam) *vetustissimorum temporum opinione piraticam in laude ponebant*; inquit P. Æmilius. Et Alciatus, quod minus hi peccent qui in mari delinquunt, ubi jus gentium valet, non alia lex: atque eo jure est mare commune. Indigna tanto viro disputatio, [f] ut Plautini ejus ridicula, qui dicebat licitum, auferre pisces in macellum allatos, quoniam essent in mari capti, quod commune esset. [g] Hæc simul atque apprehensa sunt, sine dubio ejus, in cujus potestatem pervenerunt, domini fiunt. [h] *Mare omnibus commune: sed pisces eorum qui emerent*; dixerat Phœnicides. [i] Capta desinunt esse communia, & ipsa aqua maris ad salem conficiendum accepta, accipientis est. Id hic videndum est nobis, ne ex latrone, & latrocinio in ducem, & in bellum evadatur. [k] Quod de Aristonico Justinus; de Viriato Frontinus; de ipso Spartaco, & piratis, & Apulejo quodam proscripto, & de Sex. Pompejo Appianus ait. Quodque fiet non tam justi exercitus auctu, & urbium interceptu ut scriptores isti, [l] & alii historici credere videntur, quam adeptione publicæ causæ. Ita enim Viriatus quum a privato latrocinio ad patriæ causam tuendam se contulisset, dux de latrone factus est, & bellum gessisse dicetur. [m] Et itaque pacem cum eo, & fœdus iniit populus Romanus: & eumdem appellavit amicum. [n] Et ita etiam Arsaces, quum patriæ regnum subducere Macedonibus occœpit, de latrone rex in Persia fuit. Et ita Aristonicus, dum Asiæ regni successionem jure vindicat sanguinis, Imperator fuerit meritò, & bellum habuerit cum Romanis justum. [o] Et ita notatum est, nec voluisse Deum ut Samson absque causa moveretur in Philistæos, at fecisse, ut a pri-

a *Cic. 3. de rep.*
b *Aug. 4. de civ.*
c *Luc. 10. Cu. 8. Sen. 1. de benef.*
d *Al. 1. conf. 11.*
e *P. Æmil. 3. Franc.*
f *Plau. Rud. Prif. lib. 7.*
g *l. 14. de adq. rer. dom.*
h *Ath. 8.*
i *Bal. l. 3. de diu. re.*
k *l. 35. F. 2. c. 5. A. 1. 4. civi.*
l *Herodia. 1.*
m *Ammi. 23.*
n *Jud. 14.*
o *Jud. 14.*

a privatis paullatim ad publicam cauſſam iret. At verò qui cauſſam iſtam non habent, hi neque hoſtes ſunt: etiam ſi exercitus habent; & non improſpere rem gerunt; & milites, Imperatoreſque ſe ferunt; & Imperatores, & legiones adverſas excipiunt.

a *Cic. Phi. 4. 13.* [a] Ille hoſtis eſt, qui habet rempublicam, curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium, & rationem aliquam. ſi res ita tulerit, pacis, & fœderis, ut contra Antonios hæc, veluti contra

b *P. Æmil. 2.* latrones, Cicero differebat veriſſime. [b] Et Carolus Martellus de Saracenis, eos non idcirco minus eſſe prædones, quod ingenti numero vagarentur, ducesque, & caſtra, & ſigna haberent, cum

c *Ceph. conſ. 620.* non haberent, belli cauſſam. [c] *Facit ubique omnia cauſſa.* [d] At-

d *Al. de ſi. ce. 47. Con. reg. peccatum §. 11.* que de illis vagis Saracenis ſic quoque doctores noſtri. Belli morem, non latrociniorum ſequi piratæ poſſunt: ut Paterculus de illis ſcribit, contra quos profectus Pompejus: ſed bellum tamen non gerunt. Non illi piratæ bellum geſſere juſti hoſtes: etſi adverſum eos Pompejus cum poteſtate inſolentiſſima, & cum apparatu pluſquam ſollemni miſſus eſt. Fecit enim iſta periculi magnitudo, & magnitudo eadem fecerit, non Mithridatici modo belli, ſed & hujus piratici, item & Sertoriani triumphis tribus (quod

e *Vopiſ. prob.* alicubi legimus) Pompejum fulgentem. [e] Nam populus Ro-

f *Oroſ. 5. c. 22.* manus neque Spartaci, neque Crixi, ſed neque proſcriptorum civium Sertorii; aut Perpennæ civilia bella unquam vocavit. [f] Et

g *Gell. lib. 5. c. 6. Sig. 2. de ju. pro.* ovationem deferebat, non triumphum his, qui non cum juſtis hoſtibus, ſed cum piratis, & cum ſervis, ſimilibuſve rem peregiſſent: quorum aut hoſtium humile nomen viſum erat. Scilicet

h *Hot. ill. q. 7.* hoſtis nomen notat æqualitatem. [h] Quod etſi, item & belli communicetur aliquando & cum non æqualibus cum piratis, proſcriptis, defectoribus: ut generalia ſunt nomina; & pertinentia ad plures ſpecies: non tamen jus tribui hoſtium, qui proprie dicuntur, item jus bellorum juſtorum valet. Nam quid reſpondeo

i *l. 3. de adq. poſſ. Caſtr. l. 60. loc.* de omnibus, qui nomen ſibi demutant? [i] Nemo ſibi cauſſam poſſeſſionis mutat. [k] Nemo ſic mutat nomen, & cum nomine

k *C. de mu. no.* rem. Sed quid ſentimus nos de his Gallis, qui capti poſtremo bello Luſitanico ab Hiſpanis, & tractati ſunt non quaſi juſti hoſtes? tractati ſunt quaſi piratæ: qui Antonio militarent, pullo jam de

l *Conneſt. lib. 9.* regno univerſo, & in regem agnito ab Hiſpanis unquam. [l] At ipſa hiſtoria vincit; eos non fuiſſe piratas: non dico per argumentum ductum a numero, & qualitate virorum, ac navium, ſed

per

per litteras, quas regis ſui oſtendebant, cui regi ſerviebant, non Antonio, etſi maxime pro Antonio, quod illos non tangebat.

CAP. V.

Bella juſte geruntur.

NUnc de juſtitia quæratur primum, ſi bellum gerere licet. Etenim ſi belluarum, ut inquit Cicero, eſt bellum, [a] atque ita nomen habet a belluis: videri ſane poteſt, bellum homines non decere. [b] Audi Senecam. *Homicidia compeſcimus, & ſingulas cædes: quid bella, & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit; ex S. C. plebiſque ſcitis ſæve exercentur, & publice jubentur, vetita privatim.* [c] *Quæ commiſſa capite luerent, tum, quia paludati fecerunt, laudamus. Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter ſe etiam mutis, & feris pax ſit.* Et magnum hoc eſt argumentum, quod ſi muta animantia, quæ oratione nequeunt de cauſis irarum diſceptare: & quæ propter naturalem feritatem aliena a pace, prona ad prælia ſunt, vivunt in pace tamen: quanto magis hoc agere homines oporteret, ni belluis magis belluæ eſſe velint. [d] Sed & Cyprianus paria Senecæ, *Homicidium quum admittunt ſinguli, crimen eſt. virtus vocatur, quum publice geritur. impunitatem ſceleribus adquirit non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo.* Et ad aliud quidem propoſitum, ſed & ad hoc noſtrum itidem apte, *Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt.* [e] Et Seneca rurſus, *Sacrilegia minuta puniuntur; magna in triumphis feruntur.* [f] Et Tertullianus injuſtitiam propriam bellorum dixit & militiam Chriſtianis interdixit. [g] Et Lactantius aſſeruit, militare non licere juſto. quicquid autem de officiis ad rem militarem pertinentibus diſputetur, id neque ad juſtitiam, neque ad veram virtutem adcommodari, ſed ad vitam hanc, & ad civilem morem: cum id genus aliis. [h] Etiam magni Baſilii canon perhibetur, quo arcentur ſacris per triennium qui hoſtem in bello interfeciſſent. [i] De Gregorio & relatum eſt in Decretum, *Niſi bella iſta carnalia figuram bellorum ſpiritualium gererent, nunquam, opinor, Judaicarum hiſtoriarum libri diſci-*

a *Feſt. Paul.*

b *Sen. ep. 96.*

c *Cujac. criticar. no. 1. & c. 2. de cla. deſp. & Lipſ. 2. mil. Ro. 12.*

d *Cyp. 2. ep. 2.*

e *Sen. ep. 88.*

f *Tert. adu. Judæ & de idol. & de comi.*

g *Lact. 6. n. Inſtit. 6. 18.*

h *Cedr. Nicephb.*

i *c. 1. 23. q. 1.*

ſcipulis Chriſti, qui venit pacem docere, legendi in Eccleſiis fuiſſent ab Apoſtolis traditi, &c. [a] Atque Eraſmum quid dicam? qui per longiſſimam digreſſionem in ſuis Proverbiis injuſtitiam belli exagitat. Alii fortaſſis non omne bellum condemnent, ſed quod non pro fide, aut non pro ſalute ſuſcipitur. [b] Sic enim Cicero, *Nullum bellum ſuſcipi a civitate optima, niſi pro fide, aut pro ſalute*. Item quod ſuſcipitur a non laceſſito. [c] ut ſic Ambroſius tradit, quod David nunquam, niſi laceſſitus, bellum intulit. [d] Et Baldus noſter ſcribit, contra jus naturæ eſſe bellum niſi neceſſitas defenſionis incurrat. [e] *Militaris res, bellua eſt, quum infers bellum, quam tueris fines tuos, hominis*: Scaliger. Et alia afferri huc valent. [f] Cæterum opinio hæc refutata eſt poſt Auguſtinum a Theologis omnibus. Et contra eam ſunt Juriſconſulti noſtri omnes, & omnes omnium temporum Philoſophi. Sane enim ſi magiſtratui datus gladius eſt, quo malum a ſuis prohibeat, cur non prohibeat extrinſecus adveniens, atque quod eſt intrinſecus? Etiam bellum defenſionis illicitum, quod eſt a natura? Sed rationum abunde pro hac parte apud eos, qui patrocinium ejus ſuſceperunt: etiam & in ſequentibus noſtris diſputationibus. Adverſariis autem reſpondemus, & primum Senecæ, Feſto, Paullo, nec eam etymologiam belli veram eſſe; ut nec aliam Grammaticorum per contrarium, veluti *minimè belli*. Et ea licet vera eſſet, non tamen probaret de injuſtitia rei, niſi Latinis. nam Græcis bellum a *multitudine*, aliis linguis ab aliis rationibus eſt dictum. ac Ciceroni, bellum quidem eſſe contra aliquam rationem humanam, qua ad ſocietatem, non ad diſſidia geniti ſumus: ſed non tamen contra humanam rationem omnem, eamque, quæ jubet, diſcedentes ab humana ſocietate, & jura hominum non tuentes ulciſci, atque in ea jura, legeſque & mores cogere. [g] Et hoc in quæſtione noſtra, bella ex jure eſſe, etſi tam multa a bellis ſint mala: quia ſequuntur finaliter bona, reductis rebellibus ad debitum rationis. & quod cujus finis eſt bonus, ipſum quoque bonum, & juſtum eſt. & quod omnia ſuo fine terminantur, &c. [h] Quæ de Ariſtotele ſunt. Finis autem belli pax, ad quam, & ad æquitatem (ſic comparatum [i] dicitur natura) niſi per ſanguinem, & has bellorum injurias veniri non valeat. Sic ſervitus & contra naturam eſt; & tamen ſecundum naturam quoque; quia, qui faciunt contra naturam, hi bono naturæ, libertate frui

a *Era. chil. 4. C. 1. pr.*

b *Aug. de civ. 22.*

c *Amb. 1. de Off. 35.*

d *Bal. 1. conſ. 483.*

e *Scal. 3. poe. 1.*

f *Decr. c. 23. Aqu. 1. 2. q. 107. fi. & 2. 2. q. 20. pr. Caſtal. de imp. q. 108. Bey. admir. c. 3.*

g *Bal. Caſtr. l. 5. de juſt.*

h *Ariſt. 7. Po.*

i *Scander. 6.*

frui non debent. Qua de re plenius in libro tertio. Et hæc ita dixerit ipſe Cicero: & neque ſentit Seneca aliter. De bellis injuſtis ajunt. [a] Nam laudat Herculis bella Seneca, quæ juſta credidit. Tertullianus item intuitus in ea, quæ fieri ſolent in bellis ſæpius, & quæ injuſta ſunt, injuſtitiam propriam bellorum dixit. At nos quærimus, quid fieri in bello debeat, & vero etiam poſſit, & factum ſit, atque fiat a probis ſemper. Quod autem militiam condemnat, id præcipue propter idololatriam facit: [b] quæ tum temporis in Sacramenta, & in Principum imagines impendebatur, ut liquido apud eum videre eſt. Lactantio nunc reſpondemus eodem modo, & Cypriano, & Gregorio, ipſique adeo Eraſmo. Is enim ſic ad Cyprianum adnotat: quemadmodum ſanctus ille vituperaverit bella, quia pleraque eſſent omnia injuſta, immò omnino omnia injuſta eſſent, ut nunc bella geri conſueverunt. Ex iſto præjudicio Eraſmus ipſe ſuas conficit rationes, & declamitat. [c] Itaque puerilem ejus diſputationem dicere poſſit merito Bellarminus. Alii Eraſmum nobis, alii in contraria aſſerunt ſic parte. Forte autem tertia fuerit opinio verior, nec eum ſciſſe, quid cenſeret, pendulus litterator. Etiam videtur mihi, neque alios ſibi conſtitiſſe hic ſemper patres. Audivimus Gregorium. [d] ejus tamen plura ſunt in Decreto, quæ bellum probant. Theophilactus ait, *minus eſſe malum, ut milites belligerentur, quam ſi faciant pejora*. Tertullianus, ad militiam non oportere accedere poſt baptiſmum, cenſet, & id genus alia alii, quæ tollunt omnino bellum: & quæ non ſemper bene diluuntur a recentioribus. Ad Baſilium quid nos dicimus? Num canones ejus viri inficiamur? Aut ſacerdotale aliquid notamus ibi? [e] Clericus enim occidit male ſemper & paganum, & hoſtem. Aut ſequutus Phocylidem eſt canentem, *Etiam ſi hoſtem occideris, manum tuam polluis*. Fugiunt licitum propter vicinitatem illiciti, hic propter ſollemnem illiciti conjunctionem. Sic & jusjurandum, & licita alia. Maneat igitur conſtitutum, bellum geri juſte poſſe etiam vindicativum, & offenſivum. Docebo enim, & in his eſſe defenſionem ſemper, ſi juſta ſunt. [f] Quemadmodum & M. Tullius, *Illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſſa de induſtria inferuntur, ſæpe a metu proficiſcuntur: cum is qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo*. Sic capi Baldus habet: ne reliqua præter neceſ-

a *Sen. 1. de benef.*

b *Suet. Tib. 44. Herod. 4.*

c *Bell. 5. cont. lib. 3. cap. 14. Pam. ad Cy. Dan. ad Bel.*

d *Cap. 17 & ſeqq. 23. q. 8.*

e *c. 5. 36. diſt. 50.*

f *Cic. 1. de Off.*

a *Scal. 3. poe. 2. 12.* sarium defensionis improbet male. Sic Scaliger : [a] qui justa Æneæ molimina censet, per quæ tentabatur tamen alienis potiri, & Latio Deos inferri.

CAP. VI.

Bellum juste geri utrinque.

b *Picc. 6. cipb. 21.* c *Al. 2. para. 22. l. 5. de just.* SEd an potest jure geri bellum ab utraque parte? [b] Notat Piccolomineus doctissimus alicubi quæstionem : sed non definit. [c] Ex nostris Fulgosius, repugnantibus cæteris, justum esse voluit, & Fulgosium sequutus Alciatus est non uno loco, & ego etiam sequor. Sed sic tamen, si probabilis dubitatio intercedit de justitia caussæ. [d] Quod & alii nostri, & Theologi exposuerunt; dicentes, justum esse ex una parte vere, at ex altera, ex utraque per ignorantiam justam. Ut ecce Dei voce juste Judæi bellum contra Chananæos moverunt, & juste Chananæi quoque repellebant Judæos, ignari vocis divinæ, & se defendentes. [e] Et sic sapienter Pius II. ad legatos Hungaros, qui contra Imperatorem loquebantur, arbitrari se, non discedere Regem Hungariæ ab honesto: & nosse itidem, Imperatorem justi amantem; ut ut de regno dissentientes. Nam putare illorum neutrum, caussam se injustam habere. [f] Hæc natura bellorum, ut pars utraque prætendat, se fovere justam caussam. [g] Hoc generaliter in omnibus fere statibus controversiarum fieri valet, ut neutra litigantium pars sit improba. Excipit Aristoteles solum, quum quæritur, *an factum sit*. Et verò in facto proprio nec nostris probari ignorantia solet. Sed in alieno facto est, quod, in aliis est statibus. Huc adigit nos humanæ nostræ conditionis infirmitas: per quam sunt nobis in tenebris omnia : & puriſſimum illud, atque veriſſimum justum ignoratur, quod non ferret duos litigare juste: [h] Cur enim (inquit hic Maximus Tyrius) qui æquabiliter sentiunt, digladiari invicem oporteat; & vere vel injusti pugnant, vel cum justis injusti. Sed eam veritatem nos plerumque ignoramus. Sic ergo sequimur justum hominis. Sic Baldi vitatur argumentum contradicentis, [i] quod bellum cum sit contrariorum, necesse etiam sit, ut altera pars foveat injustitiam. Et ergo sic dicimus, quod si constet absque probabili ulla ratione

d *Conn. reg. peccatum, §. 18. Sot. 5. de just. q. 1. a. 7. vict. relict.*

e *Com. Pii 2. lib. 3.*

f *Alc. 8. conf. 93.*

g *Arist. 3. Rh.*

h *Max. Tyr. 14.*

i *Bald. l. 5. de just.*

ne aliquam partium reluctari, eam certe agere latrocinia, non bella gerere. Et id fatentur merito omnes. Et ab ea justificari magis causſam alterius justæ partis, veriſſimum eſt. [a] *Iniquitas partis adverſæ juſta bella ingerit:* ſcribit Auguſtinus, *& iniquitas aliena faciebat*, (quod de Romanis idem notat) *ut eſſet, cum quibus juſta bella gererentur.* At vero ſi dubium ſit, a qua parte ſtet juſtitia, hanc ſi & utraque quærit pars injuſta eſſe neutra poteſt. [b] Sic ipſe Baldus, juſtum eſſe bellum inter reges, dum hinc inde de ſervanda majeſtate, juſtitiaque contenditur. [c] Juſte, hoc eſt, ex probabili cauſſa, litigantes per fori diſceptationes, ſive rei ſive actores, & victi lite, atque ſententia, non condemnantur injuſtitiæ, & utrinque tamen juratur de calumnia. Cur aliter cenſebitur in hac diſceptatione, & lite armorum? [d] Utique Bartolus, Baldus, alii ab illa inermi contentione ad iſtam armatam, & ad duellum argumentantur. Latet ecce in tenebris aliquid: & nec diſcernitur, Titii an ſit, vel Sempronii: & cum uterque illud ad ſe trahere, alteri conatur quiſque abſtrahere: tu eorum alterum injuſtitiæ condemnabis? [e] Ait Baldus, quod eſt manifeſtiſſimum, neminem debere, jus ſuum indiſcuſſum relinquere: at tentanda eſſe, quæcunque tentari poſſunt. [f] Apte Cicero pro partibus utriſque Julianis, & Pompejanis, *Erat obſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant, quid optimum eſſet: multi, quid ſibi expediret: multi quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret.* Et hæc neque parva eſt obſcuritas, ſi utile cum honeſto pugnet, quid nos ſequi oporteat. [g] Adde his illa Severi contra Albinum, *Cum bellum adverſus Nigrum geſſimus, non ita ſane ſpecioſas inimicitiarum cauſſas habebamus: nam poſitum in medio principatum, atque adhuc in diſceptatione verſantem pari ambitu uterque noſtrum ad ſe trahebat*, &c. Addo illos hic caſus, quum ſociis, amicis, conſanguineis, vicinis, aliis, quibus quis auxilium ferre tenetur: & quum fert tamen provocaverit arma alterius adverſum ſe juſte, adverſum quem tulit ipſe ſua. [h] Sic de Ceritibus Livius, quod miſericordia conſanguinitatis Tarquinienſibus ſe contra Romanos adjunxerint; & ut legatos ipſorum Ceritum facit dicere, non conſilio, ſed vi atque neceſſitate. Et hoc tertium quoddam erit caput, quum ex una parte bellum juſtum eſt; ex altera etiam juſtius quod ſcilicet eſſe poteſt; & nec deſinit unum eſſe juſtum, licet ſit alterum magis juſtum.

a *Aug. de civ. 4. & 19.*

b *Bal. 2. conſ. 358.*

c *Dec. l. 42. de reg. ju. Bal. 5. conſ. 269.*

d *Alc. l. 5. de juſt & 5. conſ. 63.*

e *Bal. 1. conſ. 326.*

f *Cic. pro Marc.*

g *Herodia. 3.*

h *Liv. lib. 9.*

ſtum. [a] Recipiunt enim virtutes magis, & minus, & virtutis medium aliquam habet latitudinem, non in puncto verſatur. Aſpergam, & adnotabo alios deinceps caſus, & cauſas alias. Certiſſima autem mihi hæc videtur juris noſtri ſententia: quod tribuit belli jura utrinque: capta facit utrinque capientium: & utrinque captos ſervos habet. A quo jure dum ſe extricare reliqui contra Fulgoſium connituntur, inſaniunt haud dubie ſuaviter, [b] ut oſtenſum ab Alciato eſt, qui & illam hoſtium æqualitatem huc affert, de qua nos notavimus antea. Quanquam vero contingere aliquando (non continget ſæpius: ut ſtatim audies) poſſit ut injuſtitia non obſcure pateat, ab altera parte: tamen non oportuit mutare definitionem generalem, quo minus utrinque eſſent ſemper belli jura. [c] Neque enim ex his, quæ raro accidunt, jura conſtituuntur, atque aptantur; id eſt, ex his, quæ in ſuo genere raro accidunt: & quæ contra generalem rei naturam in re aliquando contingunt, [d] ut plures noſtri doctores docent: & generalem (ut dico) definitionem imminui nolunt. [e] *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt*, dixerat M. Cato. Non igitur mutandum de hoc jure hoſtium, & belli utrinque æquali, & quidem ſic eſt & in diſceptationibus fori par jus litigantis utriuſque, donec lata pro altero eorum ſententia ſit. Et hic victus, qui injuſte belligeravit, pro ſua injuſtitia pœnas feret a victore graviores. Quod ſi injuſtus vicerit, neque in contentione iſta armata, neque in togata altera ſupereſt remedium homini. Et nec jus deficit tamen, ſed juris executio. [f] *Non jus deficit, ſed probatio*: inquit Paullus. [g] Aut etiam dixeris cum Theologis ac Philoſophis nullum eſſe ſine pœna peccatum, nam & improba actio eſt pœna: *Prima illa & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe*, ut inquit Seneca. Eſt metus pœna, ſcilicet ut idem ait. *Multos fortuna liberat pœna, metus neminem*. Eſt infamia apud alios: eſt conſcientia apud ſe, ut Philoſophi explicarunt: eſt & infernus: de quo & Philoſophi, veritate cogente, & Theologi, veritate docente, tradiderunt.

a *Picc. 9. civ. Phi. 53.*

b *M. d. l. 5. & de V. S. 234.*

c *l. 3. 4. 5. 6. de legi.*

d *Az. l. 56. de re. ju. Weſen. Inſt. de ſitu. Dom. 1. com. 15. Alc. 5. para. 7.*

e *Liv. lib. 34.*

f *l. 30. de te. tu.*

g *Picc. 9. civ. Phil. 53.*

CAP.

CAP. VII.

De cauſſis bellorum.

DE cauſſis bellorum videndum porro eſt. [a] *Una, & ea vetus cauſſa bellandi, profunda libido imperii, & divitiarum*, ut ſcriptum a Salluſtio fuit. [b] Divitis hoc vitium eſt auri: etiam Poeta hic: [c] & alius itidem: & quod auctum ferro nocentius ſic eſt, [d] & Cerealis apud Tacitum, *Aurum, & opes præcipuæ bellorum cauſſæ*. [e] Quæ & Philo, & quis non? Verum juſtitia cauſſarum belli hæc non eſt. Audi Auguſtinum, [f] *inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum eſt?* Barbarus ille barbare, [g] *Id in ſumma fortuna æquius, quod validius: & ſua retinere, privatæ domus; de alienis certare, regiam laudem eſſe*. Et hoc illud eſt, quod contra Alexandrum jactabatur, eum fuiſſe prædonem orbis terrarum, qui iſta tantum libidine imperii quietos populos, & a notitia ſui quoque ſepoſitos ſcrutatus eſt, & bello vexavit. [h] Et Attila, qui cauſſas bellorum nullas ſectabatur, odium meritus omnium merito dicitur: qui omnibus ita ferebat ſe inimicum. Atque de piratis jam audivimus. Ipſi etiam Turcæ bonas quærunt cauſſas, quum cogitant bellum movere, [i] & itaque de Cyprico, quum Venetis eripere illud regnum vellet *Selymus cogitare cœpit, quibus rationibus bellum legitime ſuſcipi videri poſſet: quoniam non eſt Otomanicorum inſtitutum, ut bellum impetu quodam animi gerant*. Ferinum id, nulla accepta injuria ad cædes, & vaſtationes venire. Quod iidem ajunt hiſtorici bene. [k] Piſcibus id convenit, & feris, & avibus volucribus, ſe mutuo ut vorent: quandoquidem carent juſtitia, ut cecinit Heſiodus. Atque inde fieri ſic audimus, ut ſemper principes aliquam probabilem cauſſam ſuſcipiendorum bellorum præ ſe ferant: quamvis ſæpe cauſſa ſubſit nulla. [l] Vides & a Moyſe quæſitas cauſſas: qui tamen habebat ſumme juſtam, juſſum Dei. Ex hoc enim cum facere bellum deberet Emoræo, quem deleret: miſit nuncios tamen, qui hæc dicerent, *Tranſeam per terram tuam: non divertemus in agrum, aut vineam, neque bibemus aquam putei: via recta ibimus uſque dum tranſiverimus terminum tuum*. [m] Etiam Hercules vena-

a *Salluſt. fra. & Catil.*
b *Tibu. 1. ele. 10.*
c *Ovi. 1. Met.*
d *Tac. 4. hiſt*
e *Phi. de vi. Mov. & de decal.*
f *Aug. 4. de civ.*
g *Tac. An. 15.*
h *Jor. de op.*
i *Nat. Co. lib. 21.*
k *Heſio. 1. op.*
l *Nume. 21. Deut. 2. Jud. 11.*
m *Apo. Arg. 1.*

venatur belli occaſionem (ut ait Apollonius) contra Dryopes: qui alioqui improbi homines. Sint igitur cauſsæ belli, & ſint nec leves. [a] Parum namque a nihilo vix diſtat. [b] Et ſic Ariſtoteles non prudenter modo, verum etiam juſte monet, non ſuſcipienda bella ob cauſſam levem. Cur enim non magno morbo magnum medicamentum? Dico iterum de hoc. Etiam & quod cauſsæ dubiæ eſſe non debent, & neque antiquæ? Ut enim hic videatur locus ſuus his eſſe, ubi generaliter notamus de cauſis: tamen ſic placet poſtea explicare; quum in materia bellorum adeo peregrini non erimus, ut in iſto principio ſumus. Etiam nec cadit diſceptatio ad cauſſas divinas, quas ſtatim expono, de levi & de antiquo. Nihil enim leve in divinis eſt, ne iota quidem. Nihil eſt ibi antiquitas, ſed veritas. Etiam in bello defenſionis, quod primum tracto; non ſunt iſtæ diſtinctiones dubii, levis, antiqui. Sed omnium eſt defenſio. Juſtæ ſint cauſsæ: [c] nam cauſsa injuſta nec eſt cauſsa. Et certæ hæc ſunt: in quæſtione illud manet, quæ hæ ſint juſtæ cauſsæ. Vidimus autem de efficiente: de his, qui juſti auctores ſunt bellorum. Quæ ſola juſtitia ſatis aliquando videtur eſſe; [d] puta, ut res ſic bello perditæ, & recuperatæ de manibus hoſtium, non reſtituantur antiquis dominis, ſi res noſtræ ſint, quarum poſtliminium eſt, verum aut publicæ fiant, aut capientium. Sola ſcilicet auctoritas principum hic, non alia juſtitiæ cauſſa attenditur. Quanquam Alciatus iſſimo inter Chriſtianos ad aliarum cauſsarum juſtitiam potiſſime reſpici velit. De hac juſtitia emcientis cauſſæ eſt etiam, quod dicemus circa ſubditos: qui militent juſte principi vel injuſte belligeranti. Videndum poſt efficientem de aliis cauſſis eſt. [e] Tractant aliqui, ſi bona intentio principis adeſſe debeat ad juſtitiam belli, quod eſt theologorum. Nobis videndum de cauſſa formali eſt, & videbimus in ſecundo libro: ubi de omnibus exponitur, quæ in gerendo bello ſunt. Videndum & de finali, quod fiet in libro tertio: ubi jura victoris, & victi, & finis victoriæ, & rationes belli finiendi explicantur. Nunc videndum eſt de materiali: id eſt, de his, quæ materiam belli præbent. Et ſunt iſtæ triplicis ſpeciei aut enim divinæ ſunt, aut naturales, aut aliæ hominum.

a *Arī. 5. Pol.*
b *Ari. 7. Pol.*
c *l. 22. de V. S.*
d *Alc. l. 1. de ad. poſſ.*
e *Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 10.*

CAP.

CAP. VIII.

De cauſſis divinis belli faciendi.

DIvinæ cauſſæ ſunt belli faciendi; quas ad Deum, tanquam jubentem bellum, referre poſſumus; ut quum Judæi retulerunt ad Deum [a] cauſſam belli a ſe moti in Cananæos. Bellum etiam ἄσπονδον denunciat Deus Hamalekitis, & populo ſuo inimicitias adverſus illos æternas imperat. [b] *Hoc genus belli ſine dubitatione juſtum eſt, quod Deus imperat: apud quem non eſt iniquitas: & qui novit, quid cuique fieri debeat, in quo exercitus non tam auctor belli, quam miniſter judicandus eſt*, ut ita Auguſtinus ſcribit: [c] & in alio propoſito, *Mandati hujus non poteſt injuſtum eſſe judicium: mandatum enim Dei eſt, de quo non judicandum, ſed ei obtemperandum fuit: ille enim novit, quam juſte mandavit: ad ſervum autem pertinet, obedienter facere, quod mandavit*. [d] Atque ab iſta auctoritate ſic concludit Jephtes, *Nonne cujus heredem inſtituerit te Cemoſchus Deus tuus, illius heres eſſes? ſic quemcunque expulit Jehova Deus noſter a facie noſtra, illius hereditatem obtinebimus*. [e] Et ſic Iſaia, ut Philiſtæorum legatis nihil reſpondere habeat rex Ezechias de Iſraelitarum jure in Palæſtina, ſed hoc tantum, Jehovam ſic velle, ut ea terra eſſet populi ſui. [f] Junge autem ſanctis his & Æthiopes, qui bellum quodcunque ſic ſuſcipere conſueverunt, juſſi oracula Jovis. [g] & Spartanos, qui itidem oraculis moniti, & ſortibus pergunt Argivis bellum facere. [h] Huc Æneam ipſumque Virgilium affer: qui Æneam facit venire in Italiam, etiam & facturum bellum ex fatis, oraculis, &c. Turcæ quoque aut hanc ſemper habent bellorum cauſſam, quod Maumethis juſſus is ſit, bello perſequi oportere homines diverſæ religionis. Et ſic ipſi, Perſæque, alteri alteris hæretici, perpetuum fere pro religione gerere bellum dicuntur. [i] Sic odio in Perſas Turca fertur, & in Chriſtianos, cauſſa religionis: ſuaſum vero Solimano narratur, ut in Chriſtianos potius moveret arma: nam Perſas eſſe tantum hæreticos. [k] Contra quam in concilio Luſitanico dicebatur ultimo regi Sebaſtiano, ut contra hæreticos potius, quam contra infideles, ferret bellum. Non hoc ab Hiſpania eſt? Decretum illud, quo nuper Philippus ejuravit bonam & copiam, & fidem, dicit, bella ſe habere irreconciliabilia cum infidelibus, & cum

a *Exod.* 17.
b *Aug. Joſ. q.* 10.
c *Aug. Exo. q.* 6.
d *Jud.* 11.
e *Iſa.* 18.
f *Hero. lib.* 2.
g *Xenop. 4. Græc.*
h *Na. Co.* 6. 14.
i *Jov.* 33. 36.
k *Conneſt. 4.*

& cum hæreticis. [a] Teſtantur alii hanc bellorum Philippi cauſſam. Teſtatur orbis, qui ſub utroque jacet ſole. Nos vero ita ſtatuimus, ut Judæi juſtiſſime bellum geſſerint in Cananæos, ut antea quoque dictum eſt. Reliqui, non quidem divino, & juſto vero, ſed juſto defendantur humano, & ex principibus inſtitutis ſectarum. Semper enim verum eſt, quod notat alter medicorum. ſummus [b] auctor, reprehendi non oportere definitiones, quæ traditæ ſint ſecundum ſectam definientis, adeoque nec iſtorum facta poſſint reprehendi, ſi ſecundum ipſorum ſunt religionem. [c] *Gradiuus jubeat ſi capere arma ducem: Fidere tam fas eſt, quam dubitare nefas. Mortalia quærunt conſilium, certus juſſa capeſſe Dei.* Sic iſti, &, [d] *contra quis ferat arma Deos?* Quæ in alio dicta argumento, & hic valent. Sed pergendum eſt ad radicem, & videndum, ſi in his bona iſtorum religio eſt.

a *Ferrarot. de, inim.* §. 7. & 37.

b *Gal. 4. de pulſ.*

c *Auſ. Theo.*

d *Tib. 1. elg.* 16.

CAP. IX.

An bellum juſtum ſit pro religione.

ET quidem ſi religio ejus eſt naturæ, ut compelli ad eam invitus nullus debeat, atque nova illa dicitur, & inaudita prædicatio, quæ verberibus exigit fidem: ſequitur, vim iſtam juſtam non eſſe. [f] *Hoc ad irreligioſitatis elogium concurrit, adimere libertatem religionis, & interdicere opinionem divinitatis: ut non liceat mihi colere, quem velim, ſed cogar colere quem nolim. atque adeo & Ægyptiis permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas, avibus, & beſtiis conſecrandis, & capite damnandi, qui aliquem hujuſmodi Deum occiderit*, ait Tertullianus, & alio loco, quod naturalis poteſtatis eſt religio: [g] quod & Pomponius; & quod ea alteri non noceat, aut proſit alteri. [h] *Fides ſuadenda, non imponenda*, Bernardus, [i] & Hilarius, novo exemplo homines ad fidem cogi. Largiens interea Conſtantio Cæſari, veram fuiſſe Arrianam, ad quam Conſtantius cogebat. [k] *Religionem imperare non poſſumus: quia nemo cogitur, ut credat invitus:* reſpondit ſapientiſſimus rex Theodericus, & idem Theodatus rex, voluntarie ſacrificandum domino, non cujuſquam cogentis imperio. [l] Sic & Lactantius, cogi religionem non poſſe, & verbis, non verberibus conſtitui: nec quidquam eſſe tam voluntarium, quam religionem. & Chriſtia-

e *C. 35. 23. q. 5. c. 1. 3. diſt. 45. c. 3. de bap.*

f *Tert. apol. & ad Scapu.*

g *L. 2. de juſt.*

h *Ber. cant. ſer. 66.*

i *Eraſ. præf. Hil.*

k *Caſſiod. 2. var. 27. & lib. 10. ep. 26.*

l *Lact. 5. Inſt. 20. 21.*

ſtianos non eſſe Ægyptiis pejores. [a] Et Joſephus, ſuo quemque arbitratu, non alieno impulſu, Deum colere oportere. [b] Et ſuis (Arnobius inquit) *religio contenta eſt viribus*; atque adverſus vim, & arma, *Quoniam plurimum gladiis, & poteſtate ferri valetis, anteire vos etiam veritatis ſcientia judicatis?* [c] Magnus Hoſpitalius gravi ſic ſatyra, *Dictis pugnamus, & armis, quæ in religione animo ſententia ſedit verior; interea tabulas, & tradita Moyſi ſpernimus*, &c. Audis auctores: audis rationes. Quod contra naturam eſt rei, id non fieri pro re conſtituenda, ſed eſſe magis pro deſtruenda. Quod effici nequit per vim, id per vim aggredi, furioſum. Quod eſt facultatis, id non trahi ad neceſſitatem. Quod ſuo ſtat pondere, id ſuſtentare adſcititiis juramentis, ineptum. Quod regulam habet ſuam, id non tractandum aliena. Novum iniquum: quod enim vetuſtas adprobavit, certum eſt fere non minus, quam lex aliqua, ut ſcribit egregius Duarenus in Diſputationibus anniverſariis. Et hæ ſunt dictæ rationes. Religio autem ab animo eſt, & voluntate; quæ ſemper habet libertatem ſecum, ut eſt præclare & a Philoſophis & ab aliis, & a Bernardo explanatum in libro De libero arbitrio. Animuſque noſter, & quicquid eſt animi a principio, aut principe non movetur externo. Et neque dominus eſt animæ, niſi unus Deus; qui unus animam poteſt perdere. Scis? At audi adhuc unum. Libertas religioni debetur. Conjugium quoddam Dei & hominis eſt religio: ſi igitur conjugio alteri carnis libertas defenditur obſtinate, etiam huic conjugio ſpiritus tribuatur libertas. [d] Sed hanc ſententiam, de bello propter religionem non movendo, probatam omnibus, nemine excepto, teſtatur doctiſſimus a Victoria; & cauſſam iſtam non juſtam fuiſſe Hiſpanis ſuis contra Indos. [e] Didacus a Covarruvia, itidem Hiſpanus vir, & doctiſſimus juriſconſultus, nominat canoniſtas, & theologos plures, qui idem hoc docent. [f] Et Baldus docuit quoque de Innocentio, non licitum eſſe bellum contra infideles, nobiſcum viventes in pace, non nobis injurios. Didacus & ipſe etiam hac ſtat: non negat tamen, ſtare quoſdam in contrariis partibus etiam Aquinatem: cæterum & refutat aliorum opiniones, rationeſque. [g] De hæreticis etiam bello ulciſcendis ſane decrevere Toletani patres: & eſt relatum in jus canonicum. [h] Et Baldus inquit, eſſe certum, hoſtes fidei, id eſt, eccleſiæ, deprædari poſſe. Tamen nec bono argumento firmat illud cer-

a *Joſ. de viſc.*
b *Arno. adv. gc. 3. 4.*
c *Hoſp. lib. 4. epiſt.*
d *Vict. rel. 8.*
e *Cova. reg. pec. §. 10.*
f *Bal. 5. de juſt.*
g *c. 13. de hær. c. 5. diſt. 45.*
h *Bal. 4. conſ. 140.*

certum : & valde dubitanter illam attexit interpretationem ; ut est sane non definiendum generaliter, fidei hostem eum esse, qui ecclesiæ hostis sit : quia ecclesia gerit bella sæpius non pro religione, ac fide, sed pro his rebus, quas temporales appellant. [a] Alibi & contra hæreticos, & (sibi contrarius) contra infideles dat bellum Baldus hac ratione, quoniam vacant regna propter hæresim, & infidelitatem : cum non sit hæretici, & infidelis jurisdictio vera : esse autem impossibile vivere absque magistratu, & jurisdictione : nam hæc esse de jure gentium. Quæ ratio est multo inanissima. [b] Immo enim Deus asserit his jurisdictiones. Sed vero sunt aliaque dicta in has partes, quæ cum primis illis doctoribus, & generalibus eorum rationibus pugnant. Sed ego disputationem nondum mitto. [c] *Adversus barbaram religionem nobiscum ad internecionem bellatum* : Christiani ajunt de Saracenica : & Bernardus movens Ludovicum Galliarum in Asiam, *Tibi ulla belli justior caussa, quam quæ sanctior ?* [d] Etiam Lacedæmonii inter alias causas contra Athenienses, quod violatores religionum Athenis essent : & Athenienses ex adverso, quod Lacedæmonii eductos de templis supplices obtruncarint : cum id genus aliis. [e] Sane tamen avarissimorum instituta ista dicuntur, & improbitatis integumenta : nec ullam esse religionem tam nefariam, quæ jubeat, in homines diversæ religionis grassari. [f] Ferdinandus rex, qui catholicus cluit, omnes fere suas cupiditates sic obtexuit honesto religionis velamento, ut notat Guicciardinus. [g] & Carolus imperator, Ferdinandi nepos, non alio colore cupiditates regnandi suas adumbravit, ut Jovius scripsit. Nemo autem hic objiciat mihi Justinianum nostrum : [h] qui narrat alicubi, bella a se suscepta ob hanc caussam religionis. Nemo Pipinum, [i] qui omnia pie magistratus, quæ in gratiam ageret Papæ, urebatque, vastabatque. Nemo alios : [k] *Suum quisque bellum sacrum prædicat : hostes quisque suos impios dictitat : suam quisque caussam sanctam nominat : in ore omnium sanctum, piumque versatur, consilio, conatu, animo secus efficitur. De mortalium jure res est, Ea controversia tollatur, nulla erit armorum caussa. Nunc nulli nefario scelori non prætenditur nomen pietatis. Sacræ militiæ nomen ad hæc arma*, quibus petitur rex Neapolitanus a Papa, (*miserum*) *recidit*. Multa, & sæpe sic scriptor maximus. Etiam Justiniani facta fuerunt ad suos defendendos aut a Persis idololatris, aut ab hæreticis Gothis, Vandilisve ; qui vel occu-

a *Bal. 3. conf. 439.*

b *11. Pet. 2. Paul. ad Ro. 13. Ber. de ad. fer. 3.*

c *P. Æm. 2. 5.*

d *Thuc. lib. 1*

e *Na. Co. lib. 1*

f *Guic. lib. 12*

g *Jov. lib. 30*

h *Nov. 78.*

P. Æmil. lib. 2.

k *P. Æmil. 6. 7. 8.*

occuparunt de imperio Romano: vel in imperio affligere ſubditos Juſtiniani volebant. Etiam ad defendendos Chriſtianos, Perſarum ſubditos, & a Perſis propter religionem tractatos male; ſi Juſtiniani ſunt facta, dico tibi, docente [a] Covarruvia, juſtas has cauſsas eſse. Sic & bella Francorum, & aliorum Europæ probantur: quæ vexatos a Turcis ſublevarent, & Chriſti injurias ulciſcerentur. Sed hæc alia quæſtio eſt de defenſione, quam poſtea examinabo. Nunc illa eſt, ſi uno religionis obtentu bellum inferri poſſit. Et hoc nego, & addo rationem: quia religionis jus hominibus cum hominibus proprie non eſt: itaque nec jus læditur hominum ob diverſam religionem: itaque nec bellum cauſsa religionis: Religio erga Deum eſt; jus eſt divinum, id eſt, inter Deum, & hominem: non eſt jus humanum, id eſt, inter hominem, & hominem. nihil igitur quæritat homo violatum ſibi ob aliam religionem. [b] Ajunt alii imperatores, in omnium ferri injuriam, ſi contaminetur religio. [c] & M. Tullius, quod pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia tollitur. At neque nos loquimur nunc de his, qui ferarum modo magis, quam hominum viventes, ſine ulla omnino religione ſunt; hos enim quaſi piratas, communes hoſtes omnium, bello perſequendos, & cogendos in mores hominum arbitraretur. Hi enim vere videntur injurii omnibus hominibus, qui in ſpecie hominum agunt vitam brutorum brutiſſimorum: [d] eſse enim & brutis quibuſdam religionem aliquam, traditum, & creditum eſt. Hi ſunt, qui gigantum more bellum gerunt cum Deo. [e] Nam *quid aliud eſt, cum diis gigantum more, bellare, niſi naturæ repugnare?* Juris naturæ eſt religio: & itaque nec patrocinabitur jus iſtud expertibus ipſius. [f] Et hoc tamen addo, gentem non eſse ejuſmodi, cui religio nulla ſit. Age, aliquam mihi ejuſmodi gentem narra. Illi expertes non ſunt juris naturæ hujus, qui errore humano tenentur, & boni cupiditate ducuntur, & non bonam religionem ſectantur. [g] Sic miſericordia dignos Alemannos idololatras, dixit Agathias. Itaque docendi ſunt, & ferendi, non cogendi, aut exterminandi. [h] Judæos non molestandos, non compellendos ad fidem, etſi poſt Chriſtum non differant illi ab idololatris, etiam interpretes juris ex facto conſulti, reſponderunt plures. Qui autem a civitatis reliquo corpore ſejungunt ſe, & aliam civitatem

a *Covar. reg. pec. §. 10.*

b *l. 4. C. de hæret.*

c *Cic. 1. de na. deo.*

d *Chaſſ. cat. glor. conſid. 78.*

e *Cic. Læl.*

f *Cic. 1. de na. Deo.*

g *Agath. 1. Goth.*

h *Bald. 1. conſ. 326.*

excitant contra civitatem, hi publicum turbant ſtatum, & injurii ſunt reliquis civibus. Hos intelligunt ſupradicti Imperatores. At qui in alia civitate ſunt, hi ſi vivunt aliter, atque nos vivimus in civitate noſtra, nos utique non offendunt. Et ita, cum bellum iſtud vel vindicativum fuerit, vel punitivum, juſtum eſſe neutrum poteſt; neque enim læſi ſumus, ut ulciſcamur juſte; neque illi noſtri ſunt ſubditi, ut puniri a nobis debeant. Quod & Didacus. [a] Paria ſunt, punire innocentem, & nocentem, quem tu punire non debes.

a *Alex. 6. conſ. 225.*

CAP. X.

Si Princeps religionem bello apud ſuos juſte tuetur.

CÆterum & de eo diſpiciamus diligentius, ſi temeratoribus receptæ in civitate religionis ferrum, & bellum liceat intentare. [b] Sane autem violatarum religionum ubique pœnam aliquam fuiſſe conſtitutam, legimus. [c] Et Plato in temeratores religionis ſancit pœnam capitis. [d] Varias ſanciunt noſtræ leges. [e] Socrates ob hanc cauſſam necatur Athenis: Diagoras proſcribitur. alii alibi mulctantur, necantur. [f] Sic Abraham coactus vertere ſolum, qui auſus innovare religionem, & a Chaldæis pulſus cum tota domo patris. [g] Plus legimus in Decreto; projectum Abraham in ignem, & fratrem Aran: ut quem noluerint adorare, & venerando colere contemſerunt, divinum numen exurendo ſentirent. [h] Quod & Auguſtinus, & Hieronymus, non quidem de ſcripturis, ſed de traditione ajunt Hebræorum. [i] Anacharſis ſic interfectus a ſuis Thracibus ob Græcos ritus, quibus utebatur illuc reverſus ex Græcia. [k] Romæ nulla peregrina ſacra, inde uſque a lege Romuli, quæ de peregrinis Diis non colendis, & ſacris externis non operandis cavit diligenter. Et nullo tamen non invitavit ille in civitatem ſuam illectamento omnes: & multi tamen undique populi in civitatem confluxerunt. [l] Ut hoc miratur fieri potuiſſe, nec irrepſerint cum tot peregrinis religiones eorumdem peregrinæ, atque laudat Dionyſius. [m] Auguſtus ſic coluit veteres, receptaſque & novas non tulit, aut peregrinas. Et Tyberius ſævus etiam adverſum externas ceremonias, & Ægyptios, & Judaicos ritus. Sed exemplorum hactenus. [n] Ait vero Johannes Bodinus, quod legislatores omnes, fidem

b *Seneca 3. de benef.*
c *Pla. 10. de legi.*
d *C. de hæret.*
e *Juſt. 1. apol.*
Joſe. 1. Ap.
Cic. 1. de na. de. Plu. Nic.
f *Joſe. 1. ant. Judithæ 5.*
g *C. 1. 35. q. 1.*
h *Aug. q. 25. H. c. 11.*
i *Herodo. 4.*
k *Manut. de legi.*
l *Dionyſ. 2. antiq.*
m *Sue. 93. Dio. 53. 54.*
n *Bod. 4. de rep. 7.*

fidem ſubditorum in Principes ab eorumdem ſubditorum religione pendere, cenſuerint, una & Philoſophi. [a] Et ita ſane Mæcenas monuit Auguſtum, ut ad receptam more patrio religionem omnes compelleret, peregrinorum rituum auctores ſuppliciis perſequeretur; non modo Deûm gratia, quos qui contemnit, haud dubie aliud quicquam magni faciet, ſed propterea etiam, quod qui nova numina introducunt, multos pelliciunt in conjurationes, aliaque, quæ minime commoda principatui unius ſunt. [b] Et hac ſuſpicione inducti hodie non ferunt Lutheri tradita: quaſi ea poteſtati Principum adverſentur. Alii contra, qui Luthero audierunt Principes, non vident primos libenter, ſive eccleſiaſticos, ſive laicos: [c] nam eccleſiaſticorum turbam infinitam juriſdictioni Principum ſubduci vident laicorum; & ſubditos reliquos judicatis hæreticis; etiam filios parentibus ſuis fieri hoſtes. Certe quæ ſit ejuſcemodi religio adverſa Principibus, non feretur. [d] Et merito propterea pulſi aliquando Epicuræi ab urbe: nam diſſolvebat ea ſecta prorſus adminiſtrationem imperii, ut hæc erat adminiſtratio multa in religionibus & metu Deorum. Quin immo ab atheiſmo manifeſto, & profeſſo nihil multum diſtat Epicureiſmus. [e] Ut doctiſſimi Hebræi ſcribunt, dictum Judæis Epicuræis, *Negaverunt Dominum, & dixerunt, quia non eſt.* Quod ſi vero religio Principibus non nocet ſubditorum aliena, [f] Perſis illis ſumus improbi, qui Danieli inſidiabantur, ſi & nos alienæ religionis profeſſoribus moleſti ſumus: & cum iiſdem dicimus Perſis, *Non ſumus inventuri contra iſtos occaſionem ullam, niſi inveniamus de lege ipſorum.* Id injuſtum adfirmamus. *Bonus vir, Cajus Sejus, tantum quod Chriſtianus.* Sed omniſque (reſpondebunt) religionum diverſitas ſocietatem quodammodo impedit; [h] ut unitas ſcilicet religionis facit, unitos homines eſſe, quod de ſuis Judæis ſcribit Philo. [i] & Cicero, quod magiſtratus conſtituta religione, rempublicam maxime continent. [k] Et alii; quod ex ea diverſitate religionis, etiam & ſectarum, exque diſtantia vitæ atque morum, & odia ſunt: atque ex odiis ſeditiones, quo ſæpe malo civitates interire conſtat. Diverſitas religionis omnis diſſolvit imperium, [l] ut cenſet Cardanus, & pertinaciter contendit modernus Politicus. [m] Immo omnis non modo mutatio, ſed etiam acceſſio; ut deminutio in religione maxime traditur periculoſa, cum nunquam fere (ut ajunt) mutetur religio: quin antiquorum Principum

a Dio. lib. 52.
b Guic. 13. 10
c c. 2. de jud. c. 13. de hæret. P. Æmil. 5. Nat. Com.
d Ælian. lib. 9.
e R. Moy. Exy. 3. dub. 18.
f Daniel. 6.
g Tertul. Apo.
h Phil. de ſpec.
i Cic. 2. de legi.
k Manut. de legi. Apul. de Philoſo.
l Card. 3. de ſap. Lipſ. Pol.
m Na. Co. lib. 2.

cipum imperia excutiantur, nisi si Principes ipsi auctores fuerint cum populo novæ religionis, & duces mutationis. Et quidem sic, ut ajunt, res esse videtur, perque magistram experientiam. [a] Ecce, ait Procopius, *Christiani solent de fide solertius disceptando inter se altercari, & seditiones movere.* [b] Ecce sic prohibentur severe legibus istæ disceptationes. [c] Et addit his historicus alius, *Si quando de fide oboritur controversia, non modo parentes a liberis, & contra, sed etiam conjux a marito suo, & vir a conjuge per seditionem dissentit.* Is, id non evenisse in Justiniano nostro, & in conjuge ejus Theodora, miratur, sentientibus diversa; vel credit ex compacto sic illos egisse, ut in rebusque aliis alios egisse, simulasse sic discordiam, scimus: qui intimo concordes, & conjunctissimi erant. Sed hæc forsitan rariora. [d] Valentinianus, aut Gratianus, uterque laudatus Princeps, negat Valenti, tanta sanguinis necessitudine conjuncto, auxilia, ob hanc diversitatem religionis, & adjecit, non esse æquum, aut pium, impio auxiliari, & cum Dei hoste, Arriano societatem inire. [e] Et Justinianus sic quoque Francos movet pro se contra Gothos: quod isti itidem Arriani essent. Et Langobardi legati idem a Justiniano contendunt, ut ipsis is faveret, non Gepidis Arrianis. [f] Et ad Persas, alterius religionis viros, a Justiniano non deficiendum, hac potissimum ratione, quod qui varia sentiunt, versari simul non possunt, Colchus vir princeps monuit, & persuasit suis. Atque dixit Justinianus incredibile, vel voluisse illos deficere ad homines diversæ religionis. Atque hæc plura sunt. Quæ sunt omnia in eam partem, ut videri possit justa Principis causa, qui unam religionem velit: adeoque defendat armis, & bello in regno suo unam. Mihi tamen placet disputatio Bodini, ut vi non sit utendum contra subditos, qui aliam amplexentur religionem. Sed semper sub hac exceptione sic dico, *Nisi quid detrimenti illine respublica capiat.* [g] Sic Augustus foviisseque Judæorum synagogas narratur: quia non eæ essent bacchanalia; aut conventicula turbandæ paci, at scholas virtutum. [h] Sæpe quidem solent illiciti esse cœtus sub prætextu religionis, & interdicendi. [i] Coitiones nec satis sunt tutæ, & sunt vetitæ semper. [k] Sed cum apparet, nihil fieri tale ex mala causa, cessat lex, quæ prohibet. [l] Et sic Adrianus voluit: sua coluit sacra, aliena contemsit: & sic est epistola Marci, vetans, turbari Christianos, nisi qui convicti essent, tentasse

a *Procop. 3. Goth.*
b *l. 3. C. Justin. Ber. ep. 194.*
c *Nic. Call. 17. hist. 7.*
d *Zon. Cedr. Callist. Theod. hist. 49.*
e *Proc. Goth. 3. 4.*
f *Agath. Goth. 3. 4.*
g *Phil. de legatio.*
h *l. 2. de extr. cr. l. 1. de coll.*
i *Manut. pro Sex. & Asco. pro Corn.*
k *Alc. 5. cons. 107.*
l *Just. apol. Spartia. Callist. 3. hist. 28.*

tasse aliquid contra rempublicam: nec quidquam eis objiceretur præter religionem diversam. [a] Et sic Judæis servavit privilegia Alexander Severus: Christianos esse, passus est. Etiam liberos esse Christianos, jussit Trajanus antea, de nostrorum isthac innocentia edoctus a Plinio. Non hodie Judæi, Christiani feruntur sub Turcico imperio publice? Turcæ, Judæi, Græci, & synagogæ Judæorum, & Ecclesiæ Græcorum feruntur etiam sub Pontificis imperio Romani, Romæ, Anconæ. [b] In templo Petri Romæ Orientales, & Æthiopes suo more sacra facere soliti, & aliti sumtibus Pontificis. Ipsi Lutherani etiam cum publico exercitio feruntur in principatibus fere omnibus, qui in Germania sunt familiæ Austriacæ: & diversæ religiones non a solis Lutheranis, quod ait [c] Bellarminus, sed etiam a Catholicis, quod Bellarminus negat, feruntur. Non cum una religione vivitur in urbe Augusta, Ratisbona, Francofurto, aliis liberis Germaniæ civitatibus. Sic Poloni, sic Helvetii, sic Rheti vivunt. Et tu fallis nos, aut ipse falleris, Juste Lipsi, [d] qui negas, in uno principatu apud Germanos esse, nisi unam religionem. Sane fertur nisi una a Principibus Lutheranis, & hoc vere contra Bellarminum. Sed ab Austriacis fertur etiam Anabaptistica, non modo Hussitica, Lutherana. Adi in Moraviam, Bohemiam, Stiriam, Corinthiam, Carniolam, ipsam Austriam. [e] Laudatur porro Constantini edictum, per quod poterat quisque vacare Deo secundum suam sectam, etiam ut ad alteram religionem transire posset, conveniisseque id temporum tranquillitati, ut potestas unicuique esset pro eo, atque vellet, colere divinum numen. [f] Valentinianus hoc facto, quod inter religionum diversitates steterit medius, & neminem adegerit ad suam, maxime claruisse memoratur. Etiam ais, Bellarmine, tres solos permisisse diversas religiones, Jovinianum, qui reprehensus a synodo, Valentem, qui Arrianus, Julianum, qui apostata? Cæterum & respondetur, cessisse hos temporibus, quos aut ego dico, omnes: & diversas ita permisisse religiones, & sic clausisse templa idolorum postea Constantinum. At id est, quod ego etiam disputo, proboque. Qui velim, a Principibus curari valde religionis unitatem. Sed & hoc arma, & exercitus non comparari in civile bellum propter unam religionem. Nam, si puniendi sint hæretici, & qui hi sint, alia quæstio est, & non pertinet ad tractatum nostrum. *Quic-*

quid

a *Lampr. Pli. vit. epist.* 103. 104. *Euseb.* 3. 27. 33. *Tert. Apol.*

b *Jov. lib.*

c *Bellar.* 5. *con. lib.* 3. *c.* 19. & 18.

d *Lipsi. de una relig.*

e *Zon. & Nic. Callist.* 7. *hist.* 41.

f *Amm. lib.* 30.

quid fuerit, id omne citra bellum esto. [a] Et meminerimus cum Augustino, hæreses non semper tolli posse absque periculo reipublicæ. Etiam Juliani rationes non omnes sunt impiæ, [b] ferentis Christianam religionem cum sua ethnica. Exstant ejus decreta & Epistolæ quibus contestatur, coactionem se nullam adhibiturum Christianis: quos nominat Galilæos fere semper, & quia opus sit, docere, non punire, amentes: [c] & quia illud sciebat, nihil valere vim in his rebus, quæ promtum, & voluntarium judicium desiderant, si debent esse perpetuæ. [d] *Religio sua cuique videtur optima: ut quæ non ratione, sed affectu dijudicetur a singulis, & a natura est indita?* inquit rex Agrippa Cajo, an ipse Philo doctissimus? Etiam in eo, quod sectas Julianus in ipsa nostra religione passus est, fovitque, ut sic discissa concideret per se, propositum quidem non laudes abominandum, sed cognoscis tamen, religiones diversas tolerari in una republica posse, & posse prudentem Principem omnibus recte, & pacifice moderari. Feret malas ad tempus; coercebit, quantum poterit, [e] ut sic Constantinus alias tulit, sed Christianis solis militiam, & reliquam rempublicam tribuebat, necdum puniens Ethnicos. Sic Theodosius magnus, sic Zeno, sic alii; [f] sic ipse Joas, alii probati reges. [g] Quid, quod alternis vicibus & diebus Christiani, & gentiles Romæ orarunt? Et non necesse unquam fuit, armis decertare. Sileat noster Politicus, qui dixit necesse, armis interdum decertare; dum suam religionem singuli aliis anteferre conantur: aut religio non sit religio, quæ sic frigeret. Quid ais? Ego prælia, & bella audio illic, ubi religioni alicui non datur locus; illic non audio, ubi diversis est locus religionibus. Immo religio non est (quod scio Cujacium scribere, & est verissimum) quæ calet in cædes civium, & perniciem patriæ: Ægyptii, si cum portentis illis religionum impetebant se bellis mutuis ex hac causa. ([h] quod apud Trismegistum lego, & Dionem) an non tibi cum satyra habiti portento? [i] Nescis de Diodoro, non tuo, sed Siculo, varias illas in Ægypto religiones huic fini inductas a rege, ut subditi diffiderent, & in Principem non conspirarent, dum alteri alteros oderant quasi impios? [k] Ne addam aliud: quod tentare ita patientiam Ægyptiorum voluerit rex ille Busiris. At nos de Principe quærimus, [l] qui legitimam præfecturam putet imperium, qui non

[a] *Aug. 3. con. Parm. 2.*
[b] *Amm. 22. Eutr. 10.*
[c] *Nic. Call. 8. hist. 20.*
[d] *Phil. de legatio.*
[e] *Cedr.*
[f] *2. reg. 12. D. a B. c. 5. l. 3. c. 18.*
[g] *Oros. lib. 4. c. 17.*
[h] *Trism. de na. Deo. Dio. lib. 42.*
[i] *Dio d. Si. lib. 2.*
[k] *Isocr. Busir.*
[l] *Alex. Cum. Connest. Bonfidii.*

malis

malit tyrannus esse, quam populi pater; qui non adeo velit sibi quam suis regnare, qui pacis, & amoris, non seditionum, & discordiarum auctor, & caput sit. Sed & specta homines Ægypti. [a] Supra alios soliti ex scintilla minima ignes magnos accendere. [b] *Sunt enim Ægyptii viri ventosi, furibundi, jactantes, injurioſi, atque adeo vani, liberi, novarum rerum cupientes, & quibus præsentia semper cum enormi libertate displiceant.* Et addit Latinus historicus epistolam Adriani, in qua idem traditur, Ægyptum totam levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem, genus hominum seditiosissimum, vanissimum, injuriosissimum. [c] Et eadem alii attestantur, etiam ex Ægypto. Hæc illorum natura dicitur causa seditionum, & in rebus religionis. Sic *Patriarcha, cum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Sic narratur, quemadmodum Aurelianus divina præceperit mente Saturnino, viro Gallo, & Duci magno, ne unquam Ægyptum videret. Cogitabat enim vir prudentissimus Gallorumque naturam inquietissimam; & verebatur, ne, si perturbidam vidisset provinciam, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. [d] Hoc primum Augusto provisum, & Tiberio, ne quis senator, id est, potens, & illustris vir Ægypto præesset, aut etiam Ægyptum adiret. [e] Sane vero & Gallis tribuunt mobilitatem, & levitatem veteres omnes, & novi scriptores rerum, bellicososque eos esse, & ad bellum mobiliter, celeriterque excitari contestantur: & mentes ipsorum duras, ac retrogradas, & imperantibus graves. Quæ itidem bellorum causa illic ab omni ævo semper. Nam religio his ultimis temporibus tantum prætextus. Quando sine bellis internis, aut externis Gallia fuit? [f] Ante Cæsaris adventum (quæ sunt nobis in tenebris tempora) fere quotannis accidere bella consuevisse, prodidit ipse Cæsar. [g] Item ille apud Tacitum, *Bella per Gallias semper fuere, donec in Romanorum jus concederent.* [h] Etiam tumultuum Galliæ dicitur causa magnatum & nobilium status, qui potentes valde cum sint, & liberi, nec dent, si rex petat, aliquid: nec regi obediant, si quid imperet: regis magnitudini aut invideant, si nihil det: aut sint damnosi, si dederit, conspirant potentes, irascuntur ambitiosi, & insoliti videre magistratus, a civitatibus sepositi, quisque ruri cum suis familiis, discordiis, seditionibus, contentionibus necessario exagitantur. Sic

a *Phil.* 10. *Elac.*
b *Vopisc. Saturn. Dio.* 39. 42.
c *Poll. Æmil. Clau. Herodia.* 1. *Amm.* 22.
d *Tac. ann.* 2.
e *Polyb.* 2. 3. *Cæs.* 2. 3. *Liv.* 5. 7. 10. *Lampr. Alex. Pol. Gal. Post.*
f *Cæs.* 6.
g *Tac.* 4. *hist.*
h *Card. ence. Nero.*

non eſt religio cauſsa malorum Galliæ. Sed hic mihi ſimile conficiendum foret opus, quale confecit Oroſius, qui item calumnias refutaturus eorum, qui clamitabant, bella, & mala adveniſſe orbi Romano, poſtquam religio illic Chriſtiana fuit, immo mala, & bella illic, & in orbe univerſo fuiſſe ſemper, oſtendit. [a] Occurrerant alii adverſus calumniam. Cyprianus a ſenio mundi eſſe hæc ait, a peccatis hominum, ab aliis falſis religionibus, & a perſecutionibus ſervorum Dei. *Non quia dii non coluntur, ſed quia Deus non colitur. Lapides coluntur; Deus ſolus non colitur, aut non impune*, ait Cyprianus. Ait aliud Auguſtinus: at refero ad tertium librum: ubi hoc idem eſt retractandum. Jam ſatis judicatum de veris cauſſis, retectum de prætextu. Atque ſi dicitur, bene vel prætextum hunc tolli ſeditionum: reſponderim ego, verius immo occurrendum ſeditionum cauſſis, nam prætextu uno avulſo, non deficit alter.

a *Cypr. adu. Dem.*

CAP. XI.

An ſubditi bellent contra principem ex cauſſa religionis.

QUid vero ſi princeps mutare religionem ſubditis velit omnino, aut antiquam receptam retinere? Et probatum mihi eſt, bellum non juſtum a ſubditis eſſe in principem ſuum hic, & multo minus, ſi nihil ipſe ſubditis præſcribat: at ſibi aut mutat, aut retinet religionem. Quod enim ſibi populus fieri nollet, & nos diximus; fieri populo non oportere, id a populo nec fiet, nec debet principi fieri. [b] *Unuſquiſque patienter ferat, ſi non extorqueatur imperatori, quod modeſte ferret, ſi ei extorquere cuperet imperator*: & cætera hac de re Ambroſius. Neque tamen exempla, aut rationes in contrarium deſunt. [c] Etenim ſi propter deſertum cultum Dei a rege, mala populis contigiſſe, narrant libri ſacri, &, *Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi*. quid non ſe defendant ſubditi contra principem? & principem non cogent in cultum divini numinis? [d] Etiam, *ſi quis de populo deviat, ſolus perit: verum Principis error multos involvit; & tantis obeſt, quantis præeſt*. quod Princeps ad Principem ſcribit, dictante Bernardo. [e] Cicero autem elegantius: *Nec tantum mali eſt peccare Principes, quan-*

b *Ambr. epiſt. 54.*

c 2. *Chr.* 28.

d *Bern. epiſt.* 227.

e *Cic.* 3. *De legib.*

quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt &c. [a] Bulgari contra regem ſuum armantur: quia factus Chriſtianus fuiſſet. [b] Adiabenorum ſatrapæ petunt, regi ſuo a Perſis inferri bellum: quia factus Judæus patriam religionem deſeruerit. [c] Quid narrem maledicta in Alexium Comnenum? [d] & ſeditioſas voces olim in Francum regem? qui deſciverint a recepta religione, & minus pii erga Deum niſi ſubditis ſunt. Viden' Franciſci præſentia bella hoc eodem modo commota a multis Galliæ & civitatibus, & nobilibus adverſus hunc Henricum IV. quem tandem & vident ſuæ religionis? [e] Romanus exercitus obſequentior Joviniano, recuſanti delatum imperium, quoniam Chriſtianus ipſe vir imperare pagano exercitui non poſſet, nam profeſſi nomen Chriſti ſunt milites, & amplexi Chriſtianam religionem: atque imperium Joviniano adfirmarunt. [f] Perſæ Saraceni contra non detulerunt imperium in ſe Turcis, quin hi prius ad religionem eorum non accederent, ut ita mihi ſcribit Onuphrius Panvinus, eruditiſſimus vir; *Saraceni his conditionibus imperii ſummam Turcis reliquerunt, ut Mahumeti ſectam, relicta idololatria ſuſciperent, Saracenorumque ſacris initiarentur, quod a gente barbara, & dominandi avidiſſima haud difficulter impetratum eſt*. Sed hæc ego non agnoſco. Et illud puto memorabile, quod recitat Suida, aliquem mutaſſe religionem, ut regi placeret: & a rege plexum capite ſtatim, elogio addito; *Si Deo fidem non ſervaſti, quomodo erga homines ſanam conſcientiam retineres?* Ego juſtum non puto, ut ſubditus ſupremum hic cogat magiſtratum. Deus poteſt cogere, qui ſupremus ſupereſt. Neque verum eſt, *plecti populum propter hæc peccata regum, ſed propter ſua*: & ſic ſacra Biblia, *Eo quod reliquiſſent Deum majorum ſuorum*, de ipſo ajunt afflicto populo, poſtquam de Achazo rege idem dixiſſent. [g] Et Tertullianus, quem ſequor, nec probat, obſiſti principi ſtatuentique de religione ſubditis, audi, *cui bello non idonei, non promti fuiſſemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Sed deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? Sed abſit, ut igni humano vindicetur divina ſecta*. De quo & Cyprianus hauſit diſcipulus, [h] Tertulliani ſtudioſiſſimus, & aſſiduus lector; & hunc audi, [i] *Quamvis nimius, & copioſus noſter populus, non tamen adverſus violentiam ſe ulciſcitur, patitur* &c. Nec ſunt aptæ perſonæ ſubditorum hic. Atque de vere

a *Zon. to.* 3. *Cedr.*
b *Zon. to.* 1.
c *Niceta.*
d *P. Æmil. lib.* 5.
e *Zon. Cedr. Calliſt.* 10. *hiſt.* 30.
f *Panvi. de imp. Ro.*
g *Tert. Apol.* 37.
h *Hier. de ſacr. ec. Tert.*
i *Cypr. ad Demetr.*

ſubditis accipi definitionem admoneo, non de his, qui principem omnis poteſtatis non habent; ut Imperatorem Germani ita non habent: non Spartani olim habuerunt reges ſuos: [a] non reges ſuos temporibus vetuſtis Ægyptii. De privatis prorſus hominibus definitio eſt: qui nihil reipſa retinent publici: [b] nihil eſt enim retinere tantum nomine tenus, ut retinent ſcilicet civitates omnes, & honorarii multi alicubi, veluti in Anglia, Marchiones, Comites, Barones, qui non plus habent in Marchiis, & Comitatibus juriſdictionis, & imperii, quam de populo alius. [c] *Liberæ* quæ appellantur *civitates Germaniæ*, illæ ſunt, quæ præſtationibus quibuſdam, ut plurimum pecuniariis, obſtrictæ Imperatori, de reliquo regunt ſe ipſas penitus. Atque ita in propoſito certa regula videri poteſt, ut ſi qui re ipſa retinent publicam rationem & ſpeciem, hi ſubditi ſint in quibuſdam: aut de cætero ſubditi, hi in quibuſdam ſint nec ſubditi. Et in priori caſu, niſi religio excepta oſtenditur, omnino nec obtinet definitio de cedendo magiſtratui ſummo; poſteriore, itidem niſi religio excepta oſtenditur, defendetur forte definitio, ut magiſtratui cedendum ſit. Nam ratio utriuſque concluſionis videtur, quod exceptio ſtatuat regulam in non exceptis. [d] *Obſtrictio in quibuſdam videtur a cæteris liberare*, ut apte hic dictum eſt. [e] Et locus ſubjectus certis pactis, & conditionibus in cæteris manet liber; [f] & qui ſe ſubjecit in quibuſdam, videtur ſe ſervaſſe in reliquis liberum. Sed eſt tamen infirmior ſecunda collectio. [g] Quoniam ut exceptio ſtatuat regulam in omnibus non exceptis: non tamen verum eſt, ut ſub regulam concludat, quod alias concluſum non foret. Atque religionis cauſsam non eſſe concluſam, verius fuerit, [h] quia in omni ſubjectione, & omni jurejurando creditur ſemper ſupremi Principis auctoritas reſervata, & ſalva; itaque & cultus divini ratio. [i] *Eſtote ſubditi poteſtatibus*, inquit Apoſtolus: quod nemo tamen non ſic intelligit, niſi ſi quid illæ præcipiant alienum a cultu Dei. [k] Et Canonicum jus igitur non valet hic, quod de Auguſtino dicit, *Pactum ſocietatis humanæ generale, regibus obedire*. Sed magis quod aſſert de Gregorio, admonendos ſubditos, ne, plus quam expedit, ſint ſubjecti; & id genus alia plurima, & de Auguſtino, & de aliis. Et ergo de religione ſenſum nihil eſſe exiſtimaveris, ſermone utcumque generali: [l] quo non id continetur, quod, qui loquitur, nunquam expreſſiſſet, aut pollicitus ſuiſ-

a *Diod. lib. 2.*

b *Dec. 3. conſ. 29. Cepb. 615.*

c *Guic. 7. Al. l. 111. de V. S.*

d *Bal. 5. conſ. 409. Dec. 152.*

e *Caſtald. de imp. 159.*

f *Rom. conſ. 444.*

g *Panorm. c. noſtra, de jurejurand.*

h *l. vl. de in ius voc. ubi Jaſ. & alii.*

i *Rom. 13. Dec. ferm. poſt. conſ. 251.*

k *c. 2. diſt. 8. c. 52. 2. q. 7. c. 51. & ſeqq. 11. q. 3.*

l *l. 6. de pig. Cepb. conſ. 642.*

fuiſſet. Et tale eſt negotium religionis, quod Deo, non Cæſari adprobare oportet: [a] in quo *oportet Deo magis, quam hominibus obedire*. Quinimo ſi religionis cauſſa expreſſaque fuiſſet, ſubditi iſti non prorſus ſubditi conventis ſtare non tenerentur, ſi religionem aliam meliorem viderent, & crederent. [b] Nam receptum eſt, nec juramenta valere, quæ non habent illos comites tres, *juſtitiam*, & *judicium*, & *veritatem*; quibus omnibus hic deſtituimur liquido: ubi falſam religionem probavimus ignari, & tenere ſpopondimus. [c] Audis, *Quæ ad fidem pertinent, ea non ſervare interdum, eſt juſtum*. [d] Et a temerario, atque inconſulto jurejurando recedere, non eſt perjurium, ſed officium, &c. Et ita igitur cenſeo, ut qui ſubditus, privatuſque non eſt, is ſe defendere contra principem in iſta cauſſa religionis etiam per bellum poſſit. [e] Qui ſubditus ſimul & privatus non eſt, is ultimo loco, & pro remedio ultimo poteſt ſe & in aliis cauſſis bello tueri: ut, quem non juvat ratio propter potentiam domini, arma eum defendant: cum id genus aliis, quæ ſic definiunt, quod quæſitum, & indefinitum relictum [f] alibi a Baldo eſt. [g] Defenſio juſta contra omnes eſt, nec debet ullum patrono honorem. Privatus qui homo eſt, nihil iſtorum poteſt. [h] Sed ex Chriſti juſſu fugere tantum habet. Durum ſpoliari patria, fortunis. At Chriſti juſſus hic eſt. [i] Lex etſi dura hominis ea ſervanda eſt tamen. Et tamen videndum hic quoque eſt, ſi ex privato in publicum itum ſit; quod quando poſſit videri, erit alicubi poſtea adnotatum.

a *Act.* 5.
b *c.* 2. 22. *q.* 2.
c *Cic.* 1. *De Off.*
d *l. vl. qui ſa. co. & can.* 22. *q.* 4.
e *Bal.* 3. *conſ.* 313. 371.
f *Bal.* 1. *conſ.* 326.
g *l.* 10. 14 *de in ius voc.*
h *Matth.* 10
i *l.* 12. *qui. & a qui.*

CAP. XII.

Utrum ſint cauſſæ naturales belli faciendi.

SEquitur de naturalibus belli cauſſis. Atque bellum a natura videtur, ſi a primis elementis ad homines uſque deſcendendo naturam rerum intuearis. [k] Ecce etenim nobis bellum elementorum, per quod mori in dies mundum, & naſci, philoſophi dicunt, quodque etiam (invito Lucretio) pium dicunt, [l]

. . . . *cum maxima mundi*
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello.

[m] Et hoc bellum adumbraverit Homerus, dum in Trojæ campis non

k *Arif. de mu. Phil. quod mu. ſit im.*
l *Lucr. lib.* 5.
m *Ma. Ty.* 16.

non ſolum Trojanorum, & Græcorum pugnas, ſed & aquarum; & flammarum pingit. [a] Et de hoc Empedocles, & Heraclitus diſſeruerunt: cenſentes, bellum eſſe omnium parentem. itaque amici pacis non fuiſſe judicati ſunt a vulgo. [b] *Non vides*, inquit Seneca, *quam contraria inter ſe elementa ſint? gravia & levia ſunt: frigida, & calida: humida, & ſicca; tota hujus mundi concordia ex diſcordibus conſtat*. [c] Et hæc eadem alii. Et ecce quoque rerum aliarum, animæ expertium, & animantium omnium multiplex repugnantia: [d] ut ſic Plinius effert, quam dicunt Græci antipathiam. [e] Sed ecce naturale, ut diſſentiant homines: & hinc bella. Et ecce Græcos a barbaris alienos: [f] Hebræos a mortalibus reliquis. [g] Audi Philippum Macedoniæ regem, *Cum alienigenis, & barbaris æternum omnibus Græcis bellum eſt, eritque natura enim, quæ perpetua eſt, non mutabilibus in diem cauſſis hoſtes ſunt*. [h] Sic Plato ait, a natura Græcis bellum cum barbaris. Audi Iſocratem, *Barbari naturâ nobis hoſtes: & perpetuo inſidiantur, & nos naturâ ſic illos odimus, ut nullis fabulis magis gaudeamus, ac Trojanis, & Perſicis, e quibus clades eorum intelligamus*. Audi Hecubam apud Euripidem, *Nunquam amicum barbarum genus fiet Græcis*. Atque tu Græcorum nomen nunc intellige non nationis, ſed rationis, ut ipſe idem dicebat Iſocrates. Qui enim ratione præditi ſunt humana, hi Græci ſunt: & a barbaris, hoc eſt ab hominibus agreſtibus, & ferarum mentem gerentibus, mirifice diſſident. [i] *An tu majores ullas inimicitias putas eſſe, quam contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum, & voluntatum?* [k] Omnis ſapiens omni ſtulto perpetuus hoſtis. [l] ſic non natura diſtinxerit (eſto) inter amicum, & hoſtem: at mores diſtinxerunt: qui altera natura ſunt. [m] Et ad hæc Ariſtoteles dicit, naturâ immo factos barbaros ad ſerviendum: itaque & juſtum bellum contra eos eſſe, & quaſi venationem contra feras. [n] Venatio bellum eſt. [o] Palæſtinos porro naturales hoſtes Judæis legimus: [p] & Saracenos naturaliter hoſtes Chriſtianorum. Naturâ hoſtes nationes externas Romanis, Salluſtius ait in oratione ad Cæſarem de republica ordinanda. [q] Sed & illud audimus, a natura omnibus eſſe, bellum gerere: & itaque Cretenſes omnia ad bellum in republica ſua conſtituiſſe. Cæterum hæc ego vera non puto. [r] Immo enim naturâ ſumus cognati omnes. At vitium hoc eſt generis humani, ut diſſenſiones ſint;

a *Plu. Dem. de in. an. Apul. de mu. Lucia. Ioa.*
b *Sene. vlt. na. q.*
c *Cl. Ale. Str. 1.*
d *Plin. 32. c. 2.*
e *Bal. 5. de iuſt.*
f *Tac. 5. Hiſt.*
g *Liv. lib. 31.*
h *Iſocr. Pana. Paneg. Pla. 5. de rep.*
i *Cic. Verr. 5. Apul. de phil.*
k *Phi. de conſ. li.*
l *Dio. 41.*
m *Ariſt. 1. polit.*
n *Xe. 2. Cyro.*
o *Joſe. 5. ant.*
p *Alc. 7. conſ. 5.*
q *Ælia. de inſtr. ac.*
r *l. 3. de juſti.*

ſint; [a] quod inquies, & indomitum, ſemper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit: quæ Salluſtius. [b] Et neque cauſſa aſtrorum ([c] ut de his alibi legitur) ſive decurſus, ſive rotatio, vel fatum etiam, ſed cupiditas & injuſtitia hominum: quod Agathias [d] ſummæ ſcriptor auctoritatis. Et itaque hominibus cum hominibus non eſt repugnantia per naturam. Sed neque antipathia eſt inter animalia ejuſdem ſpeciei. Igitur nec ſit inter homines. [e] *Canis caninam non eſt*. [f] Diabolus diabolos non vexat: ſolus olor olorem eſt, & apes aliquando præliantur, atque alia pauca animalia ſpeciei ejuſdem inter ſe diſſident: & nec iſta aliter tamen, quam ſi ita tulerit res, ut notat Ariſtoteles. Qui & hoc notat, ritum ſic eſſe hominum, ut inter ſe ſint infeſti, ſi res tulerit. Quæ alia cauſſa eſt, non naturæ. Amicitiæ, atque inimicitiæ in belluis victûs, vitæque ratione exiſtunt. Sic & efferatiſſima degunt collegio, etiam ferociſſimus leo paſtus, & fame vacans, facilis, mitiſque cum ſuis eſt; etiam quæ diverſæ ſpeciei ſunt, ſi abunde ſit cibarii, in pace agunt. Alioqui & ſuos pullos expellunt: ut aquilæ quarum paria ſingula tenent propterea longum tractum: neque ullo pacto patiuntur vicinos. Si abunde non eſt gloriæ, dominationis cupiditati hominum ſine fundo: hoc non naturæ jus, ſed eſt vitium. Nunc Græcorum illa partitio & ſuperba erat, [g] & Græcis ipſis damnata, [h] & nec ſatis antiqua. [i] Sed & Hebræi damnati ſunt aliis, quod ſe ipſos partem hominum duxerunt, & a reliquis ſe ſejunxerunt. Sane hæ naturæ nec Græcis, nec Hebræis eſſe debuerunt ad hoſtilitatem cum reliquis, ut de hac nos quærimus in præſentia. Populus alioqui Dei rectiſſime ab omni gente diſtinguebatur unus: [k] & *inter Babylonem, & Hieruſalem nulla pax eſt, ſed guerra continua*: ut Bernardus ait. Si vere cauſſæ eſſent a natura, omnino juſtum & bellum ex ipſis eſſet. Sed non ſunt hujuſmodi cauſſæ. [l] Natura homines inter ſe inimici non ſunt. Sed actiones, & mores; ſive ſimiles, ſive diſſimiles, in concordiam, vel diſcordiam nos inducunt. Dicunt, neque amicos naturâ, quam partem ego non ſequor. [m] Nec igitur juſte Hiſpani aut hanc cauſſam, aut illam religionis obtenderunt bello Indico, non barbari contra Græcos, non Græci contra barbaros. Niſi quia & Græcis, & barbaris tum receptum præterea, ut hoſtes eſſent. Quæ alia cauſſa eſt, & forte tamen a natura non longe eſt: nam ab educatione eſt, quæ altera

a *Priſc. lib. 5.*
b *Arnob. 1.*
c *Agat. 2.* *Co. ge. Got.*
d *Bod. vit. de rep. 5.*
e *Ariſt. 9. hiſt. 1. 2. 18. 22. 24. 40. 44.*
f *Bertach. Judæi, Mar 3.*
g *Pla. Polit. Str. 1.*
h *Thuc. 1.*
i *Dio. 37.*
k *Ber. ſent.*
l *Demoſth. adv. Ariſtoc. Proc. 2. Vav.*
m *Vit. relect.*

a *l. 5. de capt.* tera natura est. Atque ita hæc sunt. [a] Et dixit ergo Pomponius non eam gentem esse nobis hostem, cum qua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitiæ caussa factum habemus. Hic tamen aliquid præterea dicit, quod contrarium his sit, *hi hostes quidem non sunt*, ait: *quod autem ex nostro ad eos pervenit, illorum fit: & liber homo noster, ab eis captus, servus fit & eorum, idemque est si ab illis ad nos aliquid perveniat, hoc quoque igitur casu postliminium datum est*. Immo stare hæc simul quî possunt, ut hostes non sint; & sit tamen servitus, & postliminium? [b] Adde quod scribit Proculus. *Non dubito, quin fœderati, & liberi nobis externi sint, non inter nos, atque eos postliminium esse, etenim quid inter nos, atque eos postliminio opus est, cum & illi apud nos & libertatem suam, & dominium rerum suarum æque atque apud se retineant: & eadem nobis apud eos contingant.*

b *l. 7. de capt.*

c *Cuj. 11. obs. 23.* [c] Sane autem non una tentatur via, ut isti jureconsulti non pugnantia dixisse videantur. [d] & Cujacius eo tandem devenit, ut dicat, dissensisse jureconsultos. Ego malim considerare fœdera dupliciter, uno modo si sic contrahitur cum gente aliqua externa, ut bellum cum ea non sit, aut ut finiatur, si quod nunc est: nihil præterea adjectum est: non præterea conventum de amicitia est, altero modo quum præterea & amicitia contracta est: & hoc posteriore casu locutus sit Proculus, & exempla occurrunt passim. In priore vero loquatur Pomponius, quod & verba ipsius ostendunt, *neque fœdus amicitiæ caussa factum habemus*, scilicet non sit satis, fœdus factum nisi & sit factum amicitiæ caussa, & ita cum Pomponio accipe illa apud Festum, *Cum populis liberis, & confœderatis*, non tamen amicitiæ caussa, *& cum regibus postliminium nobis est, uti cum hostibus*. Atque hujus confœderationis, quæ habet tantum cessationem armorum, exempla hodie nobis cum Turcis sunt. Sic domui Austriacæ, & aliis, ut bella desinerent, & publica quædam esset pax, & cessatio ab armis illis justis, id est bellicis: cæterum si qui Turca ad nos perveniisset, aut inter depopulandum captus fuisset, is servus sit, & contra si Christianus ad illos perveniisset. Et sic impetrari fides publica securitatis utrinque solet. Si qui nostrum ingredi eorum fines, aut aliquis eorum ingredi nostros velit, exempla olim extitisse, non dubito Romanis cum Germanis, & Parthis, & Lusitanis. Quia vero illud Proculi sollemne erat: [e] ideoque generale caput initiis

d *Cuja. 2. obs. 23.*

e *Briss. 4. form.*

fœ-

fœderum apponi consueverat, AMICITIA ESTO: propterea Proculus nec expressit ad fœderatos. At Pomponius, ne verba sua de fœdere sollemni caperentur, id de non amicitia exprimere habuit. Videlicet & sic sine amicitia essent aliquando fœdera: aut cur sic dicere voluisset jurisconsultus? Et de jurisconsultis his hactenus. De re ipsa sic respondendum videtur, esse a ratione remotum ut in publica pace sit privatis injuriis locus, [a] & quidem barbaricam feritatem dicunt leges, & injuriam, ut citra bellum quis servus fiat; [b] & itaque non receptum postea sit jus (ut Bodinus tradit) propter illam, quæ homini cum homine intercedit, humanitatis rationem. Quod tamen de non recepto jure non video. Sed id est, quod quærimus, ut a natura bellum esse nullum sentiamus. Et est fere a natura tamen nobis cum Turcis, ut Græcis cum barbaris fuit. [c] Cum Saracenis (hi Turcæ) bellum nobis irreconciliabile. Cum aliis externis sunt etiam commercia: certe non est bellum. non est bellum propter religionem, non a natura cum aliis, & neque cum Turcis. Sed est cum Turcis bellum: quia illi ferunt se nobis hostes, & nobis insidiantur, nobis imminent, nostra rapiunt per omnem perfidiam, quum possunt, semper. Sic justa semper causa belli adversus Turcas. Non eis frangenda fides est: non. non inferendum bellum quiescentibus, pacem colentibus, in nos nihil molientibus: non. Sed quando sic agunt Turcæ? Silete theologi in munere alieno.

a *l. ult. C. de post. l. 19. D. de capt.*

b *Bod. 1. de rep. 7.*

c *Alex. 7. cons. 130. Cuja. c. 21. de testi.*

CAP. XIII.

De necessaria defensione.

QUamquam autem dico, causam a natura nullam belli existere: sunt causæ tamen, propter quas natura duce bella suscipimus, [d] ut est causa defensionis: & quum bellum suscipitur, quia aliquid negetur dari, quod ipsa tribuit natura, & itaque, quia jus naturæ violatur, bellum suscipitur. Sed defensionem dicemus aliam necessariam, aliam utilem, aliam honestam: omnem tamen existimaverimus necessariam. [e] *Qui se defendit, dicitur necessitatus*, nec distingui vult Baldus, sive se, sua, suos defendat, sive prope, sive posita longe. [f] Necessaria defensio ejus est, & factum ad necessariam defensionem, contra quem

d *Cic. 2. de sent.*

e *Bal. 3. cons. 458. & 5. cons. 405.*

f *Clar. §. homicidium.*

quem veniat armatus inimicus : & ejus , contra quem inimicus
a *Bal. ad l. 32. loc. Jaſ. Dec. l. ult. vim.* separabat.[a] Et huic deberi auxilium per fœdus , docet idem Baldus vere : quem alii etiam probant . [b] Hoc ſuſceptum dicemus
b *App. Mitr.* bellum contra Mithridatem olim : & contra maximos apparatus ejus. Neque enim expectare ſapientes oportuiſſe, dum ille hoſtem profeſſus ſe eſſet : at in facta illius reſpici, quam in verba magis. Sic , neceſſitatem dum dicimus , proprie quidem non loquimur , at eam intelligimus , quæ in rebus humanis non rara eſt , & dici neceſſitas conſuevit : quæ poteſt nec neceſſitas illa vera , præ-
c *Liv. lib. 6.* cipia eſſe. [c] Ecce Tuſculani , intrantibus hoſtiliter fines ſuos Romanis , pacata omnia , & pacifica præbent , & portas urbis patentes , & cuncta amica : & ſe quidvis velle potius , quam bellum , declarant. Qua patientia pacem illico, nec multo poſt etiam ci-
d *Procop. 1. Goth.* vitatem impetraverunt. [d] Et eaſdem artes tenuit Amalaſſuntha , Gothorum regina : quæ legatis Juſtiniani , bellum minitantibus , reſponderit, nolle armis contendere : & eum , qui certamen non altero adverſante inierit , haudquaquam referre decentem victoriam.
e *Phi. de prin.* [e] Scilicet iniquiſſima eſt conflictatio, ubi parte altera agente pa-
f *Procop. 3. Goth.* titur tantum altera . [f] Et idem a legatis Gepidarum dictum , quod qui ſtare aliorum ſententiæ ſtudent , hi violari non ſine injuria poſſint . At hæc non pertinent ad juſtitiam . Nam juſta eſt defenſio , & cædes , etſi fugere occidens poſſit abſque periculo : & ita ſe ſervare , & ſive occiſor iſte , qui ſe defendit , ejus ſit con-
g *Clar. §. homicidium.* ditionis , cui ſit & dedecus fugere , ſive dedecus non ſit. [g] Quæ receptæ ſententiæ in cauſſis ſunt privatorum ; & mihi in publi-
h *l. 3. de juſt. l. 4. ad le. Aq. Cepb. conſ. 721.* cis multo magis probantur. [h] Defenſio etiam brutis jus eſt naturæ , [i] non opinione nobis , ſed innata quadam vi perſuaſum , & conſtitutum . Et neceſſarium jus eſt , nam quid eſt , quod contra
i *Cic. 2. Inv. 22. ſa. 3. k. c. 3. de ſe. exc. c. 18. de homicid.* vim (ait Cicero) fieri ſine vi poſſit ? Hoc ſuper omnia jura eſt probatiſſimum . [k] Vim vi repellere , omnes leges , & omnia jura permittunt . [l] Lex una , & perpetua , ſalutem omni ratione
l *Ammia. 23.* defendere . [m] *Omnis eſt honeſta ratio expediendæ ſalutis , hoc ratio doctis , neceſſitas barbaris , mos gentibus , feris natura ipſa præſcripſit . Et hæc non ſcripta , ſed nata lex .* Cum id genus aliis . Hic
m *Cic. pro Milo .* tamen de modo , & ratione defenſionis non dico , quod pertinet ad
n *Caſtr. l. 5. de juſt.* ſequentes libros . [n] Res etiam ut noſtras defendamus , neceſſaria (quod & diximus) defenſio hæc eſt , & juſta , hæc cauſa , etiam ſi bello petiti bellum promeriti nos eſſemus . Quæ alii , & Paullus Caſtren-

ſtrenſis docuere. Atque ſequor ego & illam addo rationem, quoniam jus, ſive vis belli non finitur conſecutione prius expetitorum: at pro victoris arbitrio ambulat. [a] *Quis tantundem contentus reponere vindicta, quantum accepit injuria?* ait Auguſtinus, & ſciunt omnes. Hoc vero arbitrium refugere omnes non ſubditi poſſunt juſte, & ergo ſe adverſum armis defendere. [b] Teſtes, judices repelluntur inimici: etſi cauſſam inimicitiis dederint hi, contra quos nunc agitur. [c] Exceptio, quod ipſe fuerit cauſſa inimicitiæ, non obſtat petenti, caveri ſibi, non offenſum iri. [d] *Arma tenenti omnia dat, qui juſta negat*: dicebat Cæſar. Nec de moderamine hic illo quæritur inculpato, ubi nec eſt ſuperior. Hæc itaque fugiuntur. Et itaque recta mihi Romuli dicetur cauſſa, qui adverſus ingruentes Sabinos bello ſe defendit: etſi quoque dederit ipſe cauſſam bello, & offenſioni, dum mulieres ſine more rapuit. Qua de re & diſputo late in ſecundo libro de armis Romanis. [e] *Vis neceſſitatis tanta eſt prementibus armis, ut quæ injuſta ſunt, juſtiſſima videantur*, bene Bodinus, [f] *Juſtum bellum quibus neceſſarium: & pia arma quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes*. [g] Ab omni videlicet lege neceſſitas extrema exemta eſt. Et tamen ad iſtam extremam neceſſitatem non cogo præſentem definitionem, aut extremam capio (ut dixi) pro conditione rerum hominum. [h] Eſto enim nec ſit neceſſitas, quæ non neceſſitas eſſe poteſt: potuerit bellum vitare Romulus, raptas reddendo, attamen defendere ſe etiam potuit adverſus hoſtes mox adventantes. Non mihi mora eſt in iſta definitione. Nam illa eſt quæſtio ſpectans ad cives, [i] ſi, qui offendi bannitus impune poteſt, is defendere ſe poſſit tamen.

a *Aug. 19. cont. Fau.*

b *Jaſ. l. 15. C. de in re.*

c *Rip. rub. de da. inf.*

d *Con. reg. peccatum, p. 2. §. 9.*

e *Bod. 5. de rep. 5.*

f *Liv. lib. 8.*

g *c. 23. de v. S.*

h *Ter. de caſt.*

i *Caſtr. l. 1. de juſt.*

CAP. XIV.

De utili defenſione,

UTilem dico defenſionem, quum movemus nos bellum, verentes, ne ipſi bello petamur. [k] Non celerius quiſquam opprimitur, quam qui nihil timet: & frequentiſſimum eſt incitium calamitatis ſecuritas. Hoc primum. Deinde expectare non debemus præſentem vim, ſi futuræ occurrimus tutius. [l] *Maior ſpes, majorque animus inferentis vim, quam arcentis*: & rurſus, *Plus animi inferenti periculum, quam propulſanti*: Livius: [m] & Vege-

k *Pater. lib. 2.*

l *Liv. 21. 28.*

m *Vege. lib. 3.*

a *Niceph. lib. 5.*

tius, *Si semel hostis prævenerit, metu universa turbantur*: [a] oportet igitur, (quod Nicephorus, non contemnendæ auctoritatis historicus) qui citra periculum velint vivere, eos occurrere impendentibus malis, & antevertere: nec esse cunctandum, aut expectandum, ut acceptam injuriam cum periculo ulciscaris, si in præsentia crescentis plantæ radicem præcidere possis, & adversarii male cogitantis conatus opprimere. [b] Et Suida, immo Demosthenes, non esse cunctandum, sed bellum urgendum, ne priores affecti injuriis vim propulsare cogamur. [c] Hoc (ut Latinus Demosthenes ait, Cicero) dedecus quoque, ut si possis prævenire futuris, velis præsentibus opitulari malis. [d] Etiam rudis ille adolescens, (sic natura ipsa jus hoc præscribit) *Malo ego, nos prospicere, quam ego hunc ulcisci accepta injuria*. [e] Philo autem bellissime, quod serpentem occidimus ad primum aspectum statim, etsi ille nos non læsit, nec lædet fortassis: ita enim nobis præcavemus, prius quam se commoveat. Nam tibi sum nimius in istis nominandis auctoribus: qui nec auctores nostri sunt? Sed variorum, atque multorum auctorum consensus ratio magna est: etiam cum auctoritate cujusque rationem semper audimus aliquam: etiam auctores isti hic sunt maxime nostri, harum rerum, quas tractamus, peritiores: [f] etiam Cicero eximius fuit jurista, ut ait Baldus, & eum allegat: summus non solum fuit orator, sed etiam jurisconsultus, ut inquit Duarenus. Aut quisquam ne est, qui ignoret? Illud est forte verendum magis, ne apertam aperire rem, certam frustra confirmare velim. Neque omitto tamen, quæ proverbiorum quasi locum tenent: adeoque multum probant, quod significant: [g] *Venienti occurrite morbo. Principiis obsta: sero medicina paratur. Neglecta solent incendia sumere vires*. Ecce deque auctoribus juris. [h] *Melius est intacta jura servare, quam post quærere medicinam. Melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicari*. [i] Prævenire licet. Parantem offendere offendo licite: & id genus reliqua, quæ magis ad humanitatem definita dicuntur, & judiciis comprobata. [k] Nemo exponere debet se periculo. Nemo expectare debet, se percuti, nisi sit fatuus. Obviam offensioni eundum non modo quæ est in actu, sed ei quoque, quæ est in potentia ad actum. Vim vi repellendam, ac propulsandam; adeoque non expectandam: in qua etiam expectatione & sunt alia supradicta certa incommoda, & id quod in causis tra-

b *Dem. 1. ad Aristog.*

c *Dio lib. 45.*

d *Tert. 4. Eunu. 6.*

e *Phi. de sp. le.*

f *Bal. l. 1. de just. Duar. l. 1. de past.*

g *Pers. sat. 3. Ovi. 2. de Po. Hor. ad Loll. ep. 1.*

h *C. lib. 2. tit. 41. l. ul. lib. 3. tit. 27. l. 1. & C. T. de Sica. l. 1.*

i *Bal. 4. cons. 111. Jas. l. 3. de just.*

k *Bal. 1. cons. 369. 4. 312. Alex. 1. 144. Cla. §. homicidium, Zas. l. ut vim.*

traditur privatorum, ne forte primum ferendo ictum, concidamus; ne aut fugiendo cedamus, & opprimamur jacentes. Sed nec fugere eſt vim repellere. Itaque ratio a verbis, itaque ſumta a rebus ipſis ſic eſt. Et hæc quoque illi noſtri. Quæ clara, & explorata, & bellicis tractationibus multo aptiſſima. Quod ſequitur, habet dubitationem: quando res eo veniſſe videtur, ut jam ſit ad utilem iſtam defenſionem procurrendum. [a] Juſta cauſſa metus requiritur: ſuſpicio non eſt ſatis. [b] Juſtus autem metus definitur timor majori malitatis: quique merito in homine conſtantiſſimo cadat. Ego tamen in magna hac cauſſa imperiorum non facile definitionibus iſtis nunc adquieſco privatorum negotiorum. Nam ſi quid privatus in privatum admiſerit, id mox reſtitui per magiſtratus imperium poteſt: at quod Princeps patrarit in Principem, nemo reſtituet. Sed neque in iſto timoris argumento nunc eſt differendum ab illis metus definitionibus: quæ non ſunt, ut doceant, quid ex metu futuræ malitatis facere nos oportet, ut malitatem (quod hic quærimus) avertamus: ſed quid, ſi metum paſſi ſumus, & aliquid propterea egimus in noſtrum detrimentum ſuperſit nobis juris adverſus factum noſtrum, & adverſus metum nobis illatum. Hic definitiones ſumendæ potius de tractatu [c] alio juris civilis ſunt, proſpicientis, ne damnum detur, & quod ita proſpicit, ut curet, caveri etiam quum fieri poteſt, ut nihil accidat damni: etiam etſi non magna, evidensve cauſſa timendi ſit: etiam ſi periculum vere non ſit, ſed cauſſa tantum timoris juſta. Non etiam (quod eſt [d] apud Euripidem,) cum quis metuit, cum non convenit. Alioqui quis eſt, qui prohibere poſſit, quominus quis umbram horreat ſuam? Sic audio Ciceronem, [e] *Non quæro, fueritne aliquid pertimeſcendum: puto, arbitrio ſuo quemque timere oportere.* Sic illa Marii ad Ciceronem, hoc etiam ſervis ſemper fuiſſe liberum, ſuo potius, quam alieno timerent arbitrio. Etiam quod ait lex, antes hic. [f] Non præſcribendum, cur quis metuat. Illa ſic ſunt Ciceronis, *De tantis periculis cum quærerem omnia, multa audirem, non crederem omnia, caverem omnia.* [g] Quod & Seneca, *Cum magna horreas, quæ poſſe fieri non putas, metuas tamen.* Scilicet id hic eſt admittendum, quod de majori malitate eſt: & de quo poſt dicemus. At de præveniendo ſunt apud Gellium notabilia, [h] *In omnibus rebus cavendis non eadem cauſſa: neque hu-*

a *Dec. conſ.* 603.
b *l. 5. 6. quod met. cau.*
c *De damn. inf. & l. 27. loc.*
d *Euri. Troa.*
e *Cic. pro do. pro Syl. & 11. fa.* 28.
f *l. 4. ad Tre.*
g *Sen. 1. Oed.*
h *Gell. lib. 7. c. 3.*

humanæ vitæ negotia, & actiones, & officia, vel occupandi, vel differendi, vel ulciſcendi, vel cavendi. Gladiatori compoſito ad pugnandum, pugnæ hæc propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit; aut occumbere, ſi ceſſaverit. Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circumſcripta eſt, ut iccirco prior injuriam facere debeas, quam, niſi feceris, pati poſſis. Et Cicero. [a] *Quis hoc ſtatuit unquam, aut cui concedi ſine ſummo omnium periculo poteſt, ut eum jure potuerit occidere, a quo metuiſſe ſe dicat, ne ipſe poſterius occideretur?* Sed recte tamen Mitilenæi contra Athenienſes, [b] *Si cui videmur injurii, quod priores defecimus, non præſtolantes, dum plane cognoſceremus, ſi quid illi nocerent: is non recte conſiderat, nam ſi ex æquo valuiſſemus, & tendere illis inſidias viciſſim, et cunctari potuiſſemus tuto: tum ille diceret verum: at cum penes eos ſemper ſit facultas nocendi: penes nos hoc decuit eſſe, ut defenſionem anticiparemus.* Quid rurſum poſtulamus Bartolos, Baldos: quorum aut nudis nominibus adquieſceremus? & defenſionem Reipublicæ nobiliſſimæ, immo Thucididis, hominis nobiliſſimi, & ſapientiſſimi ſententiam, ratione communitam, pluris non faciamus? Cum autem non una probabilis timendi cauſſa ſit: & generaliter de ea definiri nihil poſſit: hic dicemus tantum, quod ſemper fuit valde conſideratum; & hodie, & deinceps conſiderandum eſt, ut principibus potentibus, & ambitioſis obviam eatur: illi enim nullis contenti finibus, omnium aliquando fortunas tandem invadent. [c] Sic Romani movent bellum contra Philippum: ne ſubacta is Græcia moveret in ipſos prior. [d] Sic Lyſimachus, ubi Demetrius regnum adeptus fuit, ne ſe ille provocaret metuens, primus arma commovit: & ſciebat, paternum Demetrio ineſſe de promovendo imperio cogitare ſemper. [e] Sic Lacedæmoniorum legati monent regem Siciliæ ad bellum: quia victis reliquis Græcis, Perſa, & in Siculos arma veriſimiliter moturus eſſet: *nobis opem ferendo temet tutaris*, ajunt. [f] Sic ipſi Lacedæmonii ab Acanthiis perſuaſi, bellum ſuſcipiunt contra Olynthios: qui ſubigendo vicinos undique, & ad remotiora ſemper progrediendo, finem bellorum non faciebant, & potentiæ amplificandæ. [g] Sic Campani pro Sidicinis contra Samnites; & inquiunt, *Pugnavimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis: cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & ubi conflagraſſent Sidicini*

a Cic. pro Quinct. lib. 5. c. 13.

b Thuc. lib. 3.

c Zonara.

d Pauſ. lib. 1.

e Hero. lib. 7.

f Xenop. 5. Græc.

g Liv. lib. 7.

dicimi, ad nos trajecturum illud incendium esse. Quæ & Hermocrates, justus vir Syraculanus, [a] *Arbitratur aliquis nostrum, remotiore vicino jam subverso non deventuram in se quoque calamitatem?* [b] Sic Perseus, sic Mithridates adversus potentiam Romanorum monebant alios, & invocabant. [c] Neque enim occasiones desunt belli his, qui ad imperium contendunt, & jam odiosi propter potentiam sunt: quod suis his Romanis ait Appius alicubi: & verissimum apparuit: nam sociis, atque amicis auxilia mox ferendo nacti imperium orbis sunt. [d] Sed hæc plura exempla, quæ & alii sic adnotarunt; & quæ sic nobis declarant jus, quod quærimus gentium. Turcis illinc, Hispanis hinc, meditantibus ubique dominatum, & molientibus, non obsisterent omnes justissime? Non quidem facit multis Turca injuriam, & nec Hispanus: neque id ille potest, aut iste: sed quibusdam facit: [e] atque uni qui faciat, is plurimis minitatur. Expectentur arma ipsa? Audivimus de Turcis ante, & omnes cernimus. [f] De Hispanis si quis non cernit, is audiat a P. Jovio, impotentia & istorum esse ingenia, atque avida imperandi, quique cum irrepserint semel, ad summam semper potentiam artibus cunctis intendunt. Obsistendum igitur: [g] & cavere satius est, ne homines augentur nimium potentia, quam contra potentiores postea remedium quærere. [h] *Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine*; cur non ista Hieronymi & hic apta? Obsistendum communiter periculo communi. [i] Etiam separatissimos congregat communis timor, ut a natura sic est inditum: & de Aristotele docet Baldus noster. [k] *Atque sic est ratio imperiorum, ne noceri possit*; ut probe quisquis ille apud Dionysium, nihilque verius, & velut ab oraculo profectum: judicio Bodini. [l] *Posse nocere, fat est. Quodque potest alios perdere, perde prior*; apte hic poeta ingeniosus. [m] Et pergrave est scilicet, posse nos injuriam pati, etsi non patiamur, quod Plutarchus. [n] Et Baldus, quod licet facere ad obviandum: nec debeat in potestate esse adversarii, si velit, & quod considerandum sit, quod offerit, quodque officere potest. [o] Etiam perseverantia concordiæ inter elementa sic ab æqua partitione est: & dum in nullo aliud ab alio vincitur. [p] Et id illud est, quod sapientissimus, & pacis studiosissimus, ac pacis pater, Laurentius ille Medices procuravit semper, ut res Italorum principum paribus libratæ ponderibus

a *Thuc. lib. 6.*
b *Sallu. frag.*
c *Dion. lib. 9.*
d *Bod. 5. de rep. ul.*
e *P. Syr.*
f *Jov. lib. 1.*
g *Ari. 5. Pol.*
h *Hier. epi. 2.*
i *Bal. 2. conf. 266.*
k *Dion. lib. 6.*
l *Ovi. 5. Fast.*
m *Plut. Pomp.*
n *Bal. 2. conf. 195. 202.*
o *Apul. de mun.*
p *Polit. ep. 1. Guic. lib. 1.*

ribus forent, unde & Italiæ foret pax, quæ & fuit eo vivo, & cuſtode hujuſce temperationis: & quæ deſiit pax, quum deſiiſſet ille, & illa temperatio. Magna proles Medicea, & urbi ſuæ, & Italiæ reliquæ præſidium magnum. Non hoc agit etiamnum, ne unus poſſit omnia, & Europa univerſa in unius nutum deveniat? Niſi ſit, quod obſtare Hiſpano poſſit, cadet ſane Europa. [a] *Ut medium ſi quis vellat de fornice ſaxum, incumbunt cui cuncta, ſimul devexa ſequentur cætera.* [b] Non: non hoc permittendum eſt unquam, ut cujuſquam principatus in tantum creſcat, ut neque de manifeſta injuſtitia liceat apud eum dubitare, quod Polybius ait; & ait, quod Hiero propterea Carthaginenſes in bello juvit contra mercenarios, ne Carthaginenſibus oppreſſis Romani omnia poſſent. [c] Sic Livius de diverſis hominum ſtudiis ſuper bello Romanorum, & Perſei, quemadmodum alii huic, alii illis faverent, tertia autem *pars optima, & prudentiſſima* eorum eſſet, qui neutram partem vellent fieri potentiorem oppreſſa altera: ita enim futuros ſe optima conditione, protegente altero ſemper ab alterius injuria. [d] Et hæc ingenue M. Cato pro Rhodienſibus: qui odio Romanis, quaſi voluntate ſaltem, votiſve faviſſent Perſeo, *Noluerint nos regem viciſſe, ſed & multi alii populi, & multæ nationes: atque partim non noſtræ contumeliæ cauſſa, ſed quod metuerent, ſi nemo eſſet homo, quem vereremur, quicquid liberet faceremus & unuſquiſque noſtrum, ſi quis adverſus rem ſuam quid fieri arbitratur, ſumma etiam vi contra nititur, ne adverſus eam fiat.* Id apud Rhodios ſic diſſeruerat legatus Perſei, agendum, ne omnium rerum jus, ac poteſtas ad unum populum perveniret. Addit Cato de voluntate tanto minus punienda: quod videri certius debet. [e] Et non contradicit Cæſar: qui de bello inferendo regi Arioviſto ſic diſputat, puniendum antequam potentior fieret, & intulerit quicquam mali: etiam quia vel inferre malum cogitaverit. Neque enim de nuda cogitatione, & voluntate nuda accipere hoc oportet: ſed de ea, quæ aſſumto actu. [f] Quod eſt alibi declaratum. Verendus jam in Galliis ille erat Romanis rex: & ejus arma periculum minitabantur. Prudenter igitur, & juſte Cæſar ratus eſt, nihil eſſe differendum ulterius, quin armis arma compeſceret. [g] Helvetii nuper ſapientiſſime, neque Gallo, neque Cæſari ſe fauturos, at ſervaturos fœdera cum utroque, donec arma eorum periculoſa

Hel-

a *Auſ. eclog.*
b *Polyb. lib.* 1.
c *Liv. lib.* 42.
d *Gell. lib.* 7. c. 3.
e *Dio, lib.* 38.
f *l.* 225. *de V. S.*
g *Jov. lib.* 34.

Helvetiæ non fuerint reipublicæ. Sed concludo. Defenſio juſta eſt, quæ prævenit pericula jam meditata, parata; etiam & nec meditata, at veriſimilia, poſſibilia: neque tamen ultimum hoc ſimpliciter: aut dicerem juſtum., dare operam bello huic ſtatim, atque aliquis fieret potens nimis: quod non dico. Quid enim ſi principi alicui potentia iſthæc augeretur ſucceſſionibus, electionibus? Num tu eum bello turbabis, quia periculo tibi eſſe ejus potentia poteſt? Aliud addendum eſt pro juſtitia. Addemus nos aliis, qui quid juſti habent. Audi.

CAP. XV.

De honeſta defenſione.

SUpereſt de honeſta defenſione, quæ citra metum ullum periculi noſtri, nulla indulgentia noſtra, nulla utilitate quæſita, tantum in gratiam aliorum ſuſcipitur: [a] & fundamento illi inmititur, quod cognationem, & amorem, atque benevolentiam, & benevolentiæ vinctionem (ait M. Tullius) inter homines natura conſtituerit: & quod gentium jus ſitum eſt in generis humani ſocietate: [b] quod propterea etiam appellatur civile a Cicerone. [c] Sic ſcilicet Stoici voluere, civitatem totius mundi unam eſſe, & omnes homines populares, municipeſque & veluti armentum unum compaſcuo in agro compaſcens. [d] Omne hoc, quod vides, quo divina, atque humana concluſa ſunt, unum eſt, membra ſumus corporis magni, & mundus unum eſt corpus ſcilicet. Natura autem nos cognatos edidit: eum ex iiſdem: & in eadem gigneret. Hæc nobis mutuum indidit amorem, & ſociabiles fecit. [e] Atque ſocietas hæc noſtra lapidum fornicationi ſimillima, caſuræ, niſi invicem obſtarent, & ſuſtinerent ſe lapides, quod præclare Seneca; [f] & quod Gellius, quaſi mutuo adverſu, & ſulta nixu conſiſtit. [g] Hæc rerum concordia diſcors: ut ait Horatius, atque nos etiam antea. Nunc vero audis, totum mundum eſſe corpus unum, & homines omnes membra eſſe hujus corporis, & mundum domum eſſe audis: & eſſe civitatem. Quæ audi rurſus, nam pulchra ſunt. *Mundus domus eſt maxima rerum*, ſic Varro. [h] *Si ſociale animal homo eſt, & in commune genitus, mundum ut unam domum ſpectat*. Sic Seneca iterum. [i]

a *l. 3. de jn. & ju.*
b *Cic. 3. de fi.*
c *Plut. de vi. Alex.*
d *Nic eph. Gr. lib. 4.*
e *Sen. ep. 96.*
f *Gell. lib. 6. c. 1.*
g *Hor. ad Icc. ep. 1.*
h *Sen. ide. de benef.*
i *Lact. de ira Dei, c. 10.*

Mundum dicit rempublicam : Lactantius [a] Magnam civitatem : unam reipublicæ formam, & unum jus habentem : Philo. [b] Omnium unam rempublicam, & communem omnium civitatem; Tertullianus, Minutius. [c] Urbem majorem etiam Aristoteles. Quantum consensum sapientum? Adde de societate, quod Cicero. [d] *Societas est, (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissime quidem quæ patet, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt: propior eorum, qui ejusdem civitatis:* & alibi; *Ita nati sumus, ut inter omnes sit societas quædam: major autem, ut quisque proxime accedit, cives potiores peregrinis, propinqui alienis.* [e] Et tres ita Augustinus notat societates, primam domus, secundam urbis, tertiam orbis, atque ait, conjunctas in orbe gentes per societatem humanam. Quid vero ista societas, & conjunctio? *Bonis inter bonos quasi necessaria benevolentiâ qui amicitiæ fons a natura constitutus, sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet, non enim est inhumana virtus, neque immanis, neque superba, quæ etiam populos universos tueri nolit:* scribit Cicero: [f] & Ambrosius, *Lex naturæ ad omnem nos stringit caritatem, ut alter alteri, tanquam unius partes corporis deferamus,* [g] & ita etiam Baldus, quod nostris, extraneisque nati sumus propter vinculum caritatis. *Qui civium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communionem, & generis humani societatem:* etiam Cicero. [h] quod & retulit, & adprobavit Lactantius, [i] & idem Cicero, *Spurca eorum sententia, qui ad se omnia referunt.* Sane spurca: [k] nam societati homo natus, [l] & ejus officium juvare alios, non sibi soli vivere. Atque nomine hoc philosophos condemnabat Cicero, quod dum altero injustitiæ genere vacarent, atque maximam quidem (ut [m] alius scribit vir sanctior) partem æquitatis implerant, ne cui nocerent, in alterum incurrerent, quod delererent vitæ societatem, desererent justitiæ partem alteram, prodesse cum possis. [n] *Nonne vides, operum qui se pulcherrimus ipse mundus amore ligat?* [o] Jure naturali tenemur (sic interpretes juris) ultro, citroque commodi esse, [p] & idem tradunt, æquiparatam defensionem suorum; & extraneorum, maxime vero sociorum: a quibus propulsanda injuria est, & defensionem istam divini, atque humani juris esse: [q] & Plato puniendum censet eum, qui vim alteri illatam non propulsat. Quod autem Plato, & illi interpre-

[a] *Phi. Jose.*
[b] *T. Apol. M. Oct.*
[c] *Arist. de mu.*
[d] *Cic. 3. de Off. & Læl.*
[e] *Aug. 19. de civ.*
[f] *Ambr. 3. de Off. 3.*
[g] *Bal. C. de pri. do.*
[h] *Lact. 6. Instit. 6.*
[i] *Cic. 7. Att. 2.*
[k] *Arist. 1. Pol. & Psal. 107. 122.*
[l] *Gal. 6. & 1. Petr. 4.*
[m] *Hier. ep. 14.*
[n] *Claud. 4. cons. He.*
[o] *Rom. cons. 420.*
[p] *Dec. cons. 460. not. 1. 3. & 5. de just.*
[q] *Pla. 9. de legib.*

tes

tes in privatis civibus ajunt, id nos ad principes ſpopuloſque ducimus probe, quoniam quæ ratio privati civis in privata civitate eſt, eadem in publica, & univerſa hac Orbis civitate publici civis, hoc eſt principis, & populi principis eſt. [a] Sicut ſe habet privatus ad privatum, ita princeps ad principem, inquit Baldus. [b] *Homo homini in majore civitate civis eſt: & in adjutorium mutuum creatus:* ait Seneca. Atque quia unum ſumus corpus, ſi membrum nocere membro velit, ut alia adjuvarent læſum, quoniam ſingula ſervari, totius intereſt, etiam lædentis: ita homines hominibus aderunt auxilio, nam adſervari ſocietas, niſi amore, & cuſtodia partium nequit. [c] Veſpaſianus, qui auxilia neſcio quibus negat hoc prætextu, quod alienarum rerum cura ſibi non conveniret, probari non poteſt. [d] *Quis enim eſt bonus, qui facit nihil niſi ſua cauſſa?* iterum Cicero: [e] & Lazi regi Perſarum, non eum propterea eſſe juſtum, quod faceret injuſte nihil, niſi & injuſte oppreſſos defenderet, & vero ſic auxilia, & exercitus contra Romanos impetrarunt. Non aliena homini res eſt, hominum tueri rem, & ſalutem. [f] Dixiſſet idem Cicero, *ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet*: quæ cuivis homini a quovis hoc ipſo debetur, quo homines æque ſunt: & alterum alteri communis omnium mater natura humana commendat. Multa hic ſunt. [g] Nobile exemplum barbari regis Mauritaniæ eſt: qui, cum audiſſet, hoſtem ſuum Alphonſum, Caſtellæ regem, armis filii premi, & fere opprimi, ingentem auri copiam miſit ad Alphonſum, ipſe etiam in Hiſpaniam cum magna militum manu ſe trajecit, rem indigniſſimam accuſans, ut filius patrem regno pelleret: addens autem, victoria parta Alphonſo futurum ſe iterum eidem hoſtem. Quid? Metuo barbaros, hoſteſque, & dona ferentes? [h] Factum inimici accipi in malam partem? Et verum ait Guicciardinus, non hæc fieri a quoquam abſque ſpe alicujus emolumenti? Guicciardini dictum vituperatur a nobili Montagneo in nobilibus illis ſuis (dicam Latine) ſpeciminibus. Mitto. Quæro, quid juris ſit. Quæſtio eſt, ſi jure quis tenetur, alium defendere, cum poteſt: & negare communiter videntur: [i] & ait aliquando lex, nos aliena negligere ſine culpa poſſe. Cæterum noſtra propria quæſtio eſt, ſi juſte quis poſſit ſic alium defendere: [k] in qua nemo negat juſtam defenſionem: etiam pro extranei defenſione licet alterum occidere,

[a] *Bal. 2. conſ.* 195.
[b] *Sen. 1. 2. de ira.*
[c] *Xiphil.*
[d] *Cic. 7. fa.* 12.
[e] *Procop. 12. Perſ.*
[f] *Cicer. pro Quin.*
[g] *Juſt. Ge.* am. 3.
[h] *l. 6. de exc.*
[i] *l. 21. de be. vel. ac. ve.*
[k] *Caſtr. l. 1. de juſt. Al.* 7. 17. 27. *Clar. §. fi. q.* 87. *& §. homicidium Dec. conſ.* 678.

sententia ab omnibus doctoribus adprobata. [a] Etiam adprobatur defensio ejus, qui se defendere negligit, imo defendi, ab alio recusat, sive necessarius defendat, sive alius, etiam inimicus: & humanitatis sic ratio dicitur: [b] & sic beneficium conferri in invitos sæpe. Sic & plures aliæ definitiones sunt. Sed & argumento non satis firmo concludunt eo modo in alia quæstione: quod accipere quis possit pecuniam pro altero defendendo: quam acciperet turpiter, si jure teneretur defendere. [c] Nunquid enim servusque præmium ejus non consequitur, quod impune non omitteret tamen? Neque turpiter datur, neque turpiter accipitur gratitudinis ergo: non per civem a civitate, non per filium male sic accipitur a patre. [d] *Enimvero constat, nonnulla nec fieri sine gloria, & posse non fieri sine culpa: ideoque si fiant, digna esse præmiis, non tamen suppliciis, si non fiant. Et rursum, quædam per contrarium neglecta quidem offensam contrabunt, sed impleta gloriam non merentur.* Sic Bernardus. Quibus ego addo medium, *quædam esse, quæ neglecta offensam contrabunt, & impleta præmium merentur.* [e] Sed & in foro conscientiæ immo teneri hominem ad hominis defensionem volunt. [f] Conscientia autem est arbitrium boni viri, immo optimi. Sed & in ratione honesti hoc idem tradunt, & nos hic honestum sectamur, & illud arbitrium. [g] Sed & in jure civili, & in canonico contra reliquos sic inclinat Bartolus, & docent Albericus, Igneus, Decius, Alciatus, Molineus. [h] Et Baldus eleganter, quod culpa sit, defensionem alterius omittere, sui dolus. Quæ & alibi censet. Huc Plato totus accedit. [i] Hoc & Siracides. *Eximе eum, cui fit injuria, de manu injurii.* Et hic ego quoque sum, præsertim si, quod addunt supradicti interpretes, defensio non sit cum periculo defendentis. [k] Nam in periculo se ponere nemo tenetur, nemo sic tenetur adversus incendium succurrere. [l] Audis alioqui Constantinum, quod qui ex præscripto Dei vivunt, aliis illatam, suam injuriam esse censent. Vide, quod & Romanos sic juvat contra Maxentium. Audi iterum juristam Baldi. [m] *Qui non defendit, nec obsistit injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.* Atque si hæc vera in privatis sunt, quanto magis in principibus vera erunt? Hi mutuo appellantque se cognatos, consobrinos, fratres. Tanto magis vera in principibus erunt, quanto, si privatus privatum non defendit, supereſt magistratus, qui ulcisci privatorum injurias, & emen-

a *l. 6. de app. Jas. l. 3. de ju. Dec. cons. 691. Ceph. 712. Cusa. 20. obs. 20.*
b *l. 39. de ne. g:. l. 1. seqq. de lib. ca. Cot. memor. beneficium.*
c *c. 11. dist. 45.*
c *l. 5. qui si. ma. ad li. per. Pla. 9. de leg.*
d *Bern. de Præp. & disp.*
e *Jas d. l. 3. Eug. cons. 86.*
f *Bal. l. ult. C. de ju. do. imp.*
g *Alc. d. cons. 27. Mol. ad Dec. l. 5. de reg.*
h *Bal. 4. cons. 111. l. 1. C. de fer. fug.*
i *Eccl. 4.*
k *Bal. l. 1. de off. pr. vi.*
l *Nic. Call. 7. hist. 29.*
m *Cic. 1. De Off.*

emendare damna poteſt: at, qui injurias, & damna principum ſarciat, nullus eſt, niſi is idem princeps, qui poſt malit malo medicinam ferre, quam a principio prohibere, fieri malum. Hæc vera. [a] Sed & illud potes cum Baldo, quod etſi hæc vera non eſſent ex philoſophia judiciorum: quæ de neceſſariis eſt: ſunt certe vera ex philoſophia morum; quæ eſt de perſuaſis, & quam nos ſequimur philoſophiam in toto hoc tractatu. Philoſophia judiciorum permittit, & ſe ipſum negligere, ut Baldus ſcribit. Quod ſi præterea, ut accidit fere ſemper, alia cauſſa ſpecialis adjungitur huic generali honeſtatis, ad juſtitiam accedet cauſſa propius. Sane vera ſit per me ſententia, ſolam hanc honeſtatis cauſſam fortaſſis nunquam quemquam impuliſſe in iſtam defenſionem honeſtam. [b] Vere dixerit Guicciardini os, principem neminem ſuſcepturum pro Piſanis bellum, niſi cupiditate inductum lucri ſui. Attamen id principibus eſt ignominioſum, & juſtitiam non ſapit. Malim autem cum Leone philoſopho. [c] *Novimus paucos admodum ſervare verum amorem; ejuſque unius gratia ad opitulandum calamitate implicitis excitari: contra autem longe maximum eſſe numerum aliorum, qui ſpe aliquid nanciſcendi ad auxilium indigentis accedunt.* Quod lenius eſt dictum, & puto verius. At ego aliud quæro. *Plena eſt juſtitia, quæ defendit infirmos:* [d] Sic Ambroſius, & jus canonicum, & ego iſtam juſtitiam quæro. Et Romani cauſſam hanc aliis cauſſis obtexuerunt, per quam moverentur ſæpe ad bella ſuſcipienda. [e] Manifeſta (inquit Dionyſius) Samnitici belli cauſſa defenſio Lucanorum: quæ honeſtatis ſpeciem haberet, tamquam communis, & patria Romanorum conſuetudo iis opitulari, qui ad eos confugerent; ſed occulta, & quæ magis cogebat, fuit magna Samnitium potentia: & futura major, ſi Lucani ſubacti fuiſſent. Sic utilis ratio latens: adeoque viſa nec ita proba, ut honeſta eſt, & tamen utilem quoque probam, & juſtam dicimus. Et juſtior altera per alteram efficitur: ergo quid ſi cari nobis, quos velimus defendere? [f] Propter caritatem, neceſſitudinem, qua alia ratione non omitti defenſionem, Ulpianus ait. A natura eſt defenſio eorum, qui nobis cari eſſe debent: teſte M. Tullio. Quid ſi ſocii, & fœderati? [g] *Qui non depellit injuriam a ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit*: Ambroſius. [h] Et ipſi nos lædimur, ſi ſocii noſtri læduntur: quod apud Livium. [i] Male Joannes Bodinus cenſet, non teneri ſocium, & fœderatum

a *Bal. l. 10. C. de op. le.*

b *Guic. lib. 1.*

c *Leo. nov. 40.*

d *Amb. 1. de off. 27. c. 5. 23. q. 3.*

e *Dion. fel de lega.*

f *l. 5. qui. ex. ca. in po. ea.*

g *Amb. 1. de Off.*

h *Liv. 31. 34.*

i *Bod. 5. de rep. ult.*

ſocio

ſocio auxilium ferre, ſi de auxiliis cautum in fœdere non eſt & contrarium oſtenditur nunc a nobis, atque etiam oſtendetur in tertio libro. Quid ſi ejuſdem gentis, & ſanguinis? [a] Ageſilaus ita ſuſcepit bellum in Perſas, ut Græcos Aſiaticos in libertatem aſſereret. [b] Et Germaniæ reguli, vetuſto more gentis, implorantibus mutuam opem non adeſſe, nefas putant. Quamquam illic eſt præterea reipublicæ quoddam corpus: ut Achæorum fuiſſe olim traditur. Quid ſi ejuſdem religionis? [c] Sociantur gentes unitate religionis magis, quam aut juris alterius communione, aut fœderis pactione: & itaque ſi communione naturam, fœdere jus gentium, legibus rempublicam, religione communi (re omnium potentiſſima) viſcera hominum imploramus, & ejus ſancti, qui communionis iſtius caput eſt. [d] Sic bellum cum Perſis: quia eis perfugæ non reddebantur: & non reddebantur a Romanis, qui noluerunt deſpicere ſupplices, profeſſores ſecum ejuſdem religionis, profugos a crudelitate Perſarum. Hoc modo Juſtinus reſpondit Perſæ, facere ſe non poſſe, quin reciperet religionem Chriſtianam, deſciſcentem ad ſe a Perſa: qui cogebat eos deſerere religionem Chriſtianam. [e] Et noſtri ſic tradunt, moveri bellum poſſe, ſi aliqui converſi ad religionem Chriſtianam, premerentur a ſuis dominis: & illud propter jus ſocietatis contractum ex converſione. Adde, quæ de hoc dixi etiam in capite nono. Quid ſi vicini? [f] *Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multæ, parum juſtæ neceſſitudines erant, familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiæ?* Cicero ait. Et hic cauſſa noſtra eſt. [g] *Noſtra res agitur, paries dum proximus ardet*: [h] nam ſi quas ignis ædes cœpit acriter, defenſu haud facile ſunt, quin & proximæ comburantur: quod alicubi erat apud Salluſtium: & nunc eſt apud Ovidium, [i] *Proximus a tectis ignis defenditur ægre: utile finitimis abſtinuiſſe locis*. Qui verſus proverbiales & in hoc ſunt: [k] & proverbia fidem aliquam faciunt. [l] Facit hic, quod licet ædes demoliri vicini, ne ad nos incendium veniat: & quod de domo peſtilenti quæſitum aliquando idem eſt: [m] etſi de hoc reſponſum contra eſt. [n] Domus tamen infecta lepra ſubvertebatur: [o] & in pluribus ſic eſt, ut liceat male aliis facere, ne nobis male ſit. Cavenda omnis contagio eſt, & maxime vicini. Mala vicini populi contagia lædunt. [p] Romani quaſi contagione quadam (ut inquit Florus) ierunt per ſingulos, & proximis quibuſque

a *Plutarch. Apoph.*
b *Jov. lib. 23.*
c *Oroſ. lib. 5. 2. 2.*
d *Procop. 2. Perſ. & Call. lib. 17. c. 37.*
e *Alc. l. 38. §. Sacram. de V. O.*
f *Cice. pro Planc.*
g *Horat. ad Loll. Ang. l. 2. de le. Rho.*
h *Charl. lib. 2.*
i *Ovi. 2. rem.*
k *Ariſt. 1. Rh. Cephi. conſ. 82.*
l *l. 49. de le. Aq. l. 3. de ince. l. 7. quod vi.*
m *Decia. conſ. 651.*
n *Levit. 14.*
o *l. 29. vbi gl. de l. Aq.*
p *Flor. lib. 1.*

buſque correptis totam ſub ſe Italiam redegerunt, & quicquid imperii habuerunt. [a] *Ante ignem vapor camini, & fumus*: Siracides quoque. Fumum a vicino ſentimus incendio, & igni extinguendo non accurremus, ubi eſt? [b] Reſcriptum eſt, licere cuilibet, ferre vicino opem adverſus injuriam: immo culpæ quoque videri participem, qui non opituletur etiam inimico capitali, etiam contra opem dicenti, nedum poſtulanti. De quo & notavi ante, & notabo adhuc ſequenti capite.

[a] *Eccl.* 22.

[b] *c. 6. de ſe. exc. 6. Eug. con.* 93.

CAP. XVI.

De ſubditis alienis contra Dominum defendendis.

QUæro, ſi ſubditos quoque alienos defendimus juſte contra dominum? & quid ſi etiam injuſta eorumdem cauſſa ſit? [c] Notat Ambroſius, tres illos ita caviſſe Deos, Jovem, Neptunum, Plutonem, ne uſurpata alienarum partium ſollicitudine bellum inter ſe gererent: *Non illi imperium pelagi*, &c. [d] Etiam ajunt, *Nos Dii habemus iſtam legem: nemo vult occurrere cupiditati volentis, ſed cedimus ſemper alii aliis*. Quæ a ſapientiſſimis viris efficta, & ad Principes in terris accommodata ſunt. [e] Sed & ſine ambage ulla Corinthii ſic loquuntur Athenis, *Aperte negamus, aliquem a puniendis ſuis eſſe prohibendum, nam ſi eos, qui peccarint, defenderitis, etiam veſtri a vobis deficient*. Sed mihi iſti aliorum ſubditi tamen a cognatione illa naturæ, & ſocietatis univerſi alieni eſſe non videntur. [f] Et quam ſi tollis ſocietatem, etiam unitatem ſcindes humani generis, qua ſuſtinetur vita, ut præclare Seneca. Atque ſi illeges nec facimus Principes, nullis legibus, nullis moribus devinctos: neceſſe eſt, ut ſint quoque, qui eoldem moneant officii, & conſtrictos retineant. Quam rationem expoſui in ſecundo libro de legationibus. Neque hic ego ullam ingerere velim dominiorum confuſionem, aut ullam inſpectionem Principis ſupra Principem. Sed nec fero tamen diſtingui, quæ ſunt per naturam arctiſſime agglutinata: intelligo cognationem illam cum omnibus inter omnes. Neque hic aliter Principi inſpectio ſit ſupra Principem, quam contingat per omne aliud bellum, in quo alter alteri Principi fert ſe judicem & ſui, & alterius. Si inter privatos eſt quæſtio, alienum de ea adire Principem,

[c] *Ambr. 1. de off. 13.*

[d] *Euri. Hip.*

[e] *Thuc. lib. 1.*

[f] *Sen. 4. de benef.*

cipem, fuerit injuſtiſſimum. Si etiam inter ſubditum, & Principem ſuum lis oritur, magiſtratus conſtituti ſunt, qui adeantur. At quum incidit controverſia de republica: non judices ulli in civitate ſunt, nec eſſe poſſunt. Publicam vero dico rem, quando ſubditorum tanta, ac talis movetur pars, ut jam bello opus contra eos ſit, qui ſe tuentur bello. Quaſi venerint iſti in partem principatus, & publici, & pares Principi ſint, qui tantum poſſunt; [a] quemadmodum Princeps dicitur Principi par, qui alteri utcumque majori, & potentiori vim inferenti poteſt reſiſtere. Quamquam de ſubditis ipſis non hæc dico, niſi propter Principes alienos, qui alienis ſubditis ferre auxilium contra dominum volunt: & qui non aliter ferre poſſint, quam in lite, ut nunc explicavi, de re publica. [b] Et quidem, ſi ſubditi habeantur inclementer, & injuſte, probata hæc defendendi ſententia etiam aliis eſt, qui exemplumque laudatiſſimum afferunt Herculis, tyrannorum domitoris, & monſtrorum: exemplum & Conſtantini eſt, qui Romanos juvit contra Maxentium; ut retuli in præcedenti ſermone. [c] Filios defendimus contra injuſtos patres. Adde nunc illa Senecæ aurea, [d] *Quicquid erat, quo mihi cohæreret, interciſa juris humani ſocietas abſcidit. Si non patriam meam impugnat, ſed ſuæ gravis eſt: & ſepoſitus a mea gente ſuam exagitat, abſcidit nihilominus illum tanta pravitas animi, etiam ſi non inimicum, inviſum mihi efficit; priorque mihi, ac potior ejus officii ratio eſt, quod humano generi, quam quod uni hominum debeo.* Sic ſane: aut facimus principibus omnes homines alienos: ſi ſtatuimus, eos poſſe pro libitu agere, & pro libidine. Quid nunc, ſi eſt cauſſa ſubditorum injuſta? & hic negant ſupradicti, oportere, injuſtis alienis ſubditis auxilio eſſe: ne quis, ſic juvando, provocet idem jus in regnum ſuum, quod antea Corinthii. [e] etiam cenſet Ariſtoteles, nec patrem amandum pravum, nec juvandum auxilio. Cæterum hoc de patre falſum eſt; ut in diſputatione quadam docui; & forte eſt verius, defendi a nobis poſſe bello hos quoque, qui ſunt injuſti. Si enim juſtum eſt bellum, quod eſt ad injuriam propulſandam, etſi hi, qui injuriam propulſant, ipſi cauſſam bello dederunt: videtur idem poſſe conſtitui in defenſione aliorum, etiam ſubditorum, propter eamdem rationem. Ea ſcilicet eſt in bello iniquitas, ut idem ſibi in ſua cauſſa jus dicat, certe dicere velit. Quo prætextu alius princeps poſſi

a *Cephb. 615.*

b *Cov. regu. peccatum p. 2. §. 9. Bod. 2. de rep. 5. & lib. 5. c. ult. Cicer. 3. De Off.*

c *Bal. l. 4. C. de inſt. & ſubſt.*

d *Sen. ult. de benef.*

e *Ariſt. Eth. 5. 9. Cæſar. 1. de ſi. ec. 4.*

poſsit auxilium contra ferre, ut civilius res ſine armis componantur. [a] Idque illud eſt, quod Pyrrhus auxilio cum veniſſet Tarentinis contra Romanos, hos monuit prius, ut per ſuam operam controverſiæ cum Tarentinis expediri vellent. Licet nec inique auſcultare regi noluerunt Romani: aut quia habere eum ſuſpectum merito potuerunt, accerſitum ab hoſtibus, cum hoſtibus armatum, pro hoſtibus pugnare paratum, & hoſtibus conſanguineum. [b] Qui ſtat cum alio armatus, opem ferre eidem dicitur, & auxilium: nec opus eſt, in id probare aliud quidquam, etiam qui ſe armat, de bello creditur cogitare. [c] Quod ſi etiam amicus inimici ſic ſuſpectus eſt, ut a teſtimonio ferendo arceatur: quanto magis arcebitur a dicenda ſententia? [d] Facilius enim fit, ut quis in teſtem, quam in judicem recipiatur. [e] Amicus inimici mei non ſtatim meus intelligitur inimicus: ut nec amicus amici mei meus eſt amicus. Sed ſuſpicio de utroque eſt valde, atque de amico inimici magis: ego vero redeo ad quæſtionem. [f] Tuemur & injuſtos filios juſte adverſus ſævitiam patris, & ſervos adverſus ſævitiam dominorum, damuſque laudabiliter operam, ne per furorem (hic bellum eſt) quantumvis iniqui caſtigentur, & puniantur, nam furor, bellum, non habet modum. [g] Et qui humanitate, vel miſericordia ductus, vel alia adprobata, ac juſta ratione ſervum alienum recepit, is edicto de ſervo corrupto non tenetur; atque ipſa receptatio de natura boni cenſetur, &c. [h] Etiam ille laudatur, qui iratus ſervis, hos alteri mulctandos tradebat, hoc addito elogio, quia ipſe iratus eſſet. Atque adeo bonus volet princeps, irato ſibi eripi ſæviendi in ſuos licentiam, quaſi pater bonus, quaſi dominus bonus: cenſebitque ſemper non regna eſſe propter reges, ſed reges propter regna factos eſſe, quod verum eſt. Etiam Platonicum hic valet, debere nos Rhetorica uti maxime ad accuſandos amicos; quibus optimum ſic retrahi vel a malis futuris. Atque ita mihi videtur, auxilium afferri poſſe injuſtis alienis ſubditis, huic tamen fini tantum ſævitiæ immoderatioris, & pœnæ inclementioris depellendæ: [i] poſtquam nec inhumanum eſt, vel his facere bene, qui deliquerunt. Sed auſim tamen adfirmare, honeſtam hanc cauſſam auxilii ferendi vix unquam ſtare, quin & neceſſitatis, & utilitatis alia obtendi nequeat, & vero oſtendi, ut antea quoque dictum eſt. Ecce, quæ modo maxima eſt quæſtio, ſi Angli auxilia Belgis contra Hiſpanum juſte

a *Plu. Pyrr.*

b *Crav. conſ.* 224. *Ceph.* 57. *Bal. l.* 1. *C. de ſer. fu.*

c *Alex.* 7. *conſ.* 2. *Ceph.* 721.

d *Jaſ. l.* 16. *de juriſd.* *Cic. pro Comæ. Ceph.* 750.

e *l.* 47. *de re. ju. l.* 28. *C. de inof. te.*

f *Leo. nov.* 105.

g *l.* 5. *Bal. l.* 4. *C. de ſer. cor.*

h *Plut. quo. nutr. lib.* *Hieron. ep.* 9.

i *Alex. l.* 20. *fol. ma.*

juſte attuleriat: etiam ſi injuſta Belgarum eſſet cauſſa: & Belgæ eſſent etiamnum Hiſpano ſubditi, quod utrumque falſum cenſetur tamen. Dicebatur, ſuſcipiendum bellum per iſtam occaſionem, ut ita haberetur ab Hiſpano bona pax: quæ aliter haberi non potuiſſe videbatur. [a] Et quidem ſic ſuſcipitur bellum juſte, [b] quod noſtri tradunt. Et ſapientiſſima facit ratio medicorum; ut ſi febris aliqua lenta ſit, quæ corpus teneat, quæque nulli cedat remedio, tum mutandus ſit morbus, etiam augendus interdum, & accendendus: quia curationem, ubi id quod eſt, non recipit; poteſt recipere id, quod futurum eſt. Sed & abſque malo illo infidæ pacis ſuſcipi bellum potuit. Ut multarum neceſſitudinum vincula inter Angliam ſunt, & Belgium: vetus amicitia cum ducibus Burgundiæ: familiaritas horum populorum, & prilca conſanguinitas: reliqua omnia, quæ ad finem notata ſunt capitis ſuperioris; & igitur cum Cicerone: [c] *Etiam nocentes, viri boni, ſi neceſſarii ſunt, non defendendos eſſe non putant.* Adde unum magni momenti, quod Belgæ, bello victi, conditionem omnino mutarent: atque videmus in parte victa, quæ dejecta plurimum de priſtina libertate, & præſidiis oppreſſa plurimum, ad ſolum principis nutum nunc regitur. Id autem vicini ferre non habent. [d] Neque ullus alius eſt prohibendus, libertati favere. [e] Aſt vicinorum intereſt non parvum, alium habere vicinum. [f] Nam ſi vir viro habet opus, quid dicemus vicinum eſſe vicino? ait Pindarus: [g] & Callimachus, *Mihi mali vicini odioſi*: [h] & ſapiens aliquis Hebræus, *Morborum omnium peſſimus vicinus malus*: & alius ejuſdem gentis, *Væh improbo, & væh vicino ejus*. Et Heſiodum ubi relinquo? [i] *Noxa magna eſt malus vicinus, bonus commodum*. [k] Et morales fabulæ ubi ſilentur? *Vicinitas mala inſtar infortunii eſt*: quæ etiam docent, potentiorum ſemper eſſe vicinitatem vitandam tenuioribus. [l] Sunt a proxime habitantibus bonis bona, malis mala. Sic & Plato: [m] & ſic Themiſtocles, quum fundum venderet, prædicare præconem juſſit, bonum illi vicinum adeſſe: [n] quod interpretes ad jus notant. Atque ejuſcemodi plurima ſunt. Quare nec ſi vicini hi velint ſubditi mutare ſuam conditionem, nec ſi delicto in principem ſuum commiſſo mutare coguntur: ferre id alius vicinus cogitur princeps, cui neque alterius voluntas, aut delictum afferre detrimentum debet. [o] Veneti legati, dum intercedunt pro

Si-

a *Caſtr. l. 5. de juſt.*
b *Celſ. 3. c. 9. Hipp. de loc. in hom.*
c *Cic. pro Syl.*
d *l. 3. de bo. li. ex.*
e *l. 54. de leg. 2. Nat. ad Alex. 7. conſ. 197.*
f *Pin. Nem. 7.*
g *Call. hy. Cer.*
h *Heb. apoph. lib. 1. & 3.*
i *Heſio. 1. op.*
k *Faer. 1. 57. Alc. emb. 164.*
l *Pla. Eutby.*
m *Plu. apoph.*
n *l. 35. de con. em.*
o *Com. Pii 2. lib. 10.*

Sigiſmundo Malateſta apud Pium II., etiam hoc dicunt, vicinos principes nolle alium habere vicinum: quem præterea nec ſciebat, quis futurus eſſet. Et notes, quod Sigiſmundus oppida tenebat ab eccleſia: & criminibus admiſſis amittere illa meritò debuit. An vera hæc ſint in cauſſis privatorum, dubitaverit fortaſſe non nemo: [a] nam privatus poſſe facere de ſuo videtur, quod vult, ſi ſibi prodeſt, & alteri nocet: vera tamen ſic ſunt in cauſſis imperiorum: nam & de futuro cavendum eſt principibus, ut alter, ſi velit, non poſſit tamen facere alteri male: quod in tractatu de utili defenſione expoſitum eſt. [b] Sed & ea regula, ut liceat cuique in ſuo facere quod libet, immo non obtinet alias, quam ſi nec pejor, nec gravior vicini conditio fiat: etſi vera eſt, ut de lucro non curetur, quod vicinus faciebat, & quod per nullam obligationem ei debebatur. At vero imperiis deberi ſecuritatem, & a vicino conjunctionem quamdam amoris ſingularem, jam hoc ſcimus: quæ tolluntur; vicinis mutatis. [c] Neque vero idem populus eſt, qui fuit, ſi eadem nec eſt, quæ fuit ratio reipublicæ. [d] Non licet cum ſubditis (iterum dico) omnia facere. Non id licet cum ſubditis, quod damno, periculo foret non ſubditis. Non licet, arces in ſuo facere, quæ non ſuis metuendæ ſint: audies in tertio libro. Ergo neque licet cum ſuis facere, quod metuendum aliis eſt. [e] Ut hæc dicuntur paria, in ſuo loco facere, & in ſubditos ſuos. An ſi diſponeret vicinus meus domi tormenta, aliaque adverſum meam domum, ego neque timeam mihi, neque in vicinum me moveam? Sic, ſic Belgium apparabatur, ut viri videre ſapientes, & ut heros magnus Leceſtrius ſapientiſſime defenſionem Belgarum ſaluberrimam reipublicæ, ac neceſſariam prævidit, ſuſcipiendamque ſuaſit. [f] Ne ſi illud vallum Europæ (& tu ſic ſapienter Juſte Lipſi) Hiſpani perrumperent, nihil amodo ſupereſſet obicis violentiæ ipſorum. Et hactenus de bello defenſionis.

a *l. 26. de da. inf. Alex. 2. 174.*

b *l. 1. de aq. pl. l. 8. ſiſe vi. Bel. 4. conſ. 396.*

c *Ari. 3. Pol.*

d *Bal. 5. conſ. 409.*

e *Bal. 4. conſ. 196.*

f *Lipſ.*

CAP. XVII

Qui bellum neceſſarie inferunt.

QUando igitur de jure omnis defenſionis plura diximus: agite, nunc juſtas inferendi belli cauſſas exquiramus. Atque bellum quidem infertur eodem modo, aut neceſſarie, aut utiliter, aut honeſte. Neceſſitatem autem ita conſideramus, ſi eſſe nobis non licet, niſi bellum inferamus: ut anteaque de neceſſitate traditum eſt. Et exemplum ſit, ſi Romani denegantibus vicinis ſecum connubia, & in excidium ſic conjuratis novellæ civitatis bellum, ut haberent feminas, intuliſſent. [a] *Juſtius bellum cum ea gente geri potuit, quæ filias ſuas corregionalibus, & confinalibus ſuis negaſſet petitas: aliquo enim jure belli injuſto negatas juſte victor auferret:* inquit Auguſtinus: & licet id inquit comparative ad id, quod ſpectaculi fraude factum fuit, & per pacem: atque inquit etiam dubitanter: adjecto articulo *fortaſſe*, quem nunc non exſcripſi: non tamen dubitandum eſt, quin non ſic nobiſcum ſenſerit: [b] eſt enim ille articulus verecundioris adminiculi, temperationis nescio cujus, aut figuræ, non nota incertæ definitionis: quod ſæpe nobis noſtri dicunt interpretes. Non dubitandum eſt ipſam ita eſſe rem: ut hoc vere, non declamatorie contendo in ſecundo de armis Romanis. Alterum exemplum hujus neceſſarii belli in his fuerit, qui ejecti ſedibus ſuis, aut qua occaſione abire coacti, alias quæſituri ſedes, bellum inferunt neceſſario aliis, in quorum poſſeſſiones perveniant. [c] Alios excidia urbium ſuarum in aliena, ſpoliatos ſuis, expulerunt: alios nimia ſuperfluentis populi frequentia ad exonerandas urbes emiſit: alios peſtilentia, aut frequentes terrarum hiatus, aut aliqua intolleranda infelicis ſoli vitia ejecerunt: ut hæc ſcribunt alii, & proſequitur alicubi Seneca. [d] Multi prætulere carere penatibus propter injurias vicinorum, & ſedes ſuas profugerunt. Diverſum orbem gentes univerſæ petierunt relicto patrio ſolo, Achæi, Hiberi, Albani, Siculi, Pelaſgi, Aborigines, Arcades: ut hæc apud alios adnotantur. Nequit autem hæc cauſſa improbari: aut, homines hominum non miſereri, dignum putamus, & mortem his ſolam relinquimus extorribus, pulſis patria. Videndum tamen eſt, ne profugi iſti mox non con-

[a] *Aug. 2. de civ.*

[b] *Cui 11. obſ. 25. Odofr. l. 1. de do. Zaſ. inſt. de act. §. penales.*

[c] *Capi Mar. Sen. de co. ad Ma. Pater. 1.*

[d] *Colum. 1. de re ru. Thuc. lib. 1.*

ten-

tenti opibus tenuioribus, quas ſcilicet abſque bello reparare ſibi poſſent, potiora loca quæritent. Nam inique fieret id, & barbare. Ergo ad iſtam normam examinare decet illata aliis bella. [a] Phœnicum, Ubiorum, Helvetiorum, Gallorum, Gothorum, Vandalorum, aliorum, qui patriam regionem deſeruere, novas habitationes conquiſierunt. Probari cauſſa non poteſt, [b] quæ ſemper eadem Germanis fuiſſe dicitur tranſcendendi in Gallias, libido, atque avaritia, & mutandæ ſedis amor: relictis paludibus, & ſolitudinibus ſuis, ut fœcundiſſimum illud ſolum poſſiderent Galliæ. Non juſtum eſt, [c] quod Brennus, & Helvetii, & alii cenſuerunt, ut potentioribus cederent, & dignioribus infirmiores, & minus digni. Non hæc cauſſa ullibi, modus hic, & titulus adquirendi notatur: [d] & notatur Plato, qui tale aliquid per ſuam Geometricam rationem docere viſus eſt: & verberatur Cyrus, qui veſtem ampliorem non domino veſtis, ſed viro ampliori, breviorem alteri aditus judex adjudicat puer. [e] Improborum ſermo ſignificatur is, *Eſto robur noſtrum lex juſtitiæ*. [f] At quod Virgilius attigit, id juſtum eſt, ut innocuum, qua fieri poteſt, locum obtineant alicubi, qui dejecti de ſuo ſunt, *Diis ſedem exiguam patriis, lituſque rogamus innocuum, & cunctis undamque auramque patentem*. Hæc & concedi debent, ſi & concedi non incommodiſſime poſſunt. [g] Et concedere ſic Latinus voluit Teucris: & aliis ſic alii conceſſerunt ſæpe. [h] Bene vero Anſibarii, pulſi a Chaucis, ſedumque inopes, tutum exſilium orantes, *Sicut cœlum diis, ita terras generi mortalium datas: quæque ſint vacuæ, eas publicas eſſe, ſolem, & ſidera nolle contueri inane ſolum: potius mare ſuperfunderent adverſus terrarum ereptores*. Sic ſane. [i] *Deus non ad inanitatem creavit terram*: [k] & ergo juris naturæ cenſetur occupatio vacuorum. Sic in priſco factum mundo. Sic Batavi, olim Cattorum pars, ſeditione domeſtica pulſi, vacua cultoribus loca, quæ nunc tenent, occuparunt. Sic alii fecerunt, & facient. [l] Sic de terris incultis, ut quærantur occupanti quaſi nullius, noſtri docent: & principis territorii etſi ſint, quod alii volunt, cedent tamen occupanti propter jus naturæ, quæ nihil vult vacuum. Sic: & maneat juriſdictio principis. [m] Laudatur Pertinacis merito factum primum, qui quicquid in Italia, aut alibi gentium inculti eſſet ſoli, id totum occupantibus, & colentibus adjudicavit: etiam immunitatem decennii,

a *Juſti.* 24. *Cæſ.* 1. 4. *Liv.* 39. 40. *Proc. va.* 1. 2.
b *Tac.* 4. *hiſt.*
c *Ser. lib.* 1.
d *Xeno.* 1. *Cy.*
e *Eccl.* 2.
f *Vir.* 7. *Æn.*
g *Virg.* 11.
h *Tac. an.* 13.
i *Gen.* 1. *Iſa.* 45.
k *l.* 3. *de ad. re. do.*
l *Aret. Conſ.* 15. *& l.* 1. *de ad. po. Alc.* 5. *conſ.* 20.
m *Hero. lib.* 2.

nii, & perpetuam agricolis libertatem conceſſit. Ita debuit: & deberi iſthæc extorribus iſtis, certiſſimum puto: aut iidem inferent bellum neceſſario. An iſthæc non ſunt hodie in orbe terrarum? Scilicet non is redigitur magis, atque magis ad ſolitudinem primi ævi: & in hac ejus ætate decrepita fœcundior eſt, quam antea fuerit unquam. Græcia qualis nunc eſt, & Turcia univerſa? Qualis nunc eſt Africa? Sed illa viris fœcundiſſima qualis Hiſpania eſt? & ſub Hiſpanico imperio non vacuus ferme univerſus orbis novus? Nam quam te memorem, Italia, nunc, & circumjecta Aquilejæ, Piſis, Romæ ipſi, ſqualida, morbida hanc ob cauſſam paucitatis colonorum? Verum de his forte alio tempore. Quæ non vacant, ea nec debentur. [a] Neque enim juris eſt, ut quis alium amet, & ſe negligat. *Quas*, inquit Florus, *daret populus Romanus terras, agrariis legibus inter ſe dimicaturus?* Et hic tamen tolerabile diſpendium ferendum exiſtimo aut vix deerit, quod exſulibus iſtis reſpondeatur. Et tolerabile diſpendium ferendum: quod compendioque majori, civium augmento, compenſatur. Sane enim, quod juſtiſſimum eſt, facere novi advenæ debent, ut ſub imperium veniant ejus, qui dominus territorii eſt. [b] Audi Æneam, *Nec mibi regna peto: paribus ſe legibus ambæ invictæ gentes æterna in fœdera mittant: ſacra, deoſque dabo: ſocer arma Latinus habeto: imperium ſollemne ſocer, mibi mœnia Teucri conſtituent*. Juſtiſſime nec uti vult advena opera indigenarum: & item vult juſtiſſime, paribus legibus ſuos & indigenas eſſe: nam dat ſuos in Latini regnum, & in idem corpus indigenarum. Sed & caſus ſunt tamen, quum exſules non recipiantur ſub imperium: ut ſi periculoſa ſit reipublicæ multitudo: & ut Gothi cum malo magno imperii recepti fuerunt: [c] & ut Romani priores ſic Gallos, Cimbros ſuſcipere noluerunt. Item ſi profugi iſti traherent bellum ſecum: [d] quia bello victi repeterentur a victoribus, & non redditi cauſſa eſſent belli novi adverſum recipientes ſe. Juſta hæc eſt cauſſa, & aliæ ſic ſunt, cur profugi non ſuſcipiantur. Et forte tamen nec damnaveris profugos, ſi extrema fugientes mala, nunc inferant bellum iſtis, qui juſte negant ipſos ſuſcipere. Quid enim facerent? Si cavent, ipſorum multitudinem non periculoſam fore, juſti ſunt: [e] ſi cautionem iſtam præſtare nequeunt, impoſſibilitate excuſantur, ut alibi in jure etiam difficulta-

a *Gl. c. niſi de aucl. & uſ. pa.* *Flor. 3.*

b *Vir. 12. Æn.*

c *Liv. lib. 39.* *Flor. 3.*

d *Iſoc. pana. Cæſ. 4. Gall.*

e *Caſt. auth.* cui relictum. *C. de ind. vi.*

cultate. Bellum non trahent, ſi nec videntur ſponte ſuſcepti, & nec defendentur contra repetentes victores. Nam ſi victores injuſti eſſe velint, & omnino bellum ex bello ferere, nullum remedium ſupereſt, & exſules culpa ſoluti tanto magis ſunt. Etiam illud facere exſules debent, quod pro ſecuritate eſt ſtatutum, ut patiantur ſe disjungi. Semper enim debetur ſtatibus ſecuritas. Atque hæc cautio ſic ſupereſt ſemper. Nam immo hic non admitto, quod modo dicebam ex jure privato de difficultate, aut etiam impoſſibilitate cautionis. Et rationem differentiæ utriuſque juris notavi antea. [a] *Exſules, quod omnes facere tenemur, ſubeant potius omne malum, quam ut cum alterius incommodo velint commodo ſuo conſulere.* Illud exſulum corpus unitum & eſt ſuſpectum, & eſt illico contra rationem ſtatus: eſt ſuſpectum; [b] nam & ſervi ex ergaſtulis, & compedibus bella atrociſſima concitarunt, etiam Romanæ potentiæ. Eſt contra rationem: quia non ſic venitur in unum corpus, ſed aliud excitatur. Quæ de neceſſariis cauſſis.

a Cicer. 3. De Off.

b Flor. 3.

CAP. XVIII.

Qui utiliter bellum inferunt.

UTilis vero cauſſa inferendi bellum erit jus ulciſcendi acceptam injuriam. Et utilis eſt, cum quia qui injuriam non ulciſcitur, is alteram provocat, juxta illud probatiſſimum Publii: [c] *Veterem ferendo injuriam, invitas novam*; tum etiam, quia damna ſibi ſarcire, eſt utile. Juſta autem cauſſa eſt hæc, quoniam noſtrum nobis jus læſum, & imminutum ferre nos non oportet. [d] Nemo tenetur, jus ſuum negligere. [e] Natura eſt, quæ tuitionem ſui, pariter & ulciſcendi jus defert. [f] Hæc communis mortalium omnium lex, ulciſci eos, qui noſtra deprædantur, ait Demoſthenes: & Platæenſes ajunt apud Thucididem. Ait Demoſthenes: [g] cujus orationes ad honeſtum, & decorum eſſe dicuntur, ſalutis quoque ratione neglecta. Licet hoſtem mulctare. [h] Et ſic Plato, Xenophon, Cicero, [i] *Juſta bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt*, ſic Auguſtinus. Cæterum perſpicua hæc ſunt nimis. [k] Etiam ſpecies juſti intereſſe

c Macr. 2. Sat. 7.

d Bal. 5. conſ. 382.

e Cic. Top. Inu. 2.

f Dem. ad Ariſtoc. Thuc. lib. 3.

g Plu. Demo.

h P. 1. de rep. 10. 1. Cyrop. & Socr. 4.

i Iſid. lib. 1. 8. Aug. loſ. q. 10.

k Bal. l. 5. C ſi mancipia. ſuo all.

ſe dicitur ultio, vel ſi tantum animo ſatisfaciat. Et mirum igitur, quid velit Seneca, qui ſcribit, *Inhumanum verbum eſt* ULTIO: [a] *& a contumelia non differt, niſi ordine.* [b] Qui ab altero afficitur injuria, hunc in honore non lædi vere, Philoſophi tractant. Et itaque videtur, nec debere velle offendere ad honorem recuperandum. Stoici noſtri quoque faciunt ſuum hominem in omnia, & per omnia impaſſibilem. [c] At iſtos hic non ſequimur, ſed Ariſtotelem, M. Tullium, qui cum vulgo tribuunt opinionibus hominum valde. [d] Et ergo traditumque eſt, nec habere privatum fugere, quia dedecus id ſit. Cum pluribus aliis, quæ ſunt ſcripta de injuriis in jure noſtro. Sed nec de ſolo hic agitur honore, verum & de rebus, quæ nobis perduntur. Etiam ſtant reges, & regna nomine, atque exiſtimatione: quare nomenque tueri oportet. Et culpa ([e] quod alibi ſcribitur) fuerit, relaxare vindictam. Sic curare habet magiſtratus, non modo ſuum læſo reſtitui, ſed & punire lædentem; aut leviter nimis ageretur cum delinquentibus, & mali incitarentur ad peccandum ſemper, ſi ultio eos non ſequeretur. Atque ſi privatis eam non concedunt leges: quemadmodum & de privatis ſic explicant ſupradicti Philoſophi: ratio illa eſt, quod privatarum injuriarum conſtituti ultores habentur magiſtratus, qui perſonæ publicæ bonoque implere animo valent partes omnes ultionis; [f] id quod injuſtorum juſtitia creditum eſt in perſonis privatis reddentibus pro malo malum. [g] Privatis dicitur, ut modum inculpatæ ſervent tutelæ: &, itaque defendant ſe cum inſtrumentis eiſdem, ſi ſic ſe defendere poſſunt: & ut rem ſuam non recuperent auctoritate propria, etiam illico; & id genus alia, quæ ſic vindictam negant, defenſionem ſolam concedunt privatis: quæque publicis perſonis apta dixerit nemo, & bellis. Jure naturæ ultio permiſſa injuriæ eſt: etſi hoc permiſſum jure civili non eſt: [h] ut bene tradit Fr. Connanus. Eſt autem illud argumentum, quod & juſtiſſimum ſit, punire nocentes, jus ſuum ulciſci. Atque juſtum ſit utrumque Principum, quibus magiſtratus non ſunt: quemadmodum & privatorum, ſingulorum erat, quum magiſtratus non eſſent: & erit ſemper, quum magiſtratus non erunt, non aderunt. Et hæc vera ſunt etiam in cauſſis honoris. Ut enim ſententiæ varient, ſi ad honorem tuendum liceat in duellum provocare: & plures concludere videntur, non licere; quia adſit ma-

a *Sen. 2. de ira.*
b *Pic. 6. mo. pb. 21.*
c *Ari. 4. Eth. Caſer. 6. de fi. ce. 1. Cic. 2. ad Q. fr. ep. 2.*
d *Alex. 1. conſ. 190. Jaſ. l. 3. de juſt.*
e *c. 1. de po. pr. c. 2. di. 27.*
f *c. 1. 23. q. 3. c. 16. 23. q. 5.*
g *Alex. 1. conſ. 76. vbi Mol. & 190. 3. 14. 7. 119.*
h *Con. 1. com. 6.*

ma-

magiſtratus, per quem ea fiat tuitio: tamen nec in Principibus ac bellis reſponderi id valet: & privato etiam concedetur, ſicut corporis, rerumque propulſare injuriam, ita etiam exiſtimationis, ac famæ. Finge, aliquem velle famoſum edere in te libellum, & non eſſe copiam magiſtratus. Reſpondeo, tibi jus eſſe vi, & armis arcere contumeliam. Crudelis, qui famam ſuam negligit: cum ſexcentis aliis. Quod ſi jam editus libellus ſit, nihil tibi privato ſupereſt, niſi idemque, quod læſo jam in corpore, in rebus. Et pares hi caſus ſemper. Sed quando imminutum nobis dicere jus noſtrum valemus? aut patratum aliquid bello dignum ab his, contra quos bellum movere, nobis in animo eſt? Adhibeo iterum eam inſpectionem cauſſarum, divinarum, naturalium, humanarum. De divinis autem expoſitum eſt ſatis. Igitur ad naturales pergendum eſt.

CAP. XIX.

De naturalibus cauſſis belli inferendi.

ATque hic a natura bellum dicetur, ſi propter id ſuſcipitur quod a natura tribuitur, & ab hominibus denegatur. Exemplum autem ſit, ſi iter negetur: ſi portubus, ſi commeatu, ſi mercatura, ſi commercio excludimur: & de itinere ita Auguſtinus, [a] *Notandum eſt ſane, quemadmodum juſta bella gerebantur a filiis Iſrael contra Amorræos: innoxius enim tranſitus denegabatur: qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.* [b] Naturaliter omnia itinera libera, Baldus ait: [c] & indici olim bellum ſolitum ab eccleſia contra Turcas, qui prohibebant, quominus iremus nos contra Saracenos hoſtes noſtros; & referunt alii: & in jure ſic probant: quia id turbulentum ſit, & juri contrarium. Sunt hæc tamen mihi non levis difficultatis. Nam exempla ſunt, & rationes eorum, qui iter negarunt: & exempla, & rationes ſunt eorum, qui conceſſerunt. [d] Rex David armatus obſtitit regi, qui per fines Judaicos ducebat exercitum contra alium: & rex Joſias tranſitum negavit Ægyptio, contra Medum proficiſcenti, & pollicenti, tranſiturum ſe ſine maleficio: [e] & rex Sichomi, & rex Edomæorum negarunt Moyſi, pollicenti eadem: [f] & Ephronitæ negarunt Judæ Macchabæo: [g] & Franci ne-

a *Aug. Nu. q. 44. & c. vit. 23. q. 2.*
b *Bal. 3. conſ. 293.*
c *Alex. 7. conſ. 130. Cou. cap. pec. p. 2. §. 9.*
d *2. Sam. 8. & 2. reg. 23. Zon.*
e *Num. 20. Deu. 2. Iu. 11.*
f *1. Macc. 5.*
g *Procop. 3. Goth.*

negant Narſeti: atque cauſſam dicunt, licet ſingularem, quoniam
a *Guic. lib. 7.* Narſes Langobardos, Francorum hoſtes, ſecum haberet. [a] Et Veneti negarunt Maximiliano I., qui cum exercitu petebat tranſire Romam ad imperii coronam accipiendam; atque cauſſabantur Veneti, rem pacis non egere armatis. [b] Et Eburones aliis
b *Jov. lib. 41.* armatis denegarunt. [c] Et Agrippinenſes olim redeuntes in amicitiam cum Germanis aliis, *Sint tranſitus inçuſtoditi, ſed diurni, & inermes*: Periculoſa hæc res eſt, ut exiſtimo, ſemper, non modo ſi cauſſæ ſingulares ſunt; vel ſi ſunt inimico animo, qui
c *Tac. 4. hiſt.* tranſire habent: [d] ut propterea negat Cæſar Helvetiis tranſitum.
d *Cæſ. 1. Gall.* [e] Sed Albani tamen conceſſere Pompejo: Arabes Cambyſi: Alexius Gallis, item Cilices: & alii Græci imperatores Ger-
e *Zon. Hero. 3. Niceta. Greg. 4.* manis. Cæterum, ut dicam nihil, quam ceſſerint hæc infeliciter, conceſſiones iſtæ cauſſas habuere ſingulares ex communione religionis: & ex hoſte communi, contra quem ibatur. Timor extorſit aliis: cauſſæ aliæ id effecere (ut dico) ſingulares illa-
f *P. M. Jud.* rum perſonarum, non generales quæſtionis ipſius. [f] Sententiam item Auguſtini ſupradictam minus probant alii quidam, doctiſſimi theologi. Attamen pro ea id mihi videtur, quod non ſit veriſimile, voluiſſe Moyſen petere rem injuſtam: & ob eam non
g *Sophocl. Trach.* impetratam quaſi juſtum movere bellum. [g] Dicam Herculem, qui regem occidit Orchomeniorum, armato ſibi negantem tranſitum ac impedientem? Teneo cum Auguſtino, ſi nec timendum ſit, ne noceatur: & certum ſit, noceri non poſſe: ut hæc eſt ratio imperiorum, de qua antea explicavi. Etiam Francorum, & Cæſaris ratio bona hoc nomine eſt, quod timere ab hoſtibus ſemper oporteat. Sed & ſi nulla omnino cauſſa timoris ſit, negatur juſte hoſtibus tranſitus, etiam adducentibus hoſtes. Et hi enim propter illam conjunctionem cum hoſtibus, quaſi hoſtes
h *Ap. 5. civ. & Pun.* ſunt, atque male hoſtibus facimus juſte. [h] Antonio, ducenti ſecum hoſtem, clauſerunt Brunduſini portas: & idem fecere Car-
i *Aug. Joſ. q. 26.* thaginenſes filio Maſiniſſæ. [i] Hoc (fateor) eſt bellum facere. Sed ſic licet ex cauſſa facere: & qui hoſtes ducit, ipſe rem ten-
k *l. 3. de ſuſp. tu.* tat illicitam, ducere eo homines, ubi eſſe non poſſunt. [k] Licita amittit, qui tentat illicita. Quod ſi igitur cauſſa non eſt, cur tranſitus denegetur, & denegatus ſit, cauſſa belli hinc juſta
l *c. 1. dif. 1.* eſt. [l] Tranſire per agrum alienum, fas eſt. [m] Ingredi fundum
m *l. 3. de ac. rer. do. l. 16. de ſer. ur. pr.* alienum venandi cauſſa, licet item per gentium jus, & ergo nec

fue-

fuerint injusti, si qui transeunt venia non petita, nec prohibiti: Lex facit domino fundi potestatem prohibendi venatori ingressum: quod contra præsentem definitionem nostram facit: nam quæ ratio fundi privati ad privatum est; eadem fundi publici, territorii, ad publicum esse videtur. Sed responsio facilis est: quod diversa immo sit ratio venationis, & transitus. Sicut venatio posset prohiberi in fundo, ita & bellum in territorio: ut bellum, & venatio valde sunt similia. At transire aliud est & fas est. Venatio incommoda est agro, transitus non est incommodus: aut si incommodus est, jam nec conceditur. Quod nobis non nocet, alteri prodest, cur non concederetur? At vero si non exercitibus, & armatis, at aliis iter prohibetur, nec hostibus, nec suspectis, nec criminosis, nec similibus: tum, injuriam fieri certum: [a] liber enim, & licitus est transitus per vias publicas, nec cuiquam prohibendus. Et hæc ut vindicetur injuria, & jus naturæ asseratur, bellum juste movebitur. Audio dici, principes non tuto peregrinari tamen, & itaque petere solitos ab aliis principibus, per quorum territorium est eundum, ut caveatur, tuto futurum, & libere iter. Et vero si ipsi principes aliquod tale sibi constituerunt jus, non est, cur alter alterum valeat accusare juris gentium læsi. [b] Sed tamen Georgius Buchananus, captum contra jus gentium Jacobum regem Scotorum ab Anglis, appulsum in litus terræ Angliæ, scribit. Nunc reliqua prosequor. [c] Et ad portus, atque commeatus quod attinet, justa visa est Megarensium accusatio, & querela, quod præter jus gentium omni commeatu, & commercio, ac portubus Atheniensium prohiberentur; etiam creditum contra libertatem Græciæ. Sane qui ista tollit, societatem humanam lædit. [d] In portubus enim, navigationibus, communicationibus, commodationibus alterna humanitatis est nexus firmissimus: quod Trismegistus dicebat. [e] *Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ:* atque addit Seneca, *Ita in regiones descripta sunt, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos commercium:* [f] & alter plenius, *Si quis adeo tenax fuerit, ut bona distribui nolit: ei cavendum erit, ne legem per orbem terrarum ferat omnis improbitatis auctorem: & omnes congressus, omnia commercia funditus tollat, beneficentiæ divinæ ingratus: neque obscurum cuiquam esse potest, ullum a divina providentia bonum cuiquam contingere; ut solus eo fruatur. Quod si ex æquo omnia*

a *l.* 2. §. *de di. re.*

b *Buch. hist. Sco.* 10.

c *Diod.* 12. *Plu. Peri.*

d *Trism. de na. Deo.*

e *Vir.* 1. *Geor.*

f *Nic. Greg. lib.* 8.

omnibus natura dediſſet, mutui amoris cauſſæ facillimæ præciderentur. Itaque factum ut petamus, & demus per vices perpetuas; quod eſt amicitiæ lex, & vinculum firmiſſimum. Sic telluri præſtat, ut mari navigetur: mari, ut in tellure ambuletur: ut flumina longiſſimos curſus in diverſas terras extendant: [a] & idem Seneca, *Ventus omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſſipatas locis miſcuit: ingens naturæ beneficium, ſi illud in injuriam ſuam non vertat hominum furor; cum ſcilicet deficiente terra ad injurias aliorum in oceano ignota quæruntur.* [b] Adde illa Philonis, *Omnia ſe invicem amant propter uſum mutuum, & permutantur ad univerſi mundi complementum.* Illa Horatii non vera itaque, [c] *Nequicquam Deus abſcidit prudens oceano diſſociabili terras: ſi tamen impiæ non tangenda rates tranſiliunt vada.* [d] Immo ſunt, qui obſervarunt, nullam eſſe adeo repoſtam terram, ſepoſitam inſulam, ad quam ex alia terra non pateret aſpectus, & factum a Deo volunt, ut hæc eſſet ſocietas in oculis, & acceſſus ubique mutuus. Et non male obſervarunt de pleriſque terris omnibus; & optime conficiunt univerſale documentum: etſi non univerſaliter vera obſervatio ſit: neque enim ex terra alia aſpicimus Aciores, quas Caſſiteridas inſulas quidam volunt. [e] Nam orbem, quem novum dicimus, junctum, cognitumque Indis extremis ſemper fuiſſe, hodie non dubitatur. [f] Atque hæc una eſt cauſſa, per quam defendi juſtum videtur bellum Hiſpanorum in eo orbe, quod incolæ arcuerint alios a commercio: & proba eſſet defenſio, ſi verum factum narraretur: [g] eſt enim commercium juris gentium, quod non mutatur adverſus eundo. At Hiſpani non illic commercium, ſed tentarunt dominium: & pro certo hoc habuerunt, licere terras illas occupare, quæ non cognitæ nobis erant: quaſi ſi idem eſſet in nullius eſſe bonis, & in cognitione nullius noſtrum. [h] Unde & Caſtellanis, & Luſitanis regibus controverſia fuit, quam diremit Romanus Pontifex, in quam quiſque partem occupandam proficiſci jure videretur. [i] Credo commune eſſe omnibus barbaris, ut hoſpites pellant. Cæterum neque negari commercium dicitur ſtatim, atque ritus aliquis negatur commercii: ſed quum omne negatur commercium. Quid enim ſi negetur importari, quod incolis videtur improbum? [k] Quæ ad effœminandos animos pertinent, ea mercatores ad Belgas olim non afferebant. Quædam hujuſmodi non

a *Sen. 3. 4. na. q.*
b *Phi. de ebernb.*
c *Hor. 1. od. 3.*
d *Camd. Bri.*
e *Sept. 5. Hip. de aer. 30.*
f *Vict. releft.*
g *l. 5. de juſt.*
h *Hippol. princ.*
i *Str. lib. vlt.*
k *Cæſ. 1. Gal. Bod. 1. de rep. 7.*

affe-

afferebantur in civitatem Lycurgi, aut Platonis. Quædam contra religionem regionis: quædam contra diſciplinam ſunt: & ſimilia, de quibus contendere advenæ non habent: qui nec jus habent mutandi mores, & inſtituta indigenarum. Quid præterea, ſi negetur mercatoribus aditus ad penitiora regionis, & acceſſus detur tantum ad limites? [a] quod feciſſe olim Britannos, nunc facere Sinenſes, audimus. Mihi neque vetitum videtur commercium. Hoſpes namque pelli non dicitur, qui in omni parte domus non excipitur: [b] & licet clam habere regni arcana: arcereque omnes, qui aut ſcrutari venerint, aut ſcrutari poſſint. [c] Etiam licitum videtur, prohiberi aliquando quædam exportari, ut aurum, argentumque, ne vel exhauriantur provinciæ: aſt merces cum mercibus ([d] quod jus priſcum, & Lycurgi) permutentur. Sic olim conſul Cicero juſſit. Sic Hiſpanus alicubi regnorum ſuorum facit. Anglus ſic facit. Dicam de ferro in tertio libro. Extra hos caſus, aut alios ſingulares ſi commercium impeditur, bellum ſuſcipietur juſte. [f] Etiam Bononienſes ſuſceperunt contra Venetos bellum ex hac cauſſa. [g] Etiam, cum per bella impediuntur (quod valde ſollemne eſt) commercia, ſuadetur bellantibus pax a Principibus aliis: &, imperſuaſis pacem facere, bellum infertur ut exempla apud hiſtoricos ſunt bona. Præſertim cum diu eſt quod bellant: [h] ut ſic in jure Canonico dicitur, cogendos ad pacem inimicos poſt longum tempus. Verum de commerciis ſatis. Nunc de mare. [i] Hoc natura omnibus patet, & communis ejus uſus omnibus eſt, ut aeris. Non igitur prohiberi a quoquam poteſt. Litora item a natura omnibus vacant: item ripæ, item flumina, hoc eſt, aquæ fluentes. [k]

Quid prohibetis aquas; uſus communis aquarum eſt.
Nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues undas: ad publica munera veni:

inquit Latona ruſticis Lyciis, qui de fonte bibere eam vetabant. [l] Et Ilioneus Didoni contra ejus cives,

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.

Defendit quidem ſuos Dido, ſed privata ratione,

Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.

a *Caſ. 4. Gal.*

b *l. 4. C. de commer.*

c *l. 2. C. eo.*

d *l. 1. de com. emt. Ariſt. 5. Eth. & luſt. 3. Serv. 3. Geor.*

e *Cic. Vat. ubi Ma. Scip. 2. Pare.*

f *Sig. vit. de re. lia.*

g *Treb. Vale. P. Diac. lib. 16.*

h *c. 9. diſt. 90.*

i *l. 2. §. de. di. re. l. 13. co. pr.*

k *Oui. 6. Metam. Vacon. decl. 11.*

l *Vir. 1. En.*

Sed

Sed jus generale eſt, quod dico. [a] Atque ita Latinus,

Ne fugite hoſpitium, neve ignorate, Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus aquam,
Sponte ſua, veteriſque Dei ſe more tuentem.

Quod eſt, tutos hoſpites habere apud ſe naturali inſtinctu, non lata lege, ſed nata: ut ſponte eſt, quod naturale eſt. Audiamus & de Ciceronе; [b] *Servanda communitas in omnibus rebus, quas ad communem uſum hominum natura genuit: ſic ut in proverbio, Amicorum omnia communia. Quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia, Non prohibere aquam profluentem, Pati, ab igne ignem capere.* Sic quod ait Seneca. [c] *Quis beneficium dixit, ignis accendendi facultatem poteſtatem?* [d] Immo, quod aliquis apud Plautum, *Datur ignis, tametſi ab inimicis petas. Cur tu aquam gravare amabo, quam hoſtis hoſti commodat?* [e] Etiam, panem ab hoſtibus impetratum, legimus. Sed officia hæc humanitatis non ſtatuo leges hoſtibus. De non hoſtibus nunc dico. [f] Noſter legislator ſupradictas res omnes, & uſum portuum eadem definitione notat. De quibus intelligimus, quod illud jus ſit, quo Galli, Angli, forte & alii utuntur circa naufragia. Eſt enim jus injurium: ut ſuis dominis eripiantur, quæ ejecta in illorum portus, aut litora ſunt per naufragium. [g] Et vero Juſtinianæum jus, quod de naturali, & gentium jure plurimum collectum eſt, injuſta hæc facta condemnat late, atque ſeveriter. [h] Et Andronicus imperator pertinaciter voluit, hoc idem jus noſtrum obſervari: & piraticam iſtam inhumanitatem compeſcuit pœnis aſperioribus. Quamquam vero uſum horum omnium dicimus communem omnibus, tamen [i] eaque dicitur opinio adprobata, ut quæri illorum poſſit poſſeſſio, & poſſint poſſidentes prohibere alios illis uti: & ita Venetos poſſe prohibere alios ingredi mare illud: non quia facti ſint Veneti domini maris, quod in dominio eſſe nequit, ſed quia ſic ſint poſſeſſores. Verum mihi opinio non placet: quæ lædit per inanes logos jus naturæ: ut ſi mare patet per naturam omnibus, id quidem claudi nemini debeat. Uſurpatio iſthæc eſſet: [k] & uſurpationem, hoc eſt, factum illicitum, ait Ambroſius: Juriſdictione, protectione potiuntur Veneti illius maris, alii aliorum. Et ſic [l] *Litora, in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani eſſe arbitror.* [m] Quæ ſcilicet uſu omnium communia: proprietate

[a] *Virg. 8. Æn.*
[b] *Cicer. 1. De Off.*
[c] *Sene. 4. de ben.*
[d] *Plaut. Tri. Ru.*
[e] *Plaut. 6. Sy. 8.*
[f] *Inſt. de re. di.*
[g] *D. de in. ru. va. & C. de naufr. & au. them navigia. C. de fur.*
[h] *Niceta.*
[i] *Ang. conſ. 290.*
[k] *Ambr. 1. de off. 28.*
[l] *l. 3. ne q. in lo p. Alc. l. 5. de juſt. Alex. 2. conſ. 294. Baro. l. 7. de di. re.*
[m] *Bal. l. 2. de di. re. Ang. d. l. 3. ne q. in lo. pu.*

tate nullius; juriſdictione & protectione ſic ſunt Principis: [c] ſic ſunt & publica. Sic quæ proprietate privata, uſu publico: ſic illa profluens aqua communis eſt, & ipſum flumen non tamen commune eſt. Et aqua profluenti ſic utimur omnes, quaſi alia qualibet aqua, etiam quæ non eſſet fluminis, veluti ad hauriendum, ad lavandum, ad aquandum: aqua autem veluti fluminis nec eſt communis, & ea ſic utimur non quaſi qualibet, ſed non aliter, quam in flumine, ut navigando. Hoc eſt, non in omnium uſu, ſed certi populi. Illud eſt omnium. Etiam omnium illud eſt in mari: nam mare audis commune omnium: flumina autem publica: & itaque a mari diſtingui. Eſt autem & in mari juriſdictio: aut nullus ulciſcetur magiſtratus admiſſa in mari. [b] Sed eſt & magiſtratus in mari, & magiſtratus juris eſt gentium: itaque etiam juriſdictio: & itaque ſint iſta ubique neceſſe eſt. Porro magiſtratus, ac juriſdictionis ratione tribui Principi plurima in mari, ſicut & in terra, id certum eſt, & juris explorati: quæ nemo ſubterfugiet, qui naviget. Ipſe Princeps, ſi mare neget in reliquis, commovebit bellum in ſe: quod inferent juſte illi, quibus, quod tribuit natura, negat. [c] Agit privatus injuriarum pro his apud magiſtratum: non privatus igitur bellum infert. Et tantum de naturalibus cauſſis. Reſtat de humanis.

a *l.* 23. 4. *ne q. in lo. p. l.* 2. *de fl. l.* 30. *de ad. re. do. Don.* 4. *com.* 2.

b *l.* 2. *de co. ii.*

c *l.* 13. *de injuriarum.*

CAP. XX.

De humanis cauſſis belli inferendi.

HUmanas cauſsas dicimus alias omnes: cum violato aliquo jure hominum ad bellum deſcenditur. Nam, juſtum eſſe, ulciſci injurias, & punire nocentes, & jus ſuum vindicare, definitum eſt. At quando violatum dicemus jus? Utique cum certi de ea re erimus, ut eſt quoque expoſitum: [d] & theologi itidem ſcribunt. Neque enim hic eſt bellum, niſi pars quædam juſtitiæ, quæ punire crimina velit. [e] Non eſt autem pœna niſi criminibus certis. Et dubium tamen ſi quod videtur, neque id velit princeps relinquere indiſcuſſum, & indefinitum, tardius quidem, ſed accedet tandem ad arma etiam pro re dubia, ſi alter, a quo violatum jus creditur, neget inermem ſubire diſceptationem, aut per iſtam diſceptationem non abſolvitur res. Videlicet vin-

d *Bell.* 5. *cent.* 3. *c.* 15.

e *l.* 5. *de pœn.*

vincitur mala cauſsa ejus, qui ſe probari non patitur: & nun-
a *Sen. ſuaſ.* 5. quam neceſſe eſt, nos deſerere inveſtigationem juris noſtri. [a] Levem vero injuriam eſſe nunquam oportet, quæ malum adeo atrox commoveat. Audiſti, quæ de juſto metu tradidimus. Ut enim pro levi & damno, & injuria privatorum detur privatis actio: non tamen magiſtratus exerit gladium niſi ex graviſſima cauſſa: & medici nonniſi graviſſimis morbis remedia graviſſima afferunt: eumque cenſent imperitum, & inhumanum, qui ferrum, & ignem meditatur aliter, atque molitur. Vituperatus & Draco ab omnibus, qui pro delicto quovis ſanguinem, & vitam poſcebat: & ſanguine verius, quam atramento leges conſcripſe-
b *Ari. 7. Pol.* rit. [b] Monet Ariſtoteles, ne bellum ſuſcipiatur ob levem cauſ-
c *Suet. 21.* ſam. [c] Auguſtus laudatur, quod non ob levem ſuſcipere cauſsam
25. d *Aga. 3.* conſueverit. [d] Et barbari illi non barbare, *Quibuſvis cauſſis me-*
Got. *veri, vaniſſimum; ſi tolerabilia ſunt, nec abſurdum ſtare, at in-*
ſanabilia, & ingentia pati, & indecora, hoc timidi, & deſi-
e *Poly. lib. 4.* *dis.* [e] Et ita maximus auctor Polybius, *Fugiendum bellum,*
non tamen ut omnia pati velimus, ne in id incidamus: pax, ſi
juſta, ea pulcherrima: alias nihil injuſte faciendum, nihil turpi-
ter patiendum, ut pacem habeas. Et de levi ſic cauſſa ante etiam indicavi. Contrarium autem his non eſt, quod bella multa; ſæ-
f *Bod. 4. de* *rep. 1.* pe & in exitium, ob leviſſimas cauſsas fuerint: [f] ut hoc alii obſervarunt. Nam facta nos non quærimus, aut ex factis jus conſtituimus: ſed ex jure examinamus facta, & faciendis præju-
g *Mac. 5. Sat.* *17.* dicamus. Neque Virgilius (quod temere in eo reprehendunt [g] grammatici) belli Trojanorum, & Latinorum cauſſam facit cervi cædem: & ſi faceret tamen, non inſolentiſſimum (ut audis)
h *Scal. 3. poe.* *9 Mins lib.* faceret. [h] Primos belli motus ex eo excitatos, ait Scaliger prope ad meam ſententiam. Minturnus ita, *venatu Aſcanii excitatum ſic bellum, nemini non probatur.* Occaſio ſcilicet, & princi-
i *Plu. Luc.* pium belli illic, non cauſsa. [i] Ut itidem cervus facit, prælium conſeri inter Lucullum, & Mithridatem, vel nolentes. Sic equus aliquando unus, aut levis lixarum rixa attrahit prælium juſtum. [k] Et ſic ut Tacitus loquitur, *Diſcordiæ raptu frugum, &*
k *Ta. 4. hiſt.* l *Poly. lib. 3.* *pecorum inter agreſtes, jam per arma, atque acies exercebantur.* [l] Cauſſæ a principiis ſunt diſtinguendæ: quod cauſsæ in rebus primæ ſunt: principia ultima cauſſarum: principia primæ hominum actiones in rebus, quæ judicatæ, atque deliberatæ ſunt: cauſſæ,

quæ

quæ judicium, deliberationemque præcedunt; quæque efficiunt, ut ita judicemus. Ut ita de cauſſis, & principiis bellorum Polybius. [a] Et ſic Virgilius de illo cervo, *primæ exordia pugnæ*. De cauſſis belli ante præceſſerat, aut de cauſſa potius, Laviniæ nuptiis, propter quas Juno, & Alecto movent Amatam, & Turnum, & bellum. Ecce ante, *Arma amens fremit: arma thoro, tectiſque requirit: Sævit amor ferri, & ſcelerata inſania belli, Ergo iter ad regem, polluta pace, Latinum Indicit primis juvenum, & jubet arma parari, Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem*. Et hinc quoque rectius dicetur principium belli, quando prima illa pro cæde cervi ſequuta pugna eſt. [b] Audi tamen de cauſſa, *Lavinia virgo cauſſa mali tanti*. Sic oracula, ſic monſtra; ſic omnia, ſic ſuprema Turni vox, *Tua eſt Lavinia conjux. Ulterius ne tende odiis*. Sed jam multa nimis contra grammaticos. Sed non multa tamen contra Modeſtinum juriſconſultum, qui itidem cum grammaticis ad ſeptimum Virgilii, *Belli cauſſa fuit violatus vulnere cervus*. Non levis porro hæc cauſſa, uxor regno dotata, magna Turno amanti cauſſa; cui & toties data dextera. Et hæc magna cauſſa Æneæ, cui Lavinia ſponſa. [c] Magna belli cauſſa Helena rapta, & ſimul violatum hoſpitii jus: ut ita ſcribit Strabo: & defendit Plutarchus contra Herodotum: qui dixit, bellum ſuſceptum a Græcis ſtulte propter malam mulierem; quæ utique nec rapta fuiſſet, ſi ipſa rapi noluiſſet. Plutarchus vi raptam vult: ego illud dico, injuriam viro ejus factam majorem, ſi non per vim rapta fuit, at volens, & corrupta: quoniam animus alienus viro redditus hic eſt, illic non eſt. [d] Qua ratione fuit Athenis pœna eorum levior, qui per vim potiti alienis uxoribus eſſent. [e] Et in jure noſtro actio injuriarum naſcitur patri, viro, domino, ſive volentem, ſive nolentem filium, uxorem, ſervum alterius quis re læſerit, aut verbis: & de corruptione eſt quoque actio. [f] Et licet eſt quæſtio inter noſtros interpretes, an pax rupta dicatur ex adulteratione uxoris; & plures negant ruptam: tamen & nec pauci, nec cotemnendi ſunt alii, qui contrarium affirmant: & priores peſſime docuiſſe. Etiam & de rupta pace quæſtio alia eſt: quod expono in tertio libro. [g] Sane etiam decennale fuit bellum inter Phocenſes, & Thebanos propter feminam raptam: & itidem decennale ob eamdem cauſſam inter Phocenſes, & Cyrrheos. Hæc raptio feminarum cauſſa il-

a *Vir. 7. Æn.*

b *Vir. 7, 11. 12.*

c *Str. lib. 13. Plu. de Hero. ma. Hero. 1.*

d *P. Vict. 3. lect. 15.*

e *l. 1. 26. de inju. & C. de fer. cor.*

f *Rom. conſ. 183. vbi add. Alex. 113. 4. vbi ad. l. Ma. Alex. 113. 2.*

g *Athe. lib. 13.*

ſa illa hoſtilitatis immortalis Græcorum, & barbarorum, ipſique adnotata Herodoto in primis eſt. Illud ejus regis ridiculum, ut ut Plutarchus referat in apophthegmatis ad Trajanum, qui ridebat, bellum ex hac cauſſa ſuſceptum: & de ſuis ipſe plures pro una reddere mulieres pollicebatur. Quaſi omnis mulier ea eſſet, pro qua periclitari Theſeus, & omnis conjurare Græcia poſſet: ut in laudibus Helenæ ſcribit Iſocrates. Aut quaſi is æſtus libidinis, qui bellum accerſivit Trojanis, Græcos in bellum impulerit? [a] Horatius & hoc falſo, *Nam fuit ante Helenam*. Honeſtas mulierum attaminata belli cauſſa eſt: nec enim aut ab hoſte tangi honeſtas debet: quod proximo libro exponam. Et quid rebelliones populorum unam hanc ob cauſſam memoro? Illa Romanorum a Superbo nota. [b] *Superbia bonis eſt crudelitate gravior. Tamdiu tamen ſuperbiam regis populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido: hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit*. Ecquid igitur ſi etiam negligitur hæc vindicari injuria? ſuperadditus contemtus eſt, qui nec modica injuria eſt. [c] Et ita Strabo recitat, juſte illatum fuiſſe bellum Meſſeniis, qui non multarint compellatores convicioſos alienarum mulierum. [d] Injuria fuerat appellaſſe, quæ nunc aucta ſic eſt. [e] Et Auguſtinus ſic adfirmat, juſtum fuiſſe bellum cum Sichimitis, qui tantam intulerunt injuriam Jacobi filiis, contaminata eorum ſorore. [f] Quod ſi Jacobus, & ſpiritus Dei immo bellum illud vituperat, lateat hic aliquid: ut idem ait Auguſtinus: & illud hoc eſt, quod & per fraudem fœderis bellum fecerint: cædem belli- cam in pace deſignarint: [g] ut in ſimili caſu ait David. Exceſſerunt quoque illi fratres multo juſtæ vindictæ rationem. Audi ecce verba Jacobi, *Simeon, & Levi fratres: inſtrumenta violentiæ conventiones eorum: pro ira ſua occiderunt viros: & pro arbitrio ſuo evulſerunt boves: maledicta ira eorum, quia vehemens, & furor eorum, quia ſævus*: [h] & Hieronymus, *Fœderatos viros interfecerunt, contraque jus pacis, & amicitiarum ſanguinem fuderunt innocentem: & quaſi quodam furore ſic crudelitate rapti muros hoſpitæ urbis evertunt*. Innocentes autem iſte intellexit aut non obſtrictos illi contaminationi, aut etiam omnes poſt compoſitam pacem. Nam antea erant nocentes: contra quos & eſſe bellum poterat: [i] & ſic itaque idem Auguſtinus ex perſona eccleſiæ contra ſynagogam, *latronum ritu vaſtaſti innocentes Sichi-*

a *Hor. 1. Sat. 3.*
b *Flor. 1.*
c *Str. lib. 8.*
Juſti. 3.
d *l. 15. de inju.*
e *Aug. Ge. q. 167.*
f *Gen. 49. Oſe. 6.*
g *1. Reg. 2.*
h *Hie. q. Gen.*
i *A. alt. ecc. ſyn.*

Sichimitas. [a] Fuit bellum Iſraelitarum contra Beniaminitas eamdem ob cauſſam violatæ, nec vindicatæ mulieris: atque bellum ore Dei ſancto probatum, & geſtum forti manu eſt. Sed ſunt aliæque cauſſæ bellorum: quas omnes aut perſequi, aut enumerare longum foret. Narro in ſecundo libro de armis Romanis, quæ horum fuerint omnes bellorum cauſſæ. [b] Trajanus bellum contra regem Armeniæ movit, quod is non a ſe, ſed a rege Parthorum, coronam regni accepiſſet: & juſta belli cauſſa fuit: magnum enim eſt magno rege cliente ſpoliari. [c] Atque ab imperatoribus Romanis coronam rex ille Armeniæ ſumere magis ſueverat: quod illud regnum uſque inde a Tigrane per Magnum Pompejum victo ſic pertinere ad Romanos videbatur. Digna mihi cauſa videtur, cur Cyprus auferretur regi, & bellum in eam rem decerneretur: [d] quicquid hoc ſcelus, hoc latrocinium, rem nefariam clamitet Cicero non uno loco: & alii etiam ſcriptores aut avaritiæ factum condemnent. Nam Clodii, inimiciſſimi hominis, laudare nequiit Cicero actionem: quam tamen ſanctiſſimus Romanorum, M. Cato egit, & tutatus eſt. Quis Catonem coegiſſet, provinciam illam ſuſcipere, quam non probaſſet? [e] Rex ille Clodio, a piratis capto, in redemtionem duo tantum talenta præ avaritia dicitur contuliſſe. Quod ſi (ut eſt veriſimile, [f] & ut Rhodii pacto tenebantur, vel uni cuipiam Romano civi, quoties opus eſſet, ſuccurrere) & iſte Cyprius rex debuit adeſſe Clodio: jam habemus regem delinquentem, & (quod ſcribit [g] Strabo) ingratum adverſus benemerentes Romanos: quorum fretus imperio (ut ipſe inquit Cicero) perfruebatur otio, & regno. Dico alibi, & iterum de hoc vitio ingrati. Quod ſi, rebus non repetitis, aliis non actis ſollemnibus juſtiſque, res ea peracta eſt, (ut item accuſat Cicero) crimen ego non defendo hic, nam de materiali cauſa hic quærimus bellorum: illa alia quæſtio eſt de formali. Et hoc de facto Cyprico etiam trado in libris De armis Romanis. Videmus hic etiamnum de una, atque altera materiali. [h] Hercules non juſte bellum movere in Trojanos viſus, ob equos ſibi ex pacto debitos, nec præſtitos. An quia levis cauſa rei levis, & ferendæ jacturæ? Idem igitur erit judicium de bello altero, [i] quod Augiæ intulit, ob mercedem non acceptam purgati ſtabuli. Atque ita verum de eo. [k] Homerus dixerit, quemadmodum multa fecit injuſte, & multa tulit. [l] Bella

a *Jud.* 19. *ſeq.*
b *Zonara.*
c *Sueton. Aug.* 21. *Ty.* 41. *Ner.* 13. *Tac. an.* 2. 3. 6. 11. 12. 13. 15.
d *Cic. pro do. pro Sext. Am. lib.* 14. *Sext. R.*
e *App.* 2. *civ.*
f *App.* 4. *civ.*
g *Str. lib.* 14.
h *Str. lib.* 13.
i *Paus. lib.* 5.
k *Hom. by. Herc.*
l *Sen. Her. Oe.* 2.

ejus furiosa propter mulieres alibi accusantur: & hæc quidem recte: [a] ut Dariusque vituperatur, qui bellum contra Scythas movit, quia filiam regis eorum nequiit impetrare uxorem. Nec enim fit injuria illi, cui aliquid non datur, sed cui suum, aut debitum denegatur. Belle scriptor historiæ Darii hujus, *malo publico verecundiam, & libidinem suam studuit vindicare*. Cæterum ad mercedem quod attinet, [b] Baldus scribit, inferri bellum posse ob debitum pecuniarium non solutum: scilicet quod civiliter fieri nequit, id facto liceat facere: & vi, & dolo uti possimus sic ad nostrum consequendum: & quidem ob raptas res non bella Romanis plurima, & prima? Sed tamen capiendus est Baldus de re nec levi: [c] & nec levis erit injuria, quæ facta personæ sit digniori: etiam & defendi potest Hercules, quasi ultor perfidiæ, atque perjurii, non damni sui, & illa est causa honestatis, de qua sermo ultimus hujus libri est.

a *Jor. de or. Ge. & Oros. lib. 2. c. 8.*

b *Bal. l. 5. de just.*

c *l. 7. 9. de injur.*

CAP. XXI.

De malefactis privatorum.

ATque supradicta sunt, si princeps, aut populus peccavit; immo & si peccavit privatus; atque hujus emendare peccatum neglexit princeps, aut populus. Verum de his privatorum, & populorum factis cognoscenda nonnulla sunt adhuc. [d] Et illud primum, quod privati nocere universitati non possint juste, etenim nec quærunt universitati. [e] Non imputatur universitati delictum singulorum: [f] & nota hæc sunt omnibus, dicente Baldo, aliis; [g] scilicet aliud singuli, aliud universi: & itaque singuli ex contractu nec obligantur universitatis: [h] & itaque Livius scribit, nullo fuisse Sabinos auxilio publico a Vejentibus adjutos: at valuisse pactam cum Romulo fidem induciarum apud eos: quicquid voluntarii quidam, & vagi ex plebe inopes, mercede ducti cum Sabinis fuerint: & sic Latinos respondisse, alibi narrat. De plebeis responsum: nam in bello cum Volscis gesto, cum pars maxima captivorum ex Latinis, atque Hernicis fuisset inventa, addit Livius, nec hominem de plebe, ut credi posset, mercede militasse, sed principes quidem juventutis inventi, manifesta fides, ope

d *Dec. cons. 221. 667.*

e *Fely. c. 6. de const.*

f *Bal. 1. cons. 439. Alc. 5. cons. 23.*

g *Bal. 3. cons. 47. Alc. 3. cons. 7.*

h *Liv. lib. 1. 6.*

ope publica Volſcos adjutos. Quæ diſputationes ſunt pro illis Gallis; de quibus notavi antea in fine capitis IV. Et ſcio tamen conjecturas has eſſe valde incertas. Non etiam obſtringent univerſitatem, ſi illi capti ſic contra civitates ſuas, ut Latini illi, & Hernici feciſſe dicuntur, quod publico eſſent miſſi conſilio, teſtarentur. [a] Neque enim niſi leve facit indicium teſtatio ejus, qui ait, mandatum ſibi maleficium extitiſſe. [b] Non ejus probat teſtimonium, qui ſperare commodum ex eo poteſt, quod pro teſtimonio dicit; ut ſperare iſti privati poſſunt maximum, qui jus belli ſic habebunt, ſi a publico miſſi ſunt. Si qui vere habent mandatum a publico, dicant tamen, non ex mandato feciſſe ſe, ſed ſponte ſua: ego putarim, non eſſe publicum excuſatum: [c] etſi in aliis caſibus ſic excuſari mandator ſolet; nam hic tenentur mandatarii iſti parere juſſui: [d] itaque neceſſariæ cauſſæ tribui factum oportet. Sic igitur privatus non nocet univerſitati; & ſic illud in formula fœderum, SI DEFEXIT PUBLICO CONSILIO. Iniquiſſimum videlicet exiſtimarint, ut unus aliquis trahere bellum contra civitatem, aut contra regnum integrum poſſit. Quam privatus fecit injuriam, non debet luere reſpublica. [e] Rex Galliæ conquerebatur, emtum Venetiis commeatum, & pulverem tormentarium, advectumque hoſtibus ſuis. Sed reſponderunt Veneti, civitatem illam liberam, ubi nemini unquam interdictum negotiari: & factum illud a privatis mercatoribus fuiſſe. [f] Sed Romani tamen juſtum non putarunt, quod reſpondit Teuca regina Illyriorum, curaturam ſe, ne qua ab Illyriis ſuis injuria publice Romanis hominibus inferretur: privatam autem Illyrios e mari capere utilitatem prohibere, non eſſe regibus conſuetum. Nam reſponderunt huic reſponſioni Romani, ſibique morem eſſe optimum, privatas injurias ulciſci publice, & juvare læſos; adeoque daturos operam, ut cogeretur illa regias illiuſmodi conſuetudines emendare. Recte: [g] nam tenetur civitas civem defendere. Et hic dico ego, duas eſſe quæſtiones: alteram, ſi factum privatorum illico illaqueat univerſitatem: alteram, ſi univerſitas negligit illud factum emendare, jam nunc illaqueat ipſa ſe. Et in priori ſic concluſimus, univerſitatem non illaqueari. Atque id eſt, quod Romani tantum a Teuca petunt, ut piraticam illam vetet in poſterum: [h] & iidem legatos mittunt Carthaginem ſciſcitatum, publico ne conſilio Hannibal Saguntum oppugnaſſet.

Nec

a *Clar. §. fin. q. 21. Capyc. conſ. 113.*
b *Bar. l. 18. de ju. fi. Alc. 6. conſ. 25.*
c *Dec. 3. conſ. 04.*
d *l. 1. de fer. fer.*
e *Guicc. lib. 5.*
f *Polyb. lib. 2.*
g *Bald. 4. conſ. 100.*
h *Liv. lib. 21.*

Nec antea volunt, indici Carthaginenſibus bellum, quam iſti publicum aſſererent factum aut ipſa re. [a] Ut eſt ſcilicet ratihabitio etiam fortior, quæ re fit, quam quæ verbo; & eſt delicti quoque ratihabitio. Satisfaciendum fuit Romanis, [b] quod factum fuiſſet, aut pœna ſoluta criminis, de quo agebatur: aut eo dedito, qui deliquerat; alioqui inferri univerſitati bellum poſſit. Atque ita in poſteriore quæſtione adfirmamus, ipſam ſe univerſitatem bello obſtringere, quæ cum poſſit, & vero etiam debeat, ſuos in officio continere, hoc facere negligit male. [c] Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non valet: quare quæ ſcit, admonita univerſitas, & debet eadem, poteſtque per ſuam juriſdictionem prohibere delicta ſuorum, in culpa erit, & in crimine, ſi non prohibet. [d] Et ita illatum Meſſeniis bellum a Lacedæmoniis ſcimus ob interfectorem Lacedæmoniorum quemdam non deditum. [e] Hæc belli cauſſa Eleos inter & Lacedæmonios: quod Lacedæmonius vir ob Eleis habitus male. Hæc Iſraelitarum cum Beniaminitis. Hæc Romanorum cum Teuca. Hæc plura. [f] Et noſtri hæc quoque ita docent interpretes. [g] Sed & repræſaliæ hic indicuntur ſæpe, non bellum: quemadmodum ob denegatam juſtitiam, ita etiam ob neglectam. [h] Etiam illud traditum eſt, non modo lædi publicum fœdus, ſi expreſſe neget univerſitas læſis ſatisfacere, ſed etiam ſi longo tempore feret, injuriam fieri, licet a principio nulla fuerit communis deliberatio. [i] Sic ſane concludunt, civitatem teneri pro delictis civium non momentaneis, ſed ſucceſſivis continuatis; & hoc tamen ſi & ſcivit, & potuit prohibere: ut prohiberi ſucceſſiva poſſe videntur a civitate potenti: quia tempus ſuperſit. Succeſſiva, dicam delicta an non? ſucceſſiva certe ea ſunt, quæ cum periculo magno, ac detrimento regni Angliæ, fœderatorumque facere tentant alii, ut ad Hiſpanos deferant commeatum, & quod in bello uſui eſſe ſolet: etiam facere pergunt rogati ne faciant: etiam petunt, ne rem iſtam rogentur: quæ contra jus gentium, & commerciorum libertatem eſt. Magna quæſtio: hinc jure ſtricto pro his, illinc ſtante pro Anglis æquitate. [k] Sed quis tamen neſcit, *in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque, quam ſtricti juris rationem?* legem æquitatis juri anteſtare ſtricto? ſententiam ſcripto? bonum, & æquum eſſe jus? [l] Eſſe autem æquo æquius? & favorabili favorabilius, & utili utilius? Lucrum illi commerciorum ſibi perire

a *Alc. §. conſ. 51. Cla. §. fi. q. 87. l. 152. de reg. ju.*
b *Cic. 1. Ver. 2. ubi Manut.*
c *l. 50. 109. de reg. ju.*
d *Pauſ. lib. 4.*
e *Pauſ. lib. 6.*
f *Alc. l. 5. de juſt. & conſ. 23. lib. 5.*
g *Rom. conſ. 169.*
h *Dec. conſ. 486.*
i *Ferr. conſ. 2. Alc. d. 23. Jaſ. l. 27. fi. ff. p.*
k *l. 8. C. de judi. Cic. 2. de inv. b. 90. de reg. ju.*
l *Bal. 5. conſ. 133. 371. Dec. conſ. 25.*

rire nolunt. Angli nolunt quid fieri, quod contra ſalutem ſuam eſt. Jus commerciorum æquum eſt: at hoc æquius tuendæ ſalutis, eſt illud gentium ius; hoc natura eſt; eſt illud privatorum, eſt hoc regnorum. Cedat igitur regno mercatura, homo naturæ, pecunia vitæ. [a] Iſtæ ſunt rationes ſolvendi legum pugnas: ut digniori, utiliori, æquiori cedatur legi. Ut ſacræ cedatur a profanæ; ſpectanti animam a ſpectante corpus, ſpectanti corpus a ſpectante fortunas; juri naturali a lege, quæ etiam æquum contineat, & jus naturale; ſtatuenti tuitionem ſuorum, a ſtatuente tuitionem alienorum: habenti bonum publicum, ab habente privatum; æque a rigoroſa; neceſſarii caſus a non tali; præcipienti, & vetanti a permittente; veteri a nova; privilegiatæ cauſsæ magis, &c. [b] Hæc in civitate eſt ratio, cur de ſuo ſæpe facere nequeant homines, quod vellent: ne quid reſpublica caperet detrimenti: ne quid etiam non æqui in alios privatos rediret. Et hic ratio publicæ rei eſt, publicæ partis orbis. [c] Hic tantum illud ſumus admonendi, etſi in promtu eſt, ut animadvertamus, quom juvare volumus, nos uti excuſatione adverſus alios, quos inviti offendimus, quacumque poſſumus; quare id, quod facimus, neceſſe ſit, nec aliter facere poſſimus; cæteriſque operis, & officiis futurum, quod violaverimus, compenſandum. Hæc Cicero, ſi quando alios contra alios tueamur: quæ tanto ſunt certiora in defenſione propria noſtra. [d] Et diſputatio ejuſdem lata, quod contra naturam ſit, & contra leges populorum, hominis incommodo ſuum commodum augere: etiam quam omnia incommoda ſubire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quæ injuſtitia vacent: eſſe etiam, quæ pro aliis facere liceret, nullo modo pro nobis ipſis. Ea diſputatio lata nec adverſatur nobis, qui hoc defendimus cum eodem auctore, ſic licere tamen de commodis detrahere alienis, ſi utilitas multa reipublicæ, atque hominum ſocietati pariatur. Quod enim inutile reipublicæ ſit, id cuiquam civium utile eſſe non poſſit. Reponantur hic, quæ de ſocietate diximus hominum latiſſime. Et quod iſti Societati conſulitur pervalde, ſi medium non vellitur de fornice ſaxum, &c. Illi ipſi, alii, qui nunc ferunt ægre, commercia ſic impediri ſibi, illi abſtinere commerciis his, illi prohiberi deberent ab aliis, etiam cum negligerent Angli rem. Placere ipſi etiam Collatino debuiſſe innocenti exſilium ſuum, quod urbi utile viſum

a *Stef. Frid. de int. f.* 2.

b *l.* 2. *de his qui ſu. ju. l.* 1. *de aq. co.*

c *Cicer.* 2. *De Off.*

d *Cicer.* 3. *De Off.*

ſum fuit. Placere his mercatoribus debet interdictum ſibi commercium, lucrum ereptum, quod utile tantæ parti eſt orbis, immo orbi omnino univerſo. Tolerent id mali ad tempus. Id nec eſt impediri commercium: ut neque, cum niſi ad loca aliqua impeditur. Tolerent certum præſens incommodum minus propter majus etiam incertum futurum. [a] Sic auctores juris. Quod autem pro Anglis dixi, idem dico & contra Anglos, & contra alios, qui nunc, bello durante inter Cæſarem & Turcam, commoda bello ad Turcam ferrent. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Atque de his hactenus. Quæri autem de eo nunc poteſt, *quod ſit factum publicum aut privatum.* [b] Nam Polybius publicam a privata injuria diſtinguit magnitudine. Hyperides contra, re parva, triremi una, publicum factum cenſuit, in oratione de fœdere Alexandreo. [c] Gravior eſt autem injuria, quæ fit a pluribus: ſed tamen non ideo publica eſt. [d] Atque ita noſtri juris interpretes rectius, & explicatius docent, factum eſſe publicum, quod deliberatum a legitime congregata univerſitate eſt. Itaque non eſſe publicum, quod vel a magiſtratu factum, vel etiam a toto populo per aliquem concurſum aliter eſt. [e] Elegantes Auguſtinus: *Aliud eſt, quod in populo quiſque habet peccatum proprium, aliud, quod commune, quod uno animo ſit, & una voluntate aliquid multitudine comparata committitur. Ubi univerſi, ibi & ſinguli: non autem ubi ſinguli, continuo ibi univerſi. Singuli enim eſſe poſſunt ſine univerſo: univerſi autem non poſſunt niſi ex ſingulis quibuſque conſtare: nam ſinguli quique congregati, vel in ſummam reputati faciunt univerſos.* [f] Addunt noſtri explicatius, quod factum a majori parte dicitur ab univerſo factum, & publicum, ſi a majori non ſingulorum, ſed univerſi parte factum eſt. Quod & certum. De legitima congregatione ajunt, aut ſono tubæ, vel campanæ, vel alio modo conſueto oportere eam eſſe congregatam: & quando non tota conveniret civitas, etiam debere conſilium præcedere commune ad factum, nec eſſe ſatis, ſi bellicis civitatis inſtrumentis, & ſignis procederetur. Si tota conveniat civitas, nihil intereſſe, an hæc intervenerint, & concilium: facta enim ſic ſunt ſatis, ut verba: & ſic de Ancharano Ferretus docet. Quæ hic ſatis. Si non omitto illud quoque dicere, quod utut hæc exigantur ad delictum facti, non exiguntur tamen ad delictum non facti; [g] hoc quippe non

a *Panor. c. 17. de ſponſ.*

b *Poly. lib. 4.*

c *Soc. 2. conſ. 43.*

d *Pan. de con. Bal. Alex. 6. con. 13. Fer. 2. Eng. 86. Bal. 1. 283. Fely. c. 6. de conſt.*

e *Aug. Leu. q. 26.*

f *Alc. l. 27. fi ce. pe. conſ. 23. lib. 5.*

g *Bald. d. 283.*

non facti admittitur ſine tanta ſollemnitate. Et exemplum eſt, cum univerſitas negligit factum privatorum emendare. Recte. Nam cur non ſe congregat? Aut ſic erit in poteſtate civitatis, culpam ſemper, & bellum effugere.

CAP. XXII.

De vetuſtis cauſſis non excitandis.

SEquitur nonnulla alia quæſtio: & prima hæc, ſi vetuſtæ cauſſæ afferri poſſunt ad bellum faciendum. In qua ego ſane arbitror, non afferri poſſe. [a] Non decet, reges meminiſſe injurias veteres, quod ipſique audet Jovi Prometheus dicere: [b] & hiſtoricus, *obſoletis criminibus perfricta fronte renovandis rex Siciliæ bellum imperatori minitatur*: [c] & ita Joannes Bodinus quoque, *Vetera huc non afferentur*. Alioqui quid vetat, quominus cauſſa ſit ſemper aliqua, ſi perſequi, & producere antiqua, & antiquata poſſimus? Probavi ego ſemper Hannibalis ſupra Polybii, & Livii judicium: [d] qui duo hiſtorici ducem illum reprehendunt, quod moturus in Romanos bellum, non a repetenda Sardinia, quæ ablata ſuis per occaſionem belli mercenariorum, ſtatueret, diceret cauſam belli, ſed inanes, & ratione carentes alias Saguntinas: unde ſibi principium naſceretur Romani belli. Nam ut putem, non veras fuiſſe cauſſas, quibus in bellum Saguntinum moveri ſe, Hannibal aſſerebat: [e] at illas fuiſſe veras, puduiſſe Carthaginenſes, nobilem populum, ablatum mare, raptas inſulas, adjecta ſibi tributa: quod tamen tranſactum de his erat, induci potuit poſtea de iiſdem minus recte, & diſputari. Siciliam nimis celeri deſperatione rerum conceſſam; & Sardiniam inter motum Africæ fraude Romanorum, ſtipendio etiam ſuperimpoſito interceptam; verum ſit: hic tamen nodus eſt, ſi quod per ſuam deſperationem male in finiendo bello fecerunt, id poſt retractare Carthaginenſes juſte potuerint: & certe non potuerunt. Nec enim iſta dicuntur in bellis, diſputationibus violentis. Sed & quis reſcindit tranſactionem litis civilis prætextu hoc, quod ad eam deſcenderit, quia aliis tum litibus occupatus, & aliis diſtentus negotiis, ſupereſſe ei præterea liti nequiiſſet? Hoc prætexere Carthaginenſes habuere pro Sardinia. Nam ſi fraus præterea, & perfidia

a *Lucia. Pron.*
b *Nicet. 1. Alex.*
c *Bod. 5. de rep.*
d *Poly. 3. Liv. 21.*
e *Flor. 2. Liv. eodem.*

fidia aliqua Romanorum interceſſit, (de quo diſputo in libris De armis Romanis) concludi pro Carthaginenſibus poſſet: & tamen res fuerit ſemper impeditior. A Sagunto rectius omnino Hannibal, qui nec moveri a ſe in Romanos bellum dixerit, etſi Saguntum oppugnaret. Quæſtio eſt ſcilicet, ſi comprehenſi fœdere cum Romanis Saguntini eſſent: & comprehenſi licet eſſent; quod tamen hoſtibus Hannibalis ſubſidio, & perfugio fuerint, eos Hannibal oppugnabat juſtiſſime. Ipſos etiam Romanos, quibuſcum per tot fœdera junctus erat, oppugnaſſet recte, ſi Romani ſic ſubveniſſent hoſtibus Carthaginenſium, quemadmodum Saguntini ſubvenerunt: & ex recenti (ut nunc quærimus) cauſſa intuliſſet. Hanc recentem cauſſam quæſiere Romani, bellum ſuſcipientes contra Philippum regem Macedoniæ: neque enim priores ab eo acceptas injurias, ſed præſentem Græciæ ſtatum obtendunt, [a] *eam cauſſam prætexentes, quod Græciam Philippus invaſiſſet, ſed revera ob priores injurias*, ait hiſtoria. Ille ſpecioſus, & commodus eſſe potuit titulus: ſed & hic præſtitit ad juſtitiam. [b] Si quidem injuriarum titulus non ſupereſſe videretur: quaſi abolitæ diſſimulatione eſſent injuriæ, & ſemper præſtat cauſsa recentior: etſi altera nec dudum antea extitiſſet. [c] Etiam prudenter, pax dum componebatur inter Gallum & Hiſpanum ante annos aliquot, viſum fuit, ut, antiquis ſilentio prætermiſſis contentionibus, tantum de recentioribus tractaretur, quæ componerentur. Quod ſi nolumus exiſtimare, eos reges voluiſſe pro parte amicos fieri, controverſias antiquiores pro antiquatis habuiſſe intelligentur. Non ſic de jure privato per omnia. Sed nec inter principes lis civilis finita quidquam faciet, quominus alia exiſtere vel de antiquiori re queat. At in hoc armorum judicio, quod eſt hoſtilitas, & cujus finis amicitia, & pax eſt, compoſita omnia eſſe habent; ut ſuo tempore exponam. Cæterum quod in cauſſis privatorum fit, & in publicis etiam, ſi civiliter diſceptetur, ut præſcriptione temporis excludantur actiones, an & bellica actio itidem excluditur? & quæ olim eſſe potuit juſta belli cauſſa, ea poſt multorum decurſum annorum eſt juſta? Sane ſi jure legitimo ſic arcentur actiones, quid non etiam cauſſæ belli? & hæ arceantur actiones armatæ? [d] Bono publico introducta eſt uſucapio, & præſcriptio, ut ſit aliquis litium finis. Quid ni & bellorum? [e] Ajunt Lacones, *Hanc colimus terram ab Herculis poſteritate datam*,

a *Zonara.*

b *l. 2. de in. jur.*

c *Nat. Con. lib. 2.*

d *l. 1. de uſu. cap.*

e *Iſocr. Archid.*

Delphico oraculo confirmatam, & incolis ejus bello (nota triplex jus poſſeſſionis) *ſuperatis. Non vos latet poſſeſſiones, ſive privatas, ſive publicas præſcriptione longi temporis confirmari. Meſſanam tenuimus amplius quadringentos annos.* [a] Atque eadem fere omnia, id certe, quod modo quærimus, etiam Jephthes reſpondit Ammonitarum regi de jure præſcriptionis: *Dum habitavit Iſrael in omnibus illis civitatibus trecentos annos, quare non eripuiſtis eas tempore illo?* Et id eſt, quod [b] alii theologi ([c] nam alii volunt, quod contra jus iſtud præſcriptionis eſt) in propoſito ſic obſervant, Judæos nunquam feciſſe verbum de jure Semi, auctoris ſui, quod adverſum Chananæos erat, occupatores terræ ejus: longiſſima enim præſcriptione quingentorum annorum eam terram Chananæi tenebant: quæ ſi non valeret præſcriptio, vix ullus dici legitimus princeps poſſet. [d] Veteres Perſarum, ac Macedonum terminos, & poſſeſſa Cyro, & Alexandro *per vaniloquentiam* repoſcebat Artabanus, Parthorum rex, a Tiberio, ut inquit Tacitus. [e] Et Solimanus longe varius poſt annos mille jura repetebat Conſtantini: & Carolus V. hæc, & alia ſuperiorum Auguſtorum: [f] & a Conſtantino ipſo, & a filio ejus & ab Alexandro Severo ante, rex itidem Perſarum omnia, quæ olim uſque ante Alexandrum Magnum fuiſſent imperii Perſici: [g] & inepte Maſiniſſa longiſſimam Carthaginenſium poſſeſſionem vellicabat, & imperium longiſſimum. [h] Antiochus Magnus eodem prætextu Æoles, Jonaſque bello eſt aggreſſus, quoniam illi populi majoribus aliquando ſubditi fuiſſent ſuis. Sed & refutatur is a Romanis eodem jure præſcriptionis: quod etſi proavus ejus per bellum habuerit urbes illas; pater tamen, & avus non habuerint: & ipſæ urbes per multos annos, nullo ambigente, uſurparunt libertatem. Hic nobilis eſt luſus, quem reges ſic ludunt, reſpublicæ & imperatores: & cui ſic eſt theatrum orbis terrarum omnis per ſæcula omnia: quod eleganter adverſum has ipſas longas memorias Montagneus, clarus ſcriptor Gallus: & itaque jus præſcriptionis iſtud & hic juſtum: [i] Sunt vero interpretes juris, qui ſic exponunt de rege Francorum, eum præſcriptione ſaltem eſſe exemtum ab imperatoris ſubjectione. [k] Contra quos non apte affert Alciatus, quod nulla temporis præſcriptio obtineat contra imperium. Hoc enim nec eſt verum in præſcriptione temporis ejus, cujus initii non exſtet memoria: [l] id eſt cum nemo,

a *Jud.* 11. *ubi not.*
b *P. M. Jud.* 11.
c *Epiphan. Aug. de te. ſer.* 105.
d *Tac. ann.* 6.
e *Jov.* 30. 34.
f *Herodia.* 6. *Zon. Amm.* 17.
g *Liv. lib.* 34.
h *App. Syr. Liv.* 34. 35.
i *Fulg. Sacc. l.* 1. C. *tit.* 1.
k *Al. l.* 5. *de juſt.*
l *Alex.* 5. *conſ.* 16. *Ale.* 3. *conſ.* 24.

mo, ut communiter creditur, eſt, qui aut ipſe viderit, aut ab aliis audierit contra quam nunc eſt: & id eſt tempus centum annorum. Alioqui memoria ab hiſtoriis, aliunde deeſſe vix valet. [a] Ita vero mecum de iſta præſcriptione temporis immemorabilis adfirmat poſt Angelum, Decium, Bellonum doctiſſimus præceptor meus M. Antonius Eugenius in reſponſis. [b] Contra principem item valere præſcriptionem centum annorum, magis etiam communis opinio eſt, ipſique probata Alciato. Et præterea quæ ſancita ſunt in jure civili ſubditis, ea trahi ad principes facile non oportet: ſubditi enim difficilius bonam fidem, & juſtum titulum obtinebunt. Videndum & cum principibus eſt de titulo, ut præſcriptio poſſit eſſe. [c] Ecce enim Sabaudus, qui Nicæam pignori habuit a rege Gallo, injuſte urbem domino non reſtituit; & nullum aliud, quam inveteratæ poſſeſſionis jus illic ſibi eſſe fatetur. [d] Neque enim titulus pignoris aptus præſcriptioni. [e] Atque contra ipſum regem Galliarum, qui Perpinianum pignoris tantum jure tenebat ab Hiſpano, ſic P. Jovius graviſſimus, ac luculentiſſimus hiſtoriographus, (quibus eum titulis merito ornat juriſconſultus, pariter graviſſimus, & luculentiſſimus, Tiberius [f] Decianus, in Reſponſis: alii quicquid garriant) ſic ſcribit Jovius, *parum ſincera fide veteris pacti conditionem multis juris cavillationibus involvebat*. [g] Latiſſime etiam conſuluit Joannes Cephalus in caſu iſto: cum pro pecunia mutua datus pignori comitatus eſſet: & magis communem opinionem dicit, & veriorem docet, in quæſtione tamen (ait) valde dubitabili, non eſſe præſcriptionem. Videndum autem de his, quæ ad præſcriptionem requiruntur, ſive ratione tituli, ſive fidei bonæ, per latiſſimas noſtrorum interpretum diſputationes, & copioſos, qui hoc de argumento toto exſtant, tractatus. [h] De bona fide aliquis etiamnum theologus docere tentat, poſſideri a Turca bene omnia erepta nobis: nam Dominus Deus velit, nos propter peccata noſtra ejectos de terra noſtra. Quæ ridicula ſunt. Quis enim non jam fuerit per hanc rationem in bona fide? Aut Turcæ opinio latrocinantis cogitat de juſta illa voluntate Dei? Aut boni ſunt affectus, & effectus praviſſimorum hominum, quia ad voluntatem ſuam Deus utitur peſſimis illis bene? [i] *Etſi juſtam dicimus Diaboli poteſtatem, non tamen & voluntatem. Non Diabolus, qui invaſit hominem; non homo qui id meruit; ſed juſtus Dominus qui id*

a *Eug. 1. conſ. 86.*

b *Alex. 1. conſ. 83. Alc. d. 24 & 25. l. 25. C. de pact.*

c *Jov. lib. 34.*

d *l. 9. C. de pr. act. Dec. 3. conſ. 108.*

e *Jov. lib. 1.*

f *Decia. 5. conſ. 19.*

g *Cepn. conſ. 302.*

h *D. B. 5. contr. 3. c. 26.*

i *Bern. Epiſt. 90.*

id voluit. Non a poteſtate, ſed a voluntate juſtus, injuſtuſve quis dicitur. &c. apud Bernardum. At abeundum nunc non eſt a jure hominum. De tempore ſic mihi videtur, ut quæ contra res favorabiliſſimas valet centum annorum, ſive temporis, cujus non ſit memoria contraria, ea & hic valeat ſemper. [a] Aratus ille Sicionius aut quinquaginta annorum poſſeſſiones, quæ & ſub tyrannide juſtis ablatæ dominis, movere non nimis æquum putabat. At ſequitur difficultas tamen. Nam, ſi non valenti agere non currit præſcriptio, videri poteſt, nec præſcriptio hic currere, ubi princeps, qui agere, & movere bellum habet, facile poſſit dicere, neque ſe, neque prædeceſſores ſuos potuiſſe movere bellum. [b] Et notandum eſt, quod regula hæc & eſt naturalis, & obtinet etiam adverſus præſcriptionem iſtam temporis immemorabilis: Dicere autem illud princeps poterit: quia non, ut in legitimis diſceptationibus fori definis, fuiſſe facultatem agendi ei, qui judicis copiam habuit, & rei conveniendi poteſtatem, & ipſe impeditus non fuit, ita in controverſia iſthac armorum expedieris. Vis enim armorum, & Mars judex fuerit hic: quem ſibi iniquum dixerit, & perſuaſerit, qui adverſarium potentiorem olim convenire voluiſſet. Sic neque conveniendi reum facultatem tenuerit: & ipſe fuerit impeditus. [c] Dormit propter metum præſcriptio tempore tyrannidis: [d] & ei, qui agere non poteſt commode, ſuccurritur adverſus præſcriptionem; cum id genus aliis. [e] Et igitur qui aliena tenuit diu, non ſibi placeat propterea, ſed fortunæ imputet, quæ dominos impediit, inquit Demoſthenes. Sic ſane credimus, neque hic currere præſcriptionem impedito agere. Sed ſi non ſubfuerit impedimentum, tum admittimus præſcriptionem. Poſſe autem non ſubfuiſſe impedimentum, cur negemus? Et quæ in privatis rebus ſæpe cernitur negligentia, & ignavia, eadem & in publicis non cerni poſſit? Quam hic optamus agendi commoditatem? Certum ſic Martem amicum, ut dubitare de victoria non habeamus? At nunquam ſic eſt mars: & neque in lite civili id deſideramus. *Audentes fortuna juvat*. Audendum hic eſt. Ita Alexander: ita Cæſar, ita alii, qui audendo clari. Semper aut ſignificatione voluntatis jus retinere ſuum, oportet: Ut ſi reges Angliæ volunt jus retinere in regno Franciæ, & alii reges in aliis regnis, quæ ſibi occupata putant, dum reges ſe dicunt, & inſignia illorum regnorum ſua faciunt: & civi-

a *Cic. 2. de off.*

b *Bal. Auth. niſi, C. de bo. ma. Cepol. conſ. 697. Gabr. conſ. 163.*

c *Ale. 1. conſ. 8.*

d *Bal. l. 1. de ann. ex.*

e *Demo. ad. Macr.*

vilem quaſi poſſeſſionem adſervant, naturali altera, ſive corporali amiſſa. [a] Neque enim ea intitulatio inepta eſt, ſi poſſeſſio non de jure, ſed de facto impeditur; ut hic Baldus expoſuit. Quid ſi neque proteſtatione vel clandeſtina princeps diſceptet de jure ſuo? Adhuc dicimus non eum negligentem? non currere contra eum præſcriptionem? Sed eſt & alia difficultas: [b] quod cum regna, & principatus, non ut privata patrimonia a voluntate prædeceſſorum devenire in ſucceſſores dicantur, ſed ex ſola lege, & conſuetudine, habere hic locum præſcriptio neque poſſe videtur: [c] ſiquidem qui ex perſona ſua agit, ut ſucceſſor ita omnis agere princeps poteſt, ei præſcriptio ſuperiorum temporum non obſtabit, & negligentia prædeceſſorum. Cui difficultati, & in his principibus, qui tantum illi legi, conſuetudinique regnum acceptum ferunt, nihil multum reſpondere aliud poſſum, ſed hoc ſolum, quod generaliter in principio dixi, abſurdum eſſe, ut nec poſt ſæcula deſit armorum, & controverſiarum bellicarum prætextus juſtus. An quid magis ridiculum, quam quod dicunt [d] aliqui, tamen non ridiculi interpretes juris, poſſe etiamnum imperatorem Romanum agere ad regnum Hiſpaniæ, quod captum, & poſſeſſum Saracenis diutiſſime fuit, & perdiu etiam tenetur ab Hiſpanis hominibus. [e] Sed & iidem tradunt, abhorrere certe a ſenſu naturali, ut nunquam ſit uſucapio; nec unquam auditum a condita legali doctrina, ut uſucapio moveatur ſæculorum. Quid ni ſucceſſoribuſque præjudicetur hic: [f] ſicut & feudum, quod ex prima inveſtitura, & proviſione primi inveſtiti pertinet ad ſucceſſores, deſcendentes omnes, amittitur a mediis ſæpe, & ad ſequentes non venit. Quid ni præjudicetur ſucceſſoribus principibus a prædeceſſoribus, ſi ſucceſſores ſic volunt, æquumque putant, nomine, auctoritate, commodo a prædeceſſoribus frui? De aliis principibus, qui aut domini ſunt, aut liberæ reipublicæ magiſtratus, res eſt expeditior: nam primi poſſunt ſtatuere de imperio ſuo libere, & itaque ſucceſſoribus etiam præjudicare: ſecundi ſic præjudicant, quia univerſitas illorum hominum ſecum, quæ item libere poteſt de ſe, & ſuis conſtituere, ea eſt, quæ hic præjudicat. Nunc de univerſitate verbum aud.. [g] Videri quidem eumdem eſſe populum ſemper: & uſucapere tamen rem alienam, quia præſumatur illa deſinere ſcientia „ quæ fuerit rei alienæ. Hoc Corneus.

CAP.

[a] *Bal. l. Barbarius.*

[b] *Hor. ill. q. 2. & de ju. juc. Fra. l. 2.*

[c] *Alc. 9. conſ. 119.*

[d] *Alc. l. 5. de juſt.*

[e] *Alc. 4. conſ. 4.*

[f] *Clar. §. feudum q. 66.*

[g] *Corn. 2. conſ. 43.*

CAP. XXIII.

De regnorum everſionibus.

SEquitur nunc quæſtio. Quod ut verum ſit, imperatorem Romanum poſſe bello repetere omnia, quæ Romani fuerant imperii: [a] attamen, imperatorem nunc Romanorum non eſſe, & Romanum evanuiſſe imperium, dicent. Illa quæſtio eſt nihili, ſi Romanus imperator poſſit orbis univerſi ſibi vindicare imperium; quicquid noſtri nugentur interpretes. [b] Nam contra alios diſputat late, & bene Didacus Covarruvias, & concludit, quod imperator non aget, niſi ad ea, quæ olim fuerunt imperii: & falſum eſſe, quod ille ſit dominus totius orbis. Nos diximus, quod nec ad ea aget, quod ante ſæcula fuerunt imperii. Nunc eſt quæſtio, ſi, qui nominatur imperator Romanorum, is vere ſit Romanorum imperator. Et conſtare tamen apud omnes videtur, imperium eſſe Romanum id, cujus in Germania ſedes eſt. Et itaque Romanorum Imperatorem audimus, & ſacrum Romanum imperium, & ſacri Romani imperii Electores, & reliqua. Sed ex contrario tamen, hoc non eſſe Romanum imperium, diſputaveris: quoniam de Romano imperio nihil in totum ſupereſſe videatur; at diſſipatum ſit, & ab aliis gentibus occupatum teneatur. Diſtingue autem terras illius imperii, ut una pars ſit, quam Turcæ, & alii barbari tenent: alia, quam tenent Angli, Franci, Hiſpani: tertia ſedes olim imperii, quam Romanus pontifex, Veneti, & alii Italiæ principes habent: poſtrema, quam Germani ipſi, qui titulum hunc Romani imperii ſoli retinent. Atque ad Turcas quod attinet, expeditum nobis eſſe volo, non eſſe eis Romanum imperium, qui nec nomen Romani imperii tenent. [c] Saracenorum dicitur eorum imperium rectius: quandoquidem a Saracenis quaſi ſucceſſores regna, & religionem acceperunt. De Romano imperio acceperunt, ſed non Romanum imperium. In Francia nec eſt imperium Romanum: ubi nec ſunt jam diu imperatores Romanorum; & Franci Francos ſe ſemper ab illo imperio aſſeruerunt; & illud regnum datum Francis olim ab imperatoribus Romanis, & avulſum a corpore imperii prorſus fuiſſe videtur. [d] Ut Anaſtaſius chlamydem imperatoriam, & coronam auream Francis regibus dedit: & Juſtinianus imperium Galliarum eiſdem reſcripto

a *Cuja. c. ult. fo. co.*

b *Cou. reg. peccatum, p. 2. §. 9.*

c *Cuja. c. 21. de teſti.*

d *Procop. 3. Goth. Zon.*

pto ſuo confirmavit. Hiſpani itidem, & Angli extra imperium illud ſunt: qui populi Romanis imperatoribus derelicti, aut nunquam ſubditi Romanorum, regna iſthæc aut de illo rapuerunt imperio, aut de his, qui rapuerant Romanis antea: & ſibi jam habent per ſæcula multa. Ridicula illa noſtrorum commenta, qui volunt, jure ſubjectos & hos eſſe imperatori populos, de facto non eſſe. [a] Atque Alciatus nunc prudentius, circumſcriptis hujuſmodi auctoritatibus noſtrorum, ait, poſſe ſuſtineri, ſubditos immo non eſſe imperatori hos populos. At de Italis non unum fuerit judicium. Nam ſunt quidam imperii Germanici, quod Romanum appellamus: ut Mediolanenſis ducatus, Mantuanus, alii quidam. Atque de his id erit, quod de ipſo erit Germanico imperio. Sunt porro, qui nec ejus ſunt imperii, nec cum eo imperio, quidquam habent, ut Veneti. Eſt deinde, qui aliquid habet cum imperio Romanus Pontifex. Cui ſunt feudatarii illi, Ferrarienſis, & Parmenſis, & alii duces, & ipſe Neapolitanus Rex: & de Pontifice loquor nunc, ut nunc ſunt res ejus acciſæ. [b] Nam pertinuit ad illum aliquando Liguria, Corſica, Langobardia, Venetia, Iſtria, ecquid non in Italia? Immo etiam extra Italiam aut feudataria, aut tributaria eidem extitere regna Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, ipſum Germanicum imperium, [c] ipſum regnum Francicum. [d] Cæterum in imperio etiamnum habere vult aliquid, vel ſede vacante imperando, vel vivum imperatorem etiam judicando. [e] In Italia urbes Etruriæ, Florentia, aliæ quædam de Romani imperii corpore exemtæ ſunt, quæ abhinc trecentis amplius annis libertatem emerunt ab imperatore Rodulpho; [f] & tamen nunc eſſe ducatui Etruriæ magno aliquid cum imperio volunt noſtri quidam, & ſane jus quoddam feudi: ego vero non diſputo; & nec refert ad præſentem inſpectionem; nam ejus tum judicium ducatus idem, & imperii Germanici erit. De quo quidem imperio putem ſic eſſe, ut dicitur; & recipitur, imperium eſſe vetus Romanum. [g] Carolus enim Magnus hic in Occidente Romanum imperium de manibus pontificis Romani, ſcitu Romani populi accepit: & (quod inquit [h] Alciatus) inſtauravit. [i] Ajunt alii, partum hoc armis imperium Carolo; ut ſuntque literæ pontificis in id recantantes. Sed non ego ſtatuo multum momenti in ea differentia. Satis eſt, quod Romanum imperium accepit. Et non facit Caroli perſona externa, quominus

a *Alc. l. 5. de Juſt.*

b *Bonfin. Virg. 9. Hor. de feud. c. 8. & 9.*

c *Cuja. c. 7. de de. imp.*

d *Pano. c. cauſſam qui fi. ſit. le. c. ſolitæ, de ma. & obed.*

e *Egn. Rodul. Sigo. vit. de re. Ita Alc. 4. conſ. 17.*

f *Decia. con. 19.*

g *Egn. Ca. Ma.*

h *Alc. l. 118. de V. S.*

i *Sigo. 12. de re. Ita.*

mus illud imperium manſerit; ſicut neque id fecit perſona Numæ, Priſci, Servii, quominus regnum manſerit Romanorum. Neque differunt hæc: quia Priſcus, & Servius jam tum facti Romani erant, cum ad regnum aſſumerentur. Nam de Numa quid dicimus? [a] & Carolus etiam erat antea Romanus, qui patricius, & neſcio alius qualis fuit Rómæ. Simul cum imperio accepto fuit Romanus: eſt enim imperator de imperio, ut eſt caput de corpore. Neque excipietur contra ipſos eligentes, quaſi is populus non Romanus fuerit, qui elegit Carolum, ſed externorum colluvies quædam; item neque populum potuiſſe, neque pontificem ad eam electionem ire, Romano Conſtantinopolitano imperatore domino nec jubente, nec conſulto. Nam ad identitatem populi quod attinet, etſi dici idem populus non poſſit, ſi uno momento ſublatus vetus omnis eſſet, & novus iſte colluviei ſubſtitutus, tamen idem eſt certe, ſi paullatim mutatus eſt, etſi totus; [b] ſicut navis eadem eſt, ſic in totum mutata; & eadem legio ſic eſt: [c] ut ita dux quidam ad Tertianos, quod ſub M. Antonio Parthos, ſub Corbulone Armenios poſt Sarmatas pepuliſſet. Sane enim poſt annos centum, cum iſte loqueretur, nemo ſupereſſe Tertianorum potuit, qui ſub Antonio militarunt. [d] Et non ille alius æque, qui clamat, deſiiſſe olim Athenienſes, tot cladibus exſtinctos, at colluviem tantum nationum ſuperfuiſſe. [e] Verius, æquius Cæſar, qui & his parcit Athenienſibus, & ſervari eos a mortuis conteſtatur. Atque de reſponſione iſta non dubito, quin vera ſit. [f] Subditos vero deſtitutos auxilio principis, [g] ut deſtituti Romani tum a Conſtantinopolitano erant, & armis afflictos hoſtilibus, ut tum Romani a Langobardis affligebantur, poſſe ad alium confugere principem, quem & ſibi adiciſcant, noſtri docent, & ratio evidentiſſima demonſtrat: [h] quod domini & ſubditorum ſtatus connexus eſt: & hi tenentur illum defendere, & ille hos. [i] Correlativa ſunt dominus, & vaſallus; princeps, & ſubditi: ut ſicut iſti ſunt obligati bene obedire, ita dominus bene imperare. [k] *Subdens ſe priori, æque alligat & priorem. Duo fiunt per unius ſponſionem alteruter debitores; Fidelis curæ unus, alter humilis obedientiæ:* etiam de monachis ſic traditur. [l] Et Lycurgus ſic *populum in obſequia Principum, Principes ad juſtitiam imperiorum firmavit.* Et quis non? [m] Fides reciproca eſt inter dominum, & vaſallum: unde & dicti

a *c.22. diſt. 63. c. 3. 2. q.6.*

b *l. 24. de leg. 1. not. l. 83. de V. O.*

c *Tac. 3. hiſt.*

d *Tac. 2. an.*

e *Dio lib. 42.*

f *Caſtr. rep. l. 5. de juſt. l. 19. de pœ.*

g *Sigo. 3. de re. Ita. Macchia. 1. hiſt. Fla.*

h *Bal. 1. con. 188. Decia. 3. 117.*

i *Bal. l. 1. de di. re. Alc. 3. conſ. 7.*

k *Bern. de prec. & diſp.*

l *Juſt. 3.*

m *Cuja. 2. de feu. 7.*

dicti *conjuges* ſunt in libris feudorum, quaſi communi fidei vinculo conjuncti: & de ea fidelitate jurat domino vaſallus, vaſallo dominus. [a] Itaque domino fidem non ſervanti fides juſte non ſervatur. [b] Sic neque alienatur vaſallus invitus, quia is nec alienat dominum invitum. Cum id genus pluribus. [c] Nequit princeps male ſubditos habere, nam haberi bene volunt entia: quod de Ariſtotele ait Baldus: & quæſtionem in imperatore diſputat inutili, mente capto, ebrioſo, qui non ſufficiat reipublicæ gerendæ: an iſtum populus Romanus privare imperio poſſit, eive adjutorem dare: & refert, Cynum, ac Raynerium adfirmare. Sed & alii adfirmant. Ipſe Baldus negat: quoniam ea poteſtas ſit papæ: cui imperator jurat. Atque adeo facit Balduſque cauſſam juſtam, ſed cenſet, deeſſe poteſtatem populo. [d] Sic & alii de imperatore tyrannice agente. [e] Certe, fugere ſævientem dominum, ſerviſque licet. At de poteſtate quærimus nos ad illud tempus, cum poteſtas papæ non eſſet. Vel ſi poteſtatem illo etiam tempore agnoſcimus papæ: ecce etiam papaque, populuſque transferunt imperium. [f] Verum advertamus, quod cum populus Romanus antea omne imperium ſuum, & poteſtatem imperatori, etiam in ſe conceſſerit, contulerit, tranſtulerit: neque (quod bene defendit Baldus) fuit imperator quaſi unus aliquis commiſſarius? neque ſibi jus ullum in imperio retinuit populus: ſequitur, ut neque poſt in Carolum deferre valuerit Occidentis imperium, ſed ſui tantum, & ſuorum: veluti civitas quælibet, quæ male habita a principe priori fugit ad alium: & itaque Occidentis reliquum imperium eodem ritu dedentium ſe civitatum, aut captarum pervenerit in Carolum. [g] Subditi exculantur, ſi timore mortis, & depopulationis ſerviunt hoſtibus, & fidem jurant, & urbes tradunt. Nec dico tamen, principi hinc jus imminui. [h] Servus enim poſſeſſione dominum non ſubvertit: immo retinet dominus poſſeſſionem per eum. Unde ego dicebam, quod ſi ita pax conveniret inter Anglum, & Hiſpanum, & inter Hiſpanum, ac Gallum, ut quæ poſſidet quiſque, ea poſſideret, neque alius in alius ſic poſſeſſa injicere animum, ac manum deinceps poſſet; quod non poſſet Hiſpanus Hibernica quædam inire, unde Angla nunc rectio depulſa eſt per rebellem ſervum: non poſſet inire Gallica, unde dejectum arcetur pari modo imperium regium. Immo ſi ille Hibernicus, hic Gallicus quæſiiſſet de Hiſpano

a *Alc. 3. con. 7.*
b *Bal. 3. conſ. 67.*
c *Bal. 5. con. 325. 4. 9. l. 9. de legi.*
d *Caſtal. de imp. c. 2.*
e *l. 2. ubi Bal. de his. qui ſu. ſin.*
f *l. 1. de conſt. Duar. diſp. ann.*
g *Dec. conſ. 25. ubi Mol.*
h *l. 40. de ad. po. l. 33. de uſuc.*

no aliquid, id nec Hiſpanus repeteret, quod Anglo, Gallo quæſitum eſſet. [a] Scilicet adquirit fugitivus nobis, & qui nobiſcum contendit pro libertate: etſi is non ſane jam poſſideatur a nobis. Sed quod hic tracto, tradoque, id eſt, principem ipſum eſſe, qui perdit ſubditos ſuos, quos prodit, nec defendit. [b] Populum interficit, qui non ſuccurrit ei: & juſtitia facti ſubditorum ſic invaleſcit. Juſtitia Romani populi fuit, quod & ſedes illinc imperii translata in Græciam fuerat, ſe Roma relicta ſicuti præfectura aliqua: [c] in qua tamen urbe ſita fortuna cenſebatur imperii. Adde mulieris tum regnum, rem inauditam, [d] & indignam in illo imperio. Adverte ad mulierem, quæ excæcato imperatore filio regnaret. Et illud tene primum, quod boni nihil ex Græcia, ſed mali plurimum erat Romæ, & Italiæ. [e] Cæterum & traditum eſt, partitionem iſtam imperii Occidentalis, & Orientalis factam cum Irene potiente Conſtantinopoli, & cum Nicephoro rurſus, & cum Michaele, *Orientem cum Conſtantinopoli Michael uſque Neapolim, & Sipontum: Occidentem cum Roma Carolus habeto.* Hoc autem Caroli imperium fuerit illud Romanum: etſi Gothi, & Langobardi diu ante tenuerint Italiam: & Romanum illic imperium exſcidiſſe videantur. [f] Idem enim eſt fluvius Niger, & Tigris poſtquam multa paſſuum millia latuit ſub terram fluens: & qui per lacum perrumpit: & qui etiam ſubterlabitur maria. Nam tale fuerit Romanum in Italia, & Occidente imperium per illas barbarorum inundationes contectum potius, quam exſtinctum. [g] Ut ſi cujus ager fuerit inundatus, & aqua receſſerit, palam eſt, eum fundum ejus manere, cujus fuit: neque enim inundatio fundi ſpeciem commutat. At neque tenuerunt Gothi niſi partem Italiæ, & illam eis commendatam a Romanis Græcis imperatoribus. [h] Nam Zeno ſenatum, populumque Romanum cum ipſa urbe, ac tota Italia Theodorico, Gothorum regi, commendavit, adoptato in filium, facto conſuli, adeoque in participatum reipublicæ Romanæ adſcito, externo non derelicto. [i] Etiam volebant Gothi, ſe dici in corpore Romani imperii: ut apud Caſſiodorum notaveris. Ut vero ab Herulis recepit Italiam Theodoricus: ita a Gothis mox vindicavit Juſtinianus: & amiſſam in parte ſub Juſtino, & aliis, occupatamque a Langobardis, manu aſſeruit in priſtinum Carolus, collato in ſe titulo principatus. [k] Langobardi nec unquam oc-

a *l. 25. de lib. ca. l. 15. de uſuc. Alex. l. 3. de adq. po.*
b *Bal. 5. conſ. 405.*
c *Herodia. lib. 8.*
d *Bal. l. 5. de juſt.*
e *Bonfin. 9. Vng. 1. Egn. Ca. Ma.*
f *Plin. lib. 2. c. 103. Juſt. 42.*
g *Juſt. de re. diu.*
h *Pamp. Le. Egnat. & Bonfi. 7. Vng. 1.*
i *Caſſio. l. var. 1.*
k *Alc. 7. parc. 19.*

occuparunt Romam, aut exarchatum tenuerunt, etſi alia uſque in Samnium ſubegerunt. [a] Sæpe etiam agnoverunt ſuperiorem imperatorem: ſæpe & victi, & repreſſi a Romæis Græcis. Etſi igitur in Italia, aut in Occidente nec ullus fuerit, qui ſedem regni haberet per annos amplius trecentos, id eſt, ab Auguſtulo ad Carolum, aut etiam a tertio Valentiniano, cum quo Heſperium ſic dixerit [b] Beda concidiſſe regnum: fuerunt tamen ſemper, qui regerent nomine, & auctoritate Orientalium; certe jus illic regendi, & imperandi vindicarent. [c] Sic Romani pontifices adpellarunt ſuos dominos imperatores illos Græcos uſque ad Carolum. [d] Sunt quoque, qui dicunt, ante Carolum ab Anaſtaſio jus imperii Occidentalis tributum Clodoveo, regi item Francorum: & ab hoc Francorum regno avelli non potuiſſe, contenduntur. [e] Etiam alii, Carolo, & regibus Francorum datum ajunt: & diſputant, adverſum præſens jus ſeptemvirum, quaſi conſtitutum per caritatem patriæ, & ſanguinis a Gregorio Papa viro Germano, & Othonis cognato tertii: ſub quo ea de re ſeptemviris ſanctio lata dicitur. At ego ad iſtas non abeo quæſtiones. Poſt Carolum licet intermiſſum a poſteris ejus Romani nomen videatur imperii per annos ferme ſexaginta: [f] id tamen ita non eſt: nam & Ugo, Rodulphus, Lotharius interdum ſibi aſſeruerunt, & occupantium poſſeſſionem abruperunt. [g] Sic duo imperatores creari ſoliti per ea tempora, alter in Germania, alter in Italia. [h] Sic ad Henricum uſque primum per maſculos ſemper de ſtirpe Caroli exſtitere, & coronati fere omnes. Licet etiam tenuiſſent pacate Berengarii imperium totum, Langobardici ſanguinis principes, non ideo deſiit imperium tamen familia Caroli non imperante. Non eſt aliud imperium deſinente familia Cæſarum imperare. Non eſt aliud imperium mutata ſede imperii. Imperium Romæ idem, & Conſtantinopoli, & Ravennæ, & Pragæ: Auctum in Septentrione eſt, quod diminutum alibi eſt gentium, & tantum non deletum. Et alluvio quædam hic eſt facta: [i] qualis fit naturaliter nonnunquam, ut pereat ager ab una parte, qui per alteram creſcat: & idem manet ager, idem manet mare, quod partem alicubi deſerit terræ, & partem alibi capit: idem eſt flumen quoque, etſi mutet alveum. Eſt Romanum imperium ſemper, etſi tranſeat a regibus ad conſules, a conſulibus ad imperatores. Et quamvis iſti imperatores modo ſucceſſione ſint, modo

a *Pomp. Læ. Tyb. Maur. Bonfin. 8. Ung. 1.*

b *Bed. 1. hiſt. Ang. 21.*

c *Bed. 1. hiſt. 28. 29. 30. 32. & lib. 2. c. 18.*

d *Cont. ind. conjur. C. ad l. Jn. ma.*

e *Bonfin. 8. & 10. Ung. 1. Guicc. 13.*

f *Egn. Otb. 1.*

g *Juſt. 1. ann. Ge.*

h *Bell. de ſtra. imp. lib. 2. c. 1.*

i *l. 64. de evict.*

do electione: atque hac modo militum, modo ſenatus, & nunc horum ſeptemvirum. Forma imperii Romani mutata eſt ſæpe: ſed Romanum imperium manet ſemper. Novum imperium fuit a Romulo Romanum: quod deductum, & dejunctum ex Albano per ſe ſtetit, & crevit. Et deſiit Albanum eſſe, quod everſum a Tullo, tranſvelatum, inque corporatum fuit in Romanum. [a] Sic unita eccleſia alteri deſinit ipſa eſſe: ſic quod in alterum transferatur. [b] Deſierunt tot alia regna, & reſpublicæ, quæ oppreſſa armis Romanorum fuerunt; & de dominis, ſive liberis facta ſunt ſerva. [c] Sic alius fit, & deſinit eſſe, qui ſervus fit: ut contra, qui fit de ſervo liber, & alius fit, & nunc eſſe incipiat. Sic & fluvius, cum ingreditur fluvium, & fluvio unitur, aut mare intrat, perdit nomen, & exſtinguitur. Sic Aſſyrium imperium deſiit: [d] ſic Perſicum ſub Parthis, & antea ſub Macedonibus. Et ſic Macedonicum. Sic deſiit in tam multis regionibus Romanum, quæ raptæ in alienam dominationem ſunt, aut de ſervis liberæ factæ ſunt. At non deſiit imperium, quod ſuperſit in aliqua vel tenuiſſima parte. [e] Non deſinit fluvius, qui redigatur ad pertenuem aquæ menſuram, & jam nominari poſſit rivus: nam & rivus fluvius eſt. Cum parte illa tenuiſſima ſervari nomen juſte potuit, & jus imperii. Quidni, ſi & a principio ſic eſſe intra ambitum potuit urbis? [f] Simile dixerim peculio, quod naſcitur, creſcit, decreſcit, moritur. Et quod in puſillo conſtitui, ac retineri valet. [g] Sic ſervari collegii, atque univerſi jus vel in uno, etſi hoc conſtitui non poſſet in uno; eſt traditum aut propter ſpem redintegrationis, aut propter aliam rationem, quæ & hic valet in univerſitate hominum: rerum enim univerſitas, veluti grex, non ſervatur in uno. Hic modicum ſervatum, ſervatum ſervat. Et ſervatum fuit imperium ſic Romæorum, ejectorum ipſa imperii ſede Conſtantinopoli a Francis: & coactorum poſtea in exigua ſpatia, mox & mœnia ejus urbis vix defendentium a Turcis. Si nihil Romani ſuperfuiſſet imperii: nos aut nudum nomen non curaremus: aut hoc, quod ſic appellaretur Romanum, veteri diceremus ſubrogatum: [h] & ſubrogatum cenſetur idem. Sed id nolo: immo enim de veteri ſupereſt. [i] Regnum Macedonicum & uſque ad Cleopatram ſuperfuiſſe volunt: & ita nominant. Et ergo ita mihi videtur, imperium tum deſiiſſe, cum nulla ejus vel minima exſtat pars, nec

a *Inſt. de fid. her. De conſ.* 174.
b *Decia.* 3. *conſ.* 19.
c *l.* 4 *de ca. mi. l.* 209. *de reg. ju.*
d *Phi. quod de ſit im. & in Joſe.*
e *l.* 1. *de flu. l.* 1. *de riu. l.* 7. 30. *de ad. re. do. Alc.* 5. *conſ.* 69.
f *l.* 40. *de pecul.*
g *Bal. proœ. D. & l.* 9. *de legi & C. qua. no. pe. pa. Caſtr. l.* 22. *de leg.* 2.
h *Soc. l.* 28. *de cond. Ceph. conſ.* 20. 58.
i *Iræn. lib.* 3. *c.* 25. *Cl. A. Ser.* 1.

nec ſupereſt nomen. Nam quod quoſdam dicere audio, novum intelligi oportere imperium, quod lingua, moribus, legibus a veteri diſſidet, id mihi non placet. Sic enim Romanum ipſum imperium, quod a Romulo fuit, deſiiſſet pluries vel ante tempora barbarorum. Hæc poſſunt mutare formam imperii, at non imperium tollere: [a] ut ut dicitur, quod per formæ interemtionem ipſa prope rei ſubſtantia interimatur: ſcilicet id interimitur, cujus eſt forma, non aliud. Ecce monarchica interemta forma poſt exactos reges, etiam monarchicum imperium Romæ deſiit, ſed imperium Romæ non deſiit. Alii novum definiunt imperium, quod ab hominibus exteris vi, & armis occupatum eſt. Cæterum ſi victores nihil velint, quam in participatum venire civitatis, aut imperii: & ſi princeps victor nihil velit, quam eſſe devictorum princeps: impedita hic manet definitio? Cogita Æneam, & ante ipſum, & cum ipſo, & poſt ipſum ad uſque excidium Albæ regnum Latinum. Hæc ita mihi videntur. Quæ autem de Romano imperio ſunt diſputata, ac definita, eadem accipienda de aliis ſunt quoque. De Romano diſputant & theologi: & omnes (opinor) mecum definiunt.

a *l. 9. ad exh.*

CAP. XXIV.

Si in poſteros movetur bellum.

SEd ut ſucceſſores bellum movent, an etiam in ſucceſſores? hoc eſt, an liceat, bellum movere contra ſucceſſores, & poſteros, quod licitum fuiſſet contra prædeceſſores. [b] Quæ eſt agitata quæſtio ex Alexandri facto, bellum in Perſas moventis, & incendentis eorum urbes, Græcos ut ulciſceretur ſuos. [c] Quamquam Herodotus principium hujus ſævi facti Græcis attribuit, & Perſis vindicationem. Sed de facto mihi cura non eſt. Quæro de jure facti: & quantum ad poſteros, nam de vaſtitate, & incendiis diſſeretur in ſecundo libro. Atque Arrianus, quem noſtrarum legum ex auctoribus unum fuiſſe, [d] volunt quidam, laudat ubique Alexandri facta, [e] ſed vindictam iſtam damnat palam; cum qui injurias Græcis intulerunt, illi jam mortui nullibi eſſent. [f] Idem condemnare videtur Q. Curtius in eo, quod poſteros proditorum quorumdam Græciæ interfecit omnes, dum cenſuit improbos impro-

b *Sit. lib. 15.*

c *Herodo. lib. 5.*

d *Cont. l. 15. de pe. be.*

e *Arria. lib. 3.*

f *Curt. lib. 8. Suida.*

proborum posteros. Exstat autem mihi latissima alibi disputatio in proposito, si alius pro alieno crimine, præsertim vero si filii recte puniantur propter patris crimen majestatis. De qua quidem disceptatione afferri huc in utramque partem plurima possunt. Cæterum quod proprium est præsentis quæstionis, tu notes, Plutarchum late tueri vindictam illam Alexandri in libro De sera numinis vindicta. [a] Et vero ut decessorum bonis successores frui, æquum putant, & est æquum, atque de indignis quoque successoribus defendit Seneca: ita debita incommoda sustinere iidem successores simul debent. [b] Hæc est regula naturæ. Et Persæ illi, quibus bellum intulit Alexander, cum haberent urbes illas, & bona reliqua a majoribus, qui Græciam vastarunt: nihil est, cur reprehendi valeat Alexander. [c] Quinimo cum civitas, populusque tempore non mutetur, sed successione idem sit, qui olim fuit: ut hoc loco Plutarchus scripsit, & Aristoteles, & nostri jurisconsulti generaliter tradiderunt: hi profecto posteri non tam pro alieno, quam pro suo merito accipiuntur. [d] Et ita etiam Isocrates, quod homo sceleratus fortasse obierit antequam det pœnas: non ita civitates, quæ quodam modo sunt immortales. [e] Et idem alii, & idem nostri. [f] Nostri excipere tantum videntur ea, quæ afficiunt animam, ut non transeant ad successores: exempli gratia, ut excommunicato populo non transeat excommunicatio ad subrogatos loco mortuorum: etsi idem populus, & nunc sit, nisi & isti delictum admittunt, aut culpam: immo addunt, quod si conventionem juratam fecerint prædecessores, non tamen perjurii fiunt successores, qui ipsi conventionem non servent. Rursus dum in posteros jus sic extenditur ultionis, posterorum sapere periculo majores coguntur. Quod & cum aliis nostris notat Alciatus, & nos in Disputatione illa nostra exposuimus. Coguntur sane, nam est nobis cura posterorum: [g] qui caro nostra, & ossa sunt: & per quos nomen nostrum conservatur, & fama. Plures juvat bonos, si gratia bonorum non cum ipsis cadit? ait Seneca. Et plures terrebit malos igitur, si odium malorum non cum ipsis cadit: aio ego. Addo, quod & ad nos pertinere posterorum fortunas, dixit Aristoteles: [h] *Fortunas posterorum, dicere, nihil conferre majoribus, longe absurdum, & opinionibus contrarium.* [i] Et Siracides, *Ante mortem beatum ne prædices quemquam, etiam de liberis suis vir agnoscitur.* Atque ita istam partem probo.

a *Rom. conf. 29. Sene. 4. de ben.*

b *l. 10. de reg. juris.*

c *l. 76. de judi. Alc. 6. pare. 17.*

d *Isocra. de pace.*

e *Cepb. conf. 609.*

f *Castr. l. 22. de leg. 2.*

g *c. 21. 35. q. 3. l. 220. de V. S.*

h *Arist. 1. Eth.*

i *Eccl. 11.*

CAP.

CAP. XXV.

De honeſta cauſſa belli inferendi.

SUpereſt una nunc quæſtio de honeſta belli inferendi cauſſa, quæ itidem cogitur a nobis ad bellum, quod ex nulla noſtra privata cauſſa, ſed communi ratione, & pro aliis ſuſcipitur. Ecce tibi ſi qui peccant evidenter contra leges naturæ, & hominum, hos coerceri bello poſſe a quolibet, ego puto. [a] Ut honoris ampliſſimi eſſe, inquit Cicero, accuſare improbos: ſemper eam cauſſam plurimum valuiſſe: ſemper eam rationem accuſandi fuiſſe honeſtiſſimam, pro ſociis, pro ſalute provinciæ, pro exterarum nationum commodis inimicitias ſuſcipere, ad periculum accedere, operam, ſtudium, laborem interponere. [b] Et ita etiam Plutarchus, quod non ignobile ſtudium accuſandi: & quod judicia publica, & reorum accuſationes ſic vel ad eloquentiæ ſtudium inſtituta juvenibus eſſent. Sed ſic ad punitionem criminum, rem reipublicæ ſaluberrimam; & maxime neceſſariam pervenitur. [c] Alibi cupido damnatur accuſandi: & merito: quia juſtitia illic non eſt, ubi cupido ea eſt. [d] *Diabolus* (inquit Auguſtinus) *accuſator dicitur, non quia nemo poſſit bene accuſare: ſed quoniam diabolus amat accuſare.* Cupido igitur abſit bellandi: & bellum ſi movetur adverſum improbos, bellare non eſt turpe. [e] *Si aliqua terrena civitas decerneret, ſcelera quædam magna fieri, decernente genere humano evertenda foret*: Sic Auguſtinus. [f] Et itaque illorum ſententiam probo magis, qui juſtam dicunt cauſſam Hiſpanorum: dum faciunt Indis bellum, qui concubitus neſandos, & cum beſtiis exercebant: & qui carnes humanas, hominibus in id mactatis, comedebant. [g] Sunt enim hæc peccata contra naturam humani generis. Et ita omnibus peccata cognita: niſi forte non cognita brutis ſunt animantibus, & hominibus brutis. Atque contra iſtos ſic bellum ſuſcipietur, [h] ut ait Iſocrates, veluti contra feras. [i] Sic in civitate ad publicum crimen accuſandum quilibet admittitur: [k] etiam qui de civitate non eſt, cum res defenditur non civitatis propria, ſed univerſalis omnium, ut ita diſtinguunt interpretes, exterum agere de itinere, & via civitatis non poſſe, de libertate hominis poſſe, & ſimilibus. [l] Et illi, quos modo appellavimus, non reperient defenſores, aut advo-

a *Cic. Ver. 1.*

b *Plut. Lucul.*

c *Cic. 2. de off.*

d *Aug. Nu. q. 49.*

e *Aug. 5. de civ.*

f *Vitt. relect.*

g *Cl m. §. fornic. & §. Sodom.*

h *Iſoc. Areop.*

i *Inſt. de pu. ju. Manu. divin.*

k *Ang. l. 2. ne q. 1. l. p.*

l *Decia. 3. conſ. 83.*

votatos. Alii quoque (ſcimus) patrare ſoliti facinora illa Indorum libidinis feræ, fœdæ, infandæ: [a] & de Erulis hæc & bruta, & maria Procopius: [b] de Taifalis etiam fœdera Ammianus: [c] de Gallis priſcam legem abominandam Ariſtoteles, Diodorus, alii: [d] de Lydis, & colonis Lydorum Thuſcis paria Athenæus: [e] & de proſtibulis his impurioribus apud Romanos aliquando ſub Cæſaribus, & apud Judæos, profanæ, & ſacræ literæ prodiderunt. Ne tu tuæ patriæ magnæ blandiaris, quiſquis es, quem me ſentio dicere: quia legeris in declamatione, *f Sanctius ad oceanum vivitur*. Cæterum nec de jure naturæ tollitur propter delicta hominum. Et, bellum iſtis facere, licitum fuiſſe, & eſſe, contendimus. [g] Quæ apud Carthaginenſes conſuetudo fuit litandi humano ſanguine, ea ſublata a Gelone cum laude, qui illis pacem nec dedit prius, quam abrogarent morem adeo inhumanum. [h] Etiam a Perſia rex hoc, miſſa legatione, petiit, & tenuit a Carthaginenſibus, ne humanas hoſtias immolarent. Atque prætextus religionis hic admitti non poteſt, ubi jus ſimul hominum læditur: [i] Et ſic noſtri interpretes, bellum eſſe contra idololatras licitum, ſi idololatria ſit cum cæde innocentium juncta: eſſe enim innocentibus ſuccurrendum. Et ita juſtum fuiſſe bellum in Cananæos: ubi ſacrificia iſthæc, &c. Illud ego non probo, probatum licet aliis, in cauſſis belli Hiſpanorum contra Indos, ut bellum eſſe poſſit contra eos, qui audire prædicationem Evangelii nolunt. Hic enim ſolus eſt prætextus religionis. Et quamvis dictum eſt, *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ*: non propterea conſequens eſt, ut quæ creatura audire nolit, ea bello, & armis cogenda ſit. Stolidæ argutationes iſtæ ſunt. Non Innocentium, non qui ſequitur Innocentium, poſſum probare P. Caſtrenſem, [k] dicentes, juſtam eſſe belli cauſſam contra infideles, caritatem. Nec tamen improbo Dagobertum, Carolum Magnum, Divum Ludovicum, [l] qui iſtam neceſſitatem audiendi concionatores verbi divini Friſiis, Saracenis, Afris injunxerunt: nam victis injunxerunt: non moverunt propterea bellum. Quæ de victis alia quæſtio eſt: de qua explico in tertio libro. Etiam probaveris Carolum Martellum: qui bellum movit propter iſtam cauſſam adverſum eoſdem Friſios: nam hi, olim victi, id ipſum ex fœdere debebant. [m] Bellum ſacrum contra Phocenſes, & ſimile indictum Spartanis ab Argivis, & geſtum quingentis ab hinc an-

a *Proc. 2. Goth.*
b *Am. lib. 31.*
c *A. 2. pol. D. 7. Cl. Re. anag. B. Buch. 2. hiſt.*
d *Ath. lib. 12. 13.*
e *Lamp. Alex. Juſt. ap. 2. Cl. A. 3. pæ. 3. & 2. reg. 14. 15. ul. 1.*
f *Quinctil. decl. 3.*
g *Plut. de ſe. nu. vin.*
h *Juſtin. 19.*
i *Con. reg. pec. §. 10. p. 2.*
k *Caſtr. rep. l. 5. de juſt.*
l *P. Æmil. lib. 2. 2. 7.*
m *Thucid. lib. 1. Diod. 12. 16.*

annis in Syria, ſic defenditur, quod honeſta cauſſa fuit, ulciſci templa noſtra, & communes religiones violatas: ut ita Lacedæmonii & ob alias cauſſas, & ob hanc movent bellum Athenienſibus, qui communium religionum violatores apud ſe haberent. Et Athenienſes contra Lacedæmonios, qui eductos de templis ſupplices obtruncarint contra jus gentium. Hæc honeſta belli cauſſa, quæ communis. [a] Quid mihi improbet, reliquiſque Covarruvias, aliud bellum, quod violatoribus juris naturæ, juris communis infertur, illis antropophagis, & concubitoribus? Bellum fit piratis juſte. Et moverunt juſte Romani contra Illyrios, Baleares, Cilicas: etſi nihil Romanorum, aut ſociorum, conjunctorumve aliorum attigiſſent iſti: nam violarunt commune jus gentium. [b] Et ſi adverſum piratas facit etiam, quod tum proximi caritas, & ut ſub ſecuritate in pace vivatur, armat omnes juſte: tamen & commune jus ipſum læſum generaliter idem attribuit, & communis natura læſa. [c] Piratica eſt contra jus gentium, & contra humanæ ſocietatis communionem. Et itaque promeretur bellum ab omnibus: quia in eo jure læſi omnes læſo: & ſinguli in ſe lædi deinceps poſſunt: an non eſt ita? Et ergo quoniam lædi poſſumus item ſinguli ab iſtis violatoribus naturæ, bellum eiſdem fiet a ſingulis. Nullum neque his debetur jus, qui jus, faſque omne abruperint. Et qui conjuncti in eadem natura nobiſcum, junctioni huic aſpergunt maculas abominandas. [d] Sic eſt non modo civile jus ſponſio, & vinculum inter cives, & jus gentium inter gentes, ſed & naturale hominum inter homines. Et noſtri legum conditores non fuerunt reprehendendi, qui jus definierint naturale, quod natura omnia animalia docuit. Etſi non ſit tamen jus, id eſt communio, homines inter & animalia. Nam ut omittam de jure nobis cum animalibus commune dicere, de noſtro in ea dominio; certe quod eſt naturale hominum, id negare inter homines commune non valemus. Matrimonium, liberorum procreatio, educatio juris ejus eſt: quod ab his læditur, & quidem hominibus omnibus, quibus cognati, ſociique naturæ eripiuntur. Sed neque argumentum Covarruviæ quicquam contra valet: quod ſi bellum facere non licet propter idololatriam, & infidelitatem; neque licebit ob iſta, quæ enormia patrentur contra legem naturæ. Etenim aut argumenti nexus eſt, quod ſi non licet bellum facere propter crimina atrocio-

ra;

a *Cov. reg. peccat. p. 2. §. 10.*

b *Bal. 5. conſ. 439 Caſtr. 2. de juſt.*

c *c. 15. 14. q. 5.*

d *l. 1. de legi. l. 1. de juſt. Inſt. de jur. n. ubi Hot.*

ra; nec liceat propter minus atrocia: aut eſt nexus, quod ſi non licet propter jus aliquod in uno aliquo læſum, nec liceat propter idem læſum in alio jus. Et utroque modo ſolutum eſt argumentum, neutro nexus nectit. Neque enim atrocitas, ſed qualitas criminis præſtat quale jus: Idololatria, infidelitas non præſtat divortio cauſſam, præſtat mœchia: ut alibi diſputo. Et religionis jus non eſt idem cum jure aliarum rerum, ut antea eſt adnotatum. [a] Fides eſt donum Dei ſingulare. Et Chriſtus Jeſus gentibus ſtultitia eſt; at illa naturæ nota ſunt naturaliter. Etiam religio aliqua eſt a natura. Et ergo ſi athei aliqui eſſent, omnis expertes religionis, bonæ, malæ, bellum contra eos quoque juſtum videri poterit quaſi contra feras: non enim dici homines merentur, qui exuunt naturam hominum, & dici ipſi nolunt homines. Atque vindicativum eſt hoc bellum, quo communis naturæ vindicatur. De quo jam ſatis. Quoniam quæ dicta ſunt de honeſto defenſivo, eadem & hic apta ſunt: hoc excepto tamen, quod arma ad offenſionem jungi nolim armis injuſtis. Scilicet malum illud iniquitatis hic juvaretur, quod ibi depellitur. [b] Sic Cicero, *Sordidum eſt, ut actuſator nomineris: neque tamen ut hoc fugiendum eſt, ita habendum eſt religioni, nocentem aliquando, & nefarium impiamque defendere: vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas.* [c] Etiam in libris feudorum ita conſtitutum eſt, ut vaſallus domino belligeranti opem ferat, vel ſi dubitet de juſtitia domini: quod ſi & de injuſtitia ſciat, ad defenſionem tantum juvare tum teneatur: [d] & ita etiam alii interpretes, & Baldus aſſeruerunt: [e] & ita Auguſtinus, *Vir juſtus ſi forte ſub rege, homine etiam ſacrilego, militet, recte poteſt illo jubente bellare, ſi, quod ſibi jubetur, non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel, utrum ſit, certum non eſt: ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Quæ relata, probata jurique canonico, & interpretibus juris. [f] Non eſt ſubditorum ſcrupuloſius inquirere, quis juſtius induat arma: [g] & plerique ſic ignorant milites, an bella juſta ſint. Subditi excuſantur, non alii, qui militent injuſtæ cauſſæ. [h] Subditi excuſantur citra diſtinctionem belli offenſivi, defenſivi. [i] Et Baldus ſic quoque de ſubditis, quod etſi bellum non ſit juſtum in capite, tamen neceſſitas facit juſtum in ſubditis. Quod tamen extra forum dicit conſcientiæ: ubi ſubdi-

a 1. Cor. 1. adi Bet. ep. 77.

b Cic. 2. de off.

c Feud. 4. tit. 27. ex. Cuja.

d Alc. l. 5. de juſt. & 2. para. 21. Bal. qui. mo. ſe. ant.

e c. 4. 24. q. 1. Rom. conſ. 19.

f Alc. 5. conſ. 132. Cepb. 75.

g Caſtr. 2. de ſi. ce. 14.

h Caſtr. l. 5. de juſt.

i Bal. 2. conſ. 385.

tus non ſic tutus ſit, ſi habet conſcientiam læſam: [a] Sane Indi non militarunt regi, injuſte belligeranti: [b] & ſubditus non juſte interficit innocentem ex mandato principis. Sed de ſubditis mitto non tamen illud, quod eſt ad quæſtionem, [c] bello ſe vaſallum poſſe defendere adverſus injuſtitiam domini: at bellum adverſus eumdem promovere non poſſe: [d] & filium defendere patriam contra patrem: huic nec hoſtem offendere. Defenſio ſemper, & ubique multo eſt favorabilior: nam juris naturæ eſt. [e] Privatus arma, & armatos ſic cogit: etiam ad recuperandum ex intervallo, quæ ſunt amiſſa: ſi juris publici tutela non ſufficit, aut ſera ſit. Videlicet & concedunt multa propter periculum moræ, quæ alias non concederentur. [f] Defendere ſe poteſt miles gnarus injuſtitiæ ſuarum partium; quia non cogitur talem pati mortem: ſed ipſe aggreſſor eſſe non debet. [g] Si bellum inferebant Romani, non id ſibi duxerunt licitum per quoſdam dies: at in bello excipiendo nullus dies obſtabat illis, quominus vel ſalutem, vel dignitatem defenderent. Quis enim obſervationi locus, cum eligendi facultas non ſuperſit? & ſimile habes [h] Macchabæorum. [i] Quicquid Dio, & Plutarchus ſcribant, Judæos in magno Sabbatho non ſe domo movere, etiam ſi hoſtes ſcalas mœnibus admoverunt: & ita captum a Pompejo eorum fuiſſe templum: [k] & adeundus de his Joſephus: qui inter opera diſtinguit hoſtium hic. [l] Scio, Baldum alibi hoc improbare de injuſtorum defenſione: & in eo, quod probarunt compoſitores juris feudalis, non vereri illos appellare pecora. Scio, quæ generaliter differi contra poſſunt. At rationes noſtræ ſpeciales id probant, & ſtant pro illis compoſitoribus: [m] & pro illis etiam Barbatius diſputavit: quia tutela non eſt proprie maleficium: etſi injuſta defenſio eſt: & quia etiam difficile ſit, ad unguem diſcernere cauſſas bellorum occultas, non ferente id aut tempore, aut loco, cum id genus reliquis. Rationes Baldi non movent. Nam falſum hic eſt, non licere propulſare legitimum aggreſſorem. [n] Privato non licet, vim domini ſui legitimam a ſe, aut ab alio propulſare. Sic legibus, & naturæ contrarium eſt, auxilio eſſe ſceleroſis; impeditur enim juſtitiæ exequutio, quæ fit per magiſtratum, publicam perſonam; quod non contingit, quando opera datur, ne quis per vim armorum iratus ſibi jus dicat. Item

quod

a *Suida.*
b *Vict. relect.*
c *Bal. 2. conſ. 313. Alc. 5. 132.*
d *Aug. l. 38. de adult.*
e *Caſtr. l. 5. de juſt. Alc. d. 132.*
f *Sot. 5. de juſt. q. 1. a. 7.*
g *Macc. 5. fat. 16.*
h *Macc. 1. 2.*
i *Dio lib. 37. Plut. de ſuperſt.*
k *Joſe. antiq. 14.*
l *Bal. c. 1. hic ſi. lec.*
m *Barb. ad Bal. ibi.*
n *l. vul. C. ne ſa. ba. reſt.*

quod affert, eam defenſionem, injuſtorum eſſe contra juſtitiam, & jus: cum velit juſtitia, ſuum cuique tribui: & jus ſit ars boni, & æqui; id nec nocet noſtræ concluſioni: quoniam defenſio a nobis neque probata eſt, niſi quæ ad juſtitiam & ad æquitatem velit vim, & arma retrahere. Subditus per me tenetur ſemper ſequi dominum. Vaſallus debet in injuſta cauſſa defendere tantum, [a] etſi vaſallus tenetur in amplius, quam libertus: & libertus in amplius forte, quam ſubditus: de quo videndum eſt tamen. Alius princeps defendet etiam injuſtos ſubditos alienos. Dic vero tria adhuc exempla pro ſupradicta diſtinctione: & fac finem. [b] Germani abnuunt militiam adverſus Cæſarem, & conſanguineos ſuos: cæterum, quæ jam capta eſſent, ea ſe tutaturos Gallis contra omnes, & repulſuros injuriam pollicentur. [c] Henricus VII. Angliæ, ſe auxilio futurum Britanno, amicitia incolumi cum Gallo, huic ſignificat per legatos: nam in ipſa Britannia tantum defenſurus Britannum eſſet. [d] Athenienſes fœdus cum Corcyrenſibus ineunt ſolum ad defendendum, atque fœdus ne frangerent Corinthiis, jubent, ſuos contra iſtos non pugnare aliter, quam ſi contra Corcyrenſes proficiſcerentur. Et hæc ſunt, quæ juſtas bellorum cauſſas præbere poſſunt: [e] & juſtorum virorum eſt tamen, incidere cauſſas bellorum pullulaſcentium, ut Juſtinianus noſter dicebat. Tu pater juſtitiæ, Deus, etiam has tolle cauſſas nobis, tolle bellum omne: da, Domine, pacem in diebus noſtris, da pacem. [f] *At nobis pax alma veni.*

a *Cepb. conſ.* 18.

b *Jov. lib.* 16.

c *Polyd. lib. vlt.*

d *Thucyd. lib. 1.*

e *Procop. de Perſ.*

f *Tibu. 2. eleg. 19.*

FINIS LIBRI I.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS

DE JURE BELLI

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De bello indicendo.

QUemadmodum vero bellum juſte ſuſcipere, ita & juſte gerere, ac tractare oportet. Neque enim ſatis eſt, ſi ſuſcipitur juſte, niſi & juſte geratur, ut dicit Auguſtinus. [a] *Hoſtis in bello religionem, & jura retinet*, inquit Cicero, qui ita prædones diſtinguit ab hoſtibus. [b] Nam quod Tertullianus ſcribit, dolum, & aſperitatem, & injuſtitiam propria eſſe bellorum negotia, id de bellis adminiſtratis inique eſt capiendum, ſicut & alia ejuſmodi aliorum quorumdam patrum: ut in ſuperiore libro expoſitum eſt. Ut enim dolus, atque aſperitas in bello locum habeat jure; nulla tamen eſt belli pars, quæ vacare juſtitia poſſit. [c] *Juſte non minus, quam fortiter bella gerenda*, Camillus reſpon-

a Cic. Ver. 4. Gell. lib. 2. c. 6.

b Tert. adv. Judæ.

c Liv. lib. 5.

a *Deut.* 23. spondit. [a] Et Deus sic lege jussit. Atque hæc quidem justitia in eo primum esse videtur, ut eum deliberationis nostræ certiorem reddamus, contra quem bellum deliberavimus. [b] Id siquidem divina itidem sancitum lege est. Et quæ lex utique ad omnes pertinet, non ad Judæos solos: nam lex est non reipublicæ, sed extra rempublicam. [c] Sed & alii idem censuerunt, Græci, Barbari, & maxime omnium Romani. [d] *Nullum bellum justum haberi videtur, nisi nunciatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus*, ut scripsit Cicero: & est relatum in jus canonicum. [e] Et vero etiam jus civile sic censet. Et itaque scriptum ab interpretibus illud quoque est, proditorie eum agere, qui non indictum movet bellum. [f] Et sic notati, qui moverunt non indictum. Et Varro in quarto de lingua Latina, justa sic desiisse bella geri ætate demum sua, more hoc sublato denunciandi. [g] Retinuerunt Romani ad ultimum usque hoc priscæ justitiæ, & bellicæ rationis. [h] Triumphum omnino non decernebant, si bellum aut minus legitime indictum fuisset. [i] Unde sollemnis formula indicendi; & quæstiones illæ, si satis foret, nunciari bellum ad primum præsidium hostium, an hostium principi nunciari oporteret: & utrum populi jussu bellum indiceretur, an satis esset senatusconsultum. Sed ad rem. [k] Gentium hoc jus ait Alciatus: & proculdubio est, ut indicatur bellum, si consensus tot populorum quid facit ad constituendum jus gentium: & tanta tot sæculorum doctissimorum hominum conspiratio, veritatis ac naturæ vox ipsa esse videtur. Hæc Dei vox. Hæc ratio naturalis: ut antequam hostiliter agas, amicitiæ vel communi illi, quæ inter homines est, renuncies omnino prius. Quod si enim aut usus, aut privata amicitia intercedebat, minus dubitandum est, quin huic oporteat renunciari. [l] Et id exemplisque adfirmatur tum in proposito nostro publicis, tum etiam privatis. Regie Carolus rex Neapolis renunciat amicitiam Petro regi Tarraconensi: etsi iste testificatione insigni (m ut inquit P. Æmilius) necessitudinem, juraque amicitiæ violaverat. Scilicet non opus, renunciare amicitiam, renunciatam enim videri, ut est apud Livium, [n] *cum legatis, toties repetentibus res, nec reddi, nec satisfieri, æquum censuissent*. Rursus si non est bellum clandestina magis contentio, quam contentio legitima fori est, & judiciorum: hæc primum petitio, & denunciatio fieri debet, ut in lite inerma fit. [o] Petimus civili-

b *Deut.* 20. *Joseph.* 5. *antiq. Aug. Jud.* 9. 49.

c Herodo. 5. *Xenop. Agesi. Dionys.* 2. *Liv.* 1.

d *Cic.* 1. *de off.* c. 1. 23. q. 2.

e *l.* 24. *de capt. l.* 118. *de V. S. Jas. Bal. l.* 5. *de just. l.* 4. C. *de obs. pa.* 1. *conf.* 418. *qui. mo. se. am.*

f *Paul.* 4. *Nic.* 3. *Ma. & Greg.* 10.

g *Polyb. lib.* 9.

h *Sigo. de an. ju. pr.*

i *Liv.* 1. 4. 31. 36.

k *Alc.* 14. *de fi. cer.*

l *Liv.* 36. 42. *Val.* 4. *Tac. ann.* 6. *Suet. Calig.*

m *P. Æm. lib.* 7.

n *Liv. lib.* 36.

o *Bald. l.* 12. *de servi. urb. prad.*

ter

ter prius, quam ad judicium eamus, quod aut nobis debetur, aut est nostrum. [a] Quamvis fideret Æneas fatis, tamen humanitatis officium putavit ad Latinum legatos mittere, ne ob superbiam alienos fines invadere videretur. Etsi nec exspectato responso urbem designat: quia jussibus Jovis omnino erat auscultandum, & fatis fidendum. [b] Et si bono viro non convenit, facere aliquid clam, quia sic aufertur, quod est juris naturalis: utique necessaria fuerit denunciatio: [c] quoniam clam fit, quod non denunciatur: quod non ad notitiam perducitur ejus, cujus interest. [d] Ego etiam indictum a Romanis lego bellum, & cum minime opus indictione videri potuisset: cum læsum gravissime jus gentium esset ab his, quibus Romani bellum propterea inferebant. Indixerunt bellum Senonibus; qui legatos Romanorum interfecerunt: item Illyriis, item & Tarentinis, qui contumeliis insignibus itidem affecere legatos. Quod jus legatorum supra reliqua est sanctissimum. Et mitti legationes, denunciatores belli, qui valent ad violatores legatorum, contemtoresque juris eorum sanctissimi? Sane hic mihi legatio ista necessaria non est. Et interim dico, quod si possit tuto fieri ista denunciatio, ea non debeat prætermitti. Quid enim hoc violetur jus, si per indictionem id agitur maxime, ut omnis præcidatur excusatio, & defensio legitima huic, cui bellum indicitur? [e] Nam & præcedat ordine indictionem, necesse est, admonitio, sive petitio: qua videlicet non dispuncta bellum esset, & indiceretur. [f] Invitandum prius est ad pacem, ut communis docet Dei lex. Et hoc est, quod Romani res repetere solebant prius, quas sibi raptas dicebant: aut alias injurias emendari, quibus se affectos existimabant: ut modo de Cicerone audivimus; & alii adnotarunt, & exempla passim sunt. [g] *Per clarigationem repetitis res raptas*, ait Romanis Arnobius. [h] *Clarigatio* erat, cum repetitæ res claræ essent, clara caussæ belli testatio, ut explicant etiam grammatici, qui & hoc tradunt rerum raptarum appellatione contineri non modo rapinæ crimen, sed & omne damnum, & omnem injuriam. [i] Et hoc idem de verbo rerum reddendarum, recipiendarum docetur. Quid autem est, ut renuncies amicitiæ, denuncies inimicitiam, & bellum, nec tentes jus æquius primum? [k] *Extrema nemo primo tentavit loco.* Atqui belli jus necessitatis est; itaque omnium postremum est. Hoc est, quod Romani solebant, ut bella tarde, & nulla licen-

a Virg. Æneid.
b Bal. 3. cons. 102.
c Bal. l. 9. de off. proc. Cujac. quod vi. Ale. 8. cons. 69.
d Liv. 12. 20.
e Gl. c. ult. de vi. & bo. cl.
f Deut. 20. Josue. 4. anti.
g Arn. 2. adu. ge.
h Pli. 12. c. 1. Serv. 9. 10. Æne.
i Fest. reciperatio. Brisson. 4. de for.
k Sene. Agam.

tia ſuſcipereat, quod laudabat Varro. [a] *Sæpe legatos ante miſſos, res repetitas, renunciatum amicitiæ, ſi non redduntur. Et diebus tribus, & triginta (qui ſollemnes) peractis, bellum poſtremo indici*; ut apud Livium. [b] Et in caſu Saguntino obſervarunt alii hiſtorici ſpecialiter, qui ſcribunt: *Non ſtatim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo quæri malunt*. Et ſi Carthaginenſes purgaſſent crimina, tum quieſcendum Romanis fuiſſet. [c] Etiam de Gallis recitat Livius: *Erant qui extemplo Romam eundum cenſerent. Sed vicere ſeniores, ut legati prius mitterentur queſtum injurias, poſtulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur*. Eleganter P. Syrus, *In vindicando criminoſa eſt celeritas*. Belluinum eſt, arma ſtatim movere. [d]

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem, atque cubilia propter
Unguibus, & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces, ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello, &c.

Dixi Senecæ argumentum antea item de mutis, & feris. [e] Et hinc a Xerſe vituperati ſunt Græci, qui omnia non tentarent prius, ut ſine armis controverſiæ finirentur. [f] Sic vituperatus Joabus a ſapiente muliere in ſacris Bibliis. [g] Et ille tum non inſipiens, cum dicit.

Omnia prius experiri verbis, quam armis, ſapientem decet. Qui ſcis, an, quæ jubeam, ſine vi faciat? [h]

Sic Baldus, tentanda prius civilia remedia omnia, quam repræſaliæ concedantur: quæ prohibitæ per ſuam naturam: & bellum tamen ſit minus juſtum, & minus licitum, quam repræſaliæ. [i] Et Tullus rex bellicoſiſſimus omnium; *Quæ verbis componi non poſſunt, armis decernantur*. [k] Et Theſeus apud Scenicum philoſophum, *Si oratione non perſuadeo, bellum laudo. Vade, die Creonti; Theſeus amanter a te repetit cadavera: hic primus ſermo. Si nihil efficis: ſecundus, ut me armatum exſpectet*. [l] Sic Theodoricus Alarico, *Tunc ad arma, cum locum apud adverſarium juſtitia non poteſt invenire*: & idem, *Quid opus homini lingua, ſi cauſſam manus agat armata?* [m] Sic Juno, atque Pallas volunt, Argonautas agere cum Æeta, ut ut viro valde truculento. Sic agitur moderatius hic, & meri-

to,

a *Liv.* 1. 36. 38. 42.
b *Flo.* 2. *Zon.*
c *Liv. lib.* 5.
d *Horat.* 1. *ſat.* 3.
e *Herodo. lib.* 7.
f 2. *Sam.* 20.
g *Ter.* 4. *Eu.* 7.
h *Bal. l.* 5. *de juſt.*
i *Dion.* *lib.* 3.
k *Eurip.* *Sup.*
l *Caſſiod.* 3. *var.* 1. 17.
m *Apoll. arg.* 3.

to, propter cædes, & propter vaſtationes, quam circa repræſalias: [a] ubi diſtinguitur, quod aut injuria facta a privato eſt; & petenda juſtitia ſit a magiſtratu loci, unde injuria eſt: aut a publico facta eſt; & tum dentur repræſaliæ nec petita juſtitia prius. Et forte eſt ratio, quia [b] repræſaliæ & propter omnino denegandam juſtitiam dentur: atque hic omnino credi poſſit, negatam iri, ubi publicum contra factum ſuum, contra ſe ſtatuere habet. Publicum dico aut populum liberum, aut principem; ut antea eſt expoſitum: qui de injuſtitia patrata a ſe, vel negata juſtitia ſic conveniendus: nam alium magiſtratum inferiorem a principe, & magiſtratum liberi populi quemlibet dico privatum: [c] quod & alii faciunt reſpectu principis, & populi, a quo pendent. Atque ſic rectiſſime in propoſito: nam habes principem ejus ſcilicet, qui tibi de injuſtitia magiſtratus ſui faciat ſatis. Si princeps non ſatisfaciat, tum eſt bellandum, tum dandæ ſunt repræſaliæ. Atque notes, quod repræſaliæ ſunt tamen intimandæ ſemper. Sic bellum intimandum, & mox gerendum *ex edicto*, [d] Quod verbum nec legis ſolum in libris juris canonici, ubi male Critici mallent, *ex prædicto*, ſed etiam apud Livium, ubi de Metio: [e] *Quia ſuæ civitati animorum plus, quam virium cernebat eſſe, ad bellum palam, & ex edicto gerendum, alios concitat populos, ſuis per ſpeciem ſocietatis proditionem reſervat*. Atque ego verbum hic non expono de edicto magiſtratus, aut ducis, [f] cum adeſſe, & convenire milites jubebantur: Sed hoc ipſo de facto indicti, & denunciati belli. [g] *Promulgata*, opinor, *prælia*, dicit Cicero ex Ennio: & aliquis eorum Criticorum *prædicta* nominaret, quæ ſunt *antedicta*. Poſt indictum bellum, vides, exſpectari adhuc ſolitum dies tres, & triginta, antequam gereretur. Et id quoque juſte: ut dilationes in diſceptationibus fori ſunt poſt citationem, libelli oblationem: ubi indictio quædam certaminis: ut poſtulatus videat, ſi ſibi cedendum ſit, vel contendendum. Sic mihi Cyrus male, [h] qui Armenio regi ſimul intulit, & indixit bellum. Et fuit id forte unum ex vafris injuſtis factis, [i] propter quæ princeps ille Xenophontis non ſemper Eraſmo placet. Et Romani male: [k] qui tertium ſic geſſerunt bellum Punicum, momento indictum, & illatum: [l] Et itaque Epiſcopus aliquis dixerat Coſrhoi regi Perſarum, facere ipſum indigne, qui nullum tempus Juſtiniano tribueret ad deliberandum,

a *Bal.* 4. *conſ.* 107.

b *Bal.* 3. *conſ.* 58.

c *Caſa. Suet.* 6.

d c. 2. 23. q. 2.

e *Liv. lib.* 1.

f *Briſſ.* 4. *de form. l.* 20. *com. di.*

g *Cic. pro Mur.*

h *Xenoph.* 2. *Cyrop. Zon.*

i *Eraſ. vi. Hieron.*

k *App. Punic.*

l *Procop.* 2. *Perſ.*

ut vel de pace inter ſe convenirent, vel bellum ex condicto gererent. Hæc mihi certiſſimi juris eſſe videntur: & neque incognitum tamen eſt, viſa iri ridicula nonnullis omnia: qui cum Atreo potius: [a] *Ante quam ſe firmet, aut vires paret, petatur ultro*. Sed his politicis injuſtis præfixi reſponſum a principio, & ſæpe figo per totum opus. Sic politice, non juridice loquitur Mæcenas, [b] qui apud Dionem hoc tradere videtur, in ſtatu tantum democratico ſervari jura hæc, & ſollemnia clarigationum, indictionum, denunciationum, dilationum. Atque nec abolita jura ſunt, quæ ſervata immo videmus in hæc tempora: [c] ut legere eſt in hiſtoriis frequenter. Sed nec aboleri poſſunt, quæ ſunt gentium jura, & juſſa Dei.

a *Sen. 2. Thyeſt.*

b *Dio. lib. 52.*

c *P. Æm. 9. Bemb. 1. Ve. Nat. Co. 13. Machia.*

CAP. II.

Si quando bellum non indicitur.

Fit aliquando tamen, ut obſervari hæc jura nequeant, aut etiam non debeant. [d] Clam aliquando, & furtive licet rem ſuam recuperare: ut hic ait Baldus. Sed belli non indicendi & indicatus antea eſt caſus. [e] Et ut citatio in foro tolli aliquando ex cauſſa poteſt: ita poſſit & in bello hæc omitti denunciatio. Quod item ſuſcipitur bellum cauſſa neceſſariæ defenſionis, utique denunciationem non exigit. Quod vero infertur neceſſario, ipſum denunciari oportet: quia & ſine bello conſequentur fortaſſis exſules illi, quod quærunt: & conſecuti ſunt pluries. [f] Æoles recipiunt Colophonios, Lacedæmonii Mynias. [g] Cumæi alios, vi quidem coacti, ſed abſque bello. [h] Gothos, Scythas, Alanos, Bulgaros, Saracenos Conſtantinopolitani imperatores. Et Latinus rex olim Trojanos, & Afri Tyrios, & alii alios. In utili defenſione nec diverſum conſtituetur, quando eædem cauſſæ manent, ſatiſque vel metui conſuletur, vel belli cauſsa adprobabitur. Dari obſides poſſunt, tradi arces, deduci præſidia, dimitti exercitus, ſponſores adſumi, fides obſtringi, jusjurandum interponi, præſtari id genus reliqua, quæ licet vincula videri levia poſſunt in regnandi jure, ſive injuria: [i] ut Tullus quoque dixit: ſunt vincula tamen, [k] & jusjurandum quidem gentium omnium: nec ſunt alia. Et ea recepta ſunt. Et quæ ſi non recipiantur, non niſi confuſio ſupereſſet omnium rerum: nec coargui injuſtitiæ refra-

d *Bal. l. 4. C. de ob. pa. pr.*

e *Alc. 3. con. 9.*

f *Herodo. 1. 4.*

g *Paus. 7.*

h *Oroſ. 7. Greg. 2. 6. 19. Zon. 3.*

i *Dionyſ. 3.*

k *Dionyſ. 6.*

ſta-

ctarius, & injuſtus unquam valeret. [a] Sic Alciatus in quæſtione de moderamine inculpatæ tutelæ tradit, repromiſſionem intervenire poſſe adverſus metum, poſſe intervenire jusjurandum, fidejuſſiones, obſidatus, pignora arcium. Idem porro & in vindicatione jus conſtituemus, ut bellum denuncietur ab his qui ultionem quærunt: ſive injuria recens accepta eſt, ſive vetus eſt: ut de utriſque ſunt hiſtoriæ: & ſupradictæ vincunt rationes. Cæterum hic ſciamus, quod ſi illata injuria fuerit bellica: id, quod ex paratu cognoſcitur, nec indictum bellum fuit: utique nec indicent alii, qui in præſentia movent ad ultionem: nam jura violanti jus redditur, ſi jus non præſtatur: ut illic explicavi in ſecundo de legationibus, ubi ſcripſi, quemadmodum qui alterius læſit legatos, is ſuis non ſperet ſtare jus legationis. Item neque his bellum indicetur, qui jam pro hoſtibus habentur: ut quid enim opus indictione, per quam denunciatio hoſtilitatis, ſi hoſtes ſumus, & habemur. [b] *Quicquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſt.* Etiam illud dixere Feciales, non opus eſſe, renunciare amicitiam, cum legatis repetentibus res pluries, eæ nec eſſent redditæ, nec fuiſſet aliter ſatisfactum: quod paullo ante retulimus. *An Ageſilaus, Alexander, alius Græcus indixiſſet barbaris bellum, quibus erant hoſtes ſemper?* Hi forte externi illi ſunt, cum quibus ſemper eſſe jura belli, dixit [c] Pomponius J. C. Et de quibus nos diſputavimus in primo libro. [d] Sic ſane Græcis *externi* appellabantur. [e] Sed quod generaliter (non hoc ſpeciali caſu) quidem docent, bellum jure noſtro civili indici non oportere: id defendi non poteſt neque ab ea definitione, quam hoſtium dicunt idem Pomponius, & Ulpianus: & in qua nihil dicitur de indictione. Ea enim non eſt plena definitio: at unum illud docet, quod de publico nos tractavimus in definitione belli plena, & de principibus bellum gerentibus. Quamvis & apud eos Juriſconſultos indictio hæc, & denunciatio omnino ſignificetur illis verbis, *Publice bellum decrevimus*. Geritur præterea bellum nec indictum, ſi injuriæ durat factio, aut jam fiat. [f] Hic & privatus defendet ſe. [g] Hic Cicero; *Silent enim leges inter arma, nec ſe exſpectari jubent, cum ei, qui exſpectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda.* [h] Similia differit Cæſar admovendum Arioviſto bellum abſque ſenatus decreto, & populi, antequam ingraveſceret, præ-

a *Alc. 5. conſ. 132.*

b *l. 1. de do re.*

c *l. 5. de capt.*

d *Hero. lib. ult.*

e *Bod. 1. de rep. 7.*

f *Bell. 5. cap. 3. c. 15.*

g *Cic. pro Milo.*

h *Dio. lib. 38.*

præoccupandum, ait: obtingere bella, ad quæ parari homines poſſint; & querelæ, & indictiones præire: ſed alia exoriri, quæ tamquam jufſerit neceſſitas, non poſſint in diſceptationem adduci; & cætera, quæ apud Dionem ſunt. An ſi facturus Arioviſtus bellum Cæſari fuiſſet, ſcribere Romam habuit Cæſar, & ea omnia exſpectare ſolemnia, quæ Saguntum perdidere? Dat ipſa lex poteſtatem defendendi. Die etiam exemplum, ſi prædatores agri noſtri nos bellico paratu perſequimur. Et neceſſaria enim hæc defenſio dicetur juſtius: quæ nec iſtis legibus teneatur, ſed ſic explicetur, ut ferunt occaſiones. Quid enim ſi bellico apparatu opus eſt ad prædatores hos repellendos, illum ego non adſumam citra belli denunciationem? cum tuti alias redirent prædatores ad ſuos, & bonis noſtris onuſti jam de tutiori loco nos riderent. Reverſos non petemus bello niſi indicto. Juris tamen interpretes non finirent tempus hoc tam anguſte, quam nos facimus. Verum & contra iſtos in cauſſis privatorum facit nobiſcum Julianus, [a] qui *in ipſo congreſſu* reciperationem violentam rei vi raptæ admittit: adeoque poſt congreſſum negat. Qua de re plura ſcripſi in libro *De legitimis temporibus*. In cauſſis tamen imperiorum forte ratio diverſa eſt, ut reciperatio iſta etiam admittatur contra eos, qui reverſi ad ſuos ſunt, incontinenti, [b] ut eſt interpretum ſententia poſt horas, & poſt dies cum primum erit commodum. Nam ut in cauſſis privatorum ego non probem interpretes; illa ratio eſt, quod privatus in re rapta nullum ſibi jus parat majus, etſi tenet diutius: at in publicis roboratur, qui rapuit, ſi reverſus ad ſuos collegerit ſe, & confirmaverit ad reſiſtendum vires. [c] Illud primum tempus reverſionis deputari abſentiæ etiam alibi ſolet propter res adhuc incompoſitas. At teneo tamen, non licere citra denunciationem agere cum reverſis: ut ſic exempla vincunt, & convincunt ſupradicta de recto jure poſtulatorum: maxime vero facit ratio, quod hic non a publico, ſed a privatis rapinam fieri ponimus: atque ideo bellum eſſe contra publicum nequeat ſtatum. [d] Denunciatio an requiratur, ſi princeps bellum moveat beneficiario ſuo, ſive feudatario, fuit quæſtio inter Galliarum regem, & regem Angliæ aliquando coram imperatore. Et recte mihi diſtinxiſſe Gallus videtur: ut ſi qua eſſet contra beneficiarium accuſatio, per quam ad judicium domini feudi eundum ſit, dominus is jura hæc gentium

a *l. 17. de vi et.*

b *Dec. conſ. 460. Cepb. 710.*

c *l. 4. de vac.*

d *P. Æmil. lib. 9.*

ſer-

ſervare cum feudatario ſuo non habeat: Atque eſt ratio manifeſta: qui enim jure judex eſt, & ſuperior, non jure cogitur ad ſubeundas partes partis, & æqualis. Hæc non eſt juſtitia non tribuere cuique ſuum. [a] Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt cuique tribuens; ſuperiori, æquali, inferiori, cuique quod debetur: ut ita etiam Bernardus. [b] Et quod noſtri, non is poteſt alteri ſe ſubjicere, qui poteſt per ſemetipſum judex eſſe in cauſa ſua: quia non ſolum ſuæ perſonæ, ſed etiam juriſdictioni faceret præjudicium. Sic neque cum rebellibus ſervabuntur hæc jura. Et rebelles cape, qui erant ſub ditione; nam qui ab amicitia, fœdere, comi etiam obſequio defecerunt, his denuntiandum bellum eſt. Illis enim non eſt jus gentium, his eſt. [c] Fidenatibus, Campanis non denunciant Romani, defectoribus a ditione. Volſcis, Latinis, Hiſpanis, Pœnis, aliis denunciant, etiam ſtipendiariis, & tributariis. [d] Alium caſum, quo bellum non indicitur, Baldus notat, cum erat bellum, & ab eo diſceſſum pacto eſt in biennium, nam biennio elapſo indicere bellum non oportet, quod reſumitur. Quod ſi autem bellum nunquam fuiſſet, etſi parata utrinque fuiſſent ad bellum omnia, & ea dilatio eſſet interpoſita ejus pacti, neceſſaria foret indictio finito biennio: quoniam verba pacti negantia, & tempus nihil diſponunt, ut ait Baldus. Utrobique bene. Et prior caſus induciarum eſt, quæ illud habent, inde a fine earum vi jam pugnari poſſe. Et ita fieri videmus non modo in caſtrenſibus paucorum dierum induciis, ſed in multo etiam longioribus. Et ergo bellum fieri exeunte harum quoque longiorum die, audimus, neque iſta ſollemnia præmitti. Ratio utrarumque induciarum eadem hic eſt. Sed de iſtis ſollemnibus quid ſtatuo ad bellum, quod ſuſpicimus ferendo auxilium aliis? Mihi ita diſtinguendum videtur, ut arma non moveamus contra ſingulariter fœderatum, conjunctumve prius, quam fœderi, & conjunctioni renunciemus. [e] Sic Romani neque pro dedititiis Campanis contra Samnites antea arma ſumunt, neque contra Carthaginenſes pro Saguntinis ſociis fideliſſimis. Quod ſi nullum intercedit vinculum præter commune naturæ, auxilium forſitan feres, nec bellum denunciabis. [f] Minus enim communi huic vinculo debetur. Et noſtrum bellum non eſt, quod nec noſtro nomine geritur, nec auſpiciis noſtris. Itaque ſi in ſocietatem veniſſemus, & foret belli nomen commune, & communis res, tum eſſet bellum de-

a *Ber. de ad ſe. 3.*

b *Caſtr. l. 12. de juriſd.*

c *Dionyſ. lib. 5.*

d *Bal. de pa. Co.*

e *Liv. 7. 21.*

f *Alc. l. 1. C. de in jus vo.*

denunciandum. Ubi nulla ſumus belli pars: ubi injuſſu noſtro bellum & geritur, & finiri poteſt, quid nos indicemus? Et, ſi auxilia pecuniarum ferimus, bellum quoque indicemus? Et ſi commeatuum? Et ſi conſiliorum? Ita ego opinor, omnino ſi auxilia ferimus ad defenſionem. Immo hoc caſu ſic dico, etiam ſi auxilia ferremus contra ſingulariter fœderatum. Et rationes dixi in fine libri ſuperioris. Si arma conjungimus ad offenſionem, tum non extrico ſatis. Qui bellum movet, ipſe indicit; alius bellum, quod ſuum non eſt, cur indicat, vix video. Verum eſt, quod propter auxilia ſummiſſa peti bello auxiliatores poſſunt ſemper. [a] Et petiti a Cæſare Britanni ſunt, ab aliis alii: [b] etiam cum communicata conſilia tantum ſunt. Sed tamen quod patretur aliquid hoſtile per adminiſtrata auxilia hæc: non ideo bellum hoc eſt, & bellum indicendum eſt: aliud non item, aut non quaſi bellum. Atque hoc eſt, quod feciſſe ſe ſæpe regina Angliæ cum Hiſpano rege ait publicatis literis: dum vicinis Belgis ſive pecunias, ſive arma ſuggerit contra Hiſpanicam vim, ut fecerit & certiorem ſimul regem illum de facto iſthoc ſuo toto, & facti cauſſis. Et ergo hæc ita mihi videntur. Sed ſi bellum non indicitur, cum indici oportet: [c] tum proditorie agi dicitur: [d] & injuſtum, & deteſtabile, & internecinum bellum eſt: id eſt, quod nulla lege belli, ſed pro libidine geritur: & in quo omnia jura belli merito ceſſare videntur: [e] quale non diu ab hinc geſtum a Rhætis cum Maximiliano imperatore memorant, & antea a Venetis cum Genuenſibus: & olim a Romano milite contra Auſones, a Sylla contra Samnites, a Germanico ſemel contra Germanos: & quale fuit, quod Carthaginenſes geſſere contra ſtipendiarios: & quale cum Romanis ſibi eſſe, Hannibal denegabat. [f] Imperium, gloriam petebat Hannibal, non ſalutem. [g] Hoc eſt internecinum, capitale, exitioſum, in quo non utri vincant, ſed utri ſint, agitur. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum. [h] Hoc eſt bellum internecinum, quod Iſraelitæ gerere contra Cananæos habebant: ut ſic dicit illis de his Deus, *Omnino internecioni devovete eos, ne ſinite vivere ullam rem.* Sed hoc tamen juſtum, quod juſſit Deus. Immo ad iſta prima ſollemnia mihi notes, quemadmodum nec ſunt omiſſa cum gentibus illis exterminandis; ut indicavi in ſermone de cauſſis bellorum. Tantum abeſt, ut defendi valeat Pyrrhus, [i] qui Lacedæmoniis incuſantibus lega-

a *Cæſ. 4. Gal.*
b *Paul. lib. 7.*
c *Ceph. conſ. 57.*
d *Alc. 8. pare. 18. Plu. Peri.*
e *Alc. eo. Pacby. 9. Liv. 9. 22. Tac. 2. an. Polyb. 1.*
f *Cic. Lel. & 1. de off.*
g *Manut. Phil. vit.*
h *Deut. 20.*
i *Plut. Pyrr. & Polyc. lib. 6.*

legatis, quod non indicto prius bello eos Pyrrhus invasisset, respondit, neque Lacedæmonios prænunciare solitos aliis, quod facturi essent. Iniqua responsio: nisi hac ipsa in re contra ipsum Pyrrhum peccassent Lacedæmonii. [a] Qui enim non jure agit, ipse nec conqueri debet, si sic secum agitur. [b] *Neque enim lex justior ulla est; Quam necis artifices arte perire sua.* [c] Hæc summa æquitas, & sine cujusquam indignatione justa: quis enim aspernabitur, idem fieri sibi, quod aliis ipse effecit? Et tamen si non Pyrrho sic fecere, liberas ad eum ædes habuerint. ADVERSARIO POSTULANTE, ait prætor: de quo & omnes interpretes explicarunt. Atque satis de belli denunciatione. Nunc in bellum ire oportet.

a *Alc. 5. con.* 132.
b Ovid. 1. de ar.
c l. 1. quod qui. ju.

CAP. III.

De dolo, & stratagematis.

ATque in bello gerendo aliquid est, quod ejus partes omnes pervadit, dolus, & stratagema; de quibus scilicet non una in parte belli, sed in omnibus dispici potest. [d] Stratagema autem tribus continetur speciebus, cautione, sive fallacia, audacia, utrinque mixto. Et unumquodque componitur oratione, facto, utrinque mixto: & hæc licent persuadendo, cogendo, injuriam faciendo; ut hi sunt tamen, contra quos ista licita sunt, ut sunt hostes, ut in bellis licita sunt. In simulacris bellorum (ludos dico) non sunt licita: [e] quod certum, & per exempla plura ostendit alicubi eruditissimus P. Faber. Et ratio manifesta est, quoniam leges ludorum eæ sunt, ut de eo certetur, quod est ludus; itaque qui cursu contendere habent, hi nihil nisi currere habent; aut si aliud faciunt, jam cursu non contendunt. [f] Rabidum dicitur aliorum certamen. Etiam illa est differentia inter bellum, & duellum, quod pares esse duellantium conditiones debent: virtute enim propria illic agitur, quod non in bellis, ubi de regnorum agitur virtute. Non in bello est hujusmodi stricta lex; verum quæritur victoria nullo certo modo. [g] Sic Virgilius, qui dolum in ludo non probavit, at Salio ereptum dolo primum reddit honorem, contra hostes non secus atque virtutem admittit dolum per os non illaudati principis, *Dolus, an virtus, quis in hoste*

d Gl. A. Str. 1.
e Sil. 16. Hom. Il. 23. Cic. 3. de off. l. 1. C. de ale. Fa. 3. ago. 19.
f Cæser. 1. de si. c. 7. lib. 2. sec. 13. 14.
g Virg. 2. 5. Æne.

requirat? Fecit Virgilius, ut Chorebi ſententiam hanc ſequerentur viri alii laudati, & Ripheus juſtiſſimus, & æqui ſervantiſſimus, immo & ipſe etiam Æneas, cenſente Scaligero, aliiſque; de quibus alibi dico. Atque illam generalem ſententiam ſic afferunt alii quoque. [a] *Nullo diſcrimine virtutis, ac doli, proſperos omnes laudari debere bellorum eventus.* [b] Et de Auguſtino, inque jure canonico, *Quum juſtum bellum ſuſceperis, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincas, nihil ad juſtitiam intereſt.* [c] De quo interpretes ſic tradunt juris, licere per cavillationes, & fraudes hoſtem decipere. [d] Et ſic ipſi auctores, & magni illi magiſtri hujus bellici juris, *Veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi adverſus hoſtem, latronemve quis machinetur.* Et ergo veriſſima hæc, & certiſſima videri poteſt opinio, quam aliique, & theologi, & canoniſtæ, & civiliſtæ ſcriptores tradunt. [e] Ille autem, quiſquis fuit, aut qui ſcribit grammaticus, nihil moveat cum ſua, *Turpem dolo quæſitam victoriam*: ſi non de malo intellexerit dolo, de quo nos ſtatim. [f] Interim hi, victorias plures eſſe partas arte, & fallaciis: [g] & relatum ab oraculo, non Martis tantum muneribus, ſed & aſtu belligerandum: [h] & dictum a Braſida fortiſſimo, belli eſſe furta honeſtiſſima. [i] Silius autem eleganter, *exin virtuti placuit dolus*: poſtquam Fabio Maximo placuit dolus. Atque hæc plura ſunt. [k] Etiam jure naturali licitus nonnullus eſt dolus, non eſt deceptio omnis illicita. [l] Eſt grillus, qui exprobrat Ulyſſi, quod dolis, & fraudibus deceperit homines olim ſequentes ingenuum, atque generoſum belli morem, neſcioſque fallendi, & decipiendi: & idem verſutis factis indiderit virtutis nomen, quæ eſt a malitia perquam aliena. Et forte etiam Ulyſſei doli omnes non defendentur. Verſutia certe, & malitia non defendentur: quæ ſemper ſunt mala. Simpliciores autem fuerunt olim in bellico univerſo negotio: [m] & interdum locum finiebant, in quo dimicaturi eſſent, itidem & tempus & in hoc veteres ſe jactabant Romani ſupra poſtumas Græcas calliditates, verſutias Punicas. Cæterum eſt diſceſſum ab ea ſimplicitate: & reſponſum, non oportere conſiliariis hoſtibus uti: & armorum non magis eſſe militiam, quam tempoſum. Tantum ergo videndum eſt, ne omnem dolum, & omne vaſrum commentum admittamus. Neque enim admittitur malum; nam jure

a *Anim. lib. 17.*
b *Aug. Joſ. q. 10. c. 2. 23. q. 2.*
c *Ceph. conſ. 695.*
d *l. 1. de dol.*
e *Iſid. lib. 18.*
f *Xenoph. Hippar.*
g *Pauſ. lib. 4.*
h *Thucyd. lib. 5.*
i *Sil. lib. 15.*
k *l. 16. de minor.*
l *Plu. an brut. an.*
m *Liv. 8. 42. Polyb. 13. Plut. Pop. Mar. Pyr.*

re agitur cum hoſte: jus autem nunquam eſt malum, ſed ars boni, & æqui. Atque quod hoſtes, latroneſque juriſconſultus in propoſito pares feciſſe videtur; non ita accipiendum eſt, quaſi idem dolus ſit bonus in hoſtes, qui bonus in latrones eſt. Nam in ſubditos, omniſque juris violatores plurima longe dantur, quam in æquales, & juris ejuſdem obſervatores. [a] Ecce diſceptatur acriter, ſi pacta fides ſit ſervanda latronibus, aliiſque hujuſmodi criminoſis: & plerique omnes utriuſque juris interpretes negant, ſervari oportere: quod nemo de hoſtibus defendit: at contrarium maximo conſenſu tradunt. [b] Adde hæc Senecæ de hoſtibus, *Multa legem non habent, nec actionem: atqui conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum: nulla lex jubet, amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex, fidem etiam inimico præſtari: tamen*, &c. & hoc adde Silii, *multo optimus ille Militiæ, cui poſtremum eſt primumque, tueri inter bella fidem*. [c] Juſtitiæ fundamentum eſt fides. Fides non ſervanda piratis, prædonibus, nec jurata, nam iſti ex perduellium non ſunt numero: nec fides eſt cum ipſis, nec jusjurandum commune: adverſus vero juſtum, & legitimum hoſtem jus feciale totum, & alia multa ſunt jura communia: ut hæc omnia ſcribit M. Tullius. Ego autem ut ejus dicta non probem omnia, non quæ ſunt de jurejurando: tamen volo hoc certe cum ipſo, & cum aliis, dolum bonum alterius generis eſſe, qui contra latrones, & qui contra hoſtes probetur. Age, pergamus de iſto dicere.

a *No. l. 5. de pa. Zaſ. cont. Eck. Alc. l. 177. de V. S. Bod. 1. de re. 1. Mar. 3. Jud. Vivi. com. op.*

b *Sene. 5. de benef.*

c *Cic. 1. de off.*

CAP. IV.

De dolo verborum.

DOlus eſt fraus, fallacia ad circumveniendum. Et vel verbis, vel factis admittitur. A verbis autem pactorum cum hoſte abſint capeduncula omnes. [d] Nam & bonæ fidei ſunt omnia iſthæc principalia, aut cum procuratoribus principum geſta: & valde reſpuunt ſcrupuloſas interpretationes, diſputationeſque de apicibus juris, [e] id eſt, de ſubtilitatibus: & ab omni malitia longe eſſe debent: & ſolam veritatem intueri, quam colit jus gentium, & poſt quam vadit, non autem poſt ſubtilitatem bona fides. Quæ omnia Baldus, & Alciatus, veteris, & novæ juriſ-

d *B. 1. conſ. 263. 327. 2. 14. 3. 218. 5. 188. 352. Alc. 3. conſ. 36. 5. 12. 18. 10. 8. 40.*

e *Bar. C. de bis, qui in pri. lo. er. ſu. Cepb. conſ. 712.*

jurisprudentiæ principes. [a] Atque sic notavit M. Tullius, feciali jûre *æquitatem* esse præscriptam. [b] Legulejorum est, syllabas, & apices aucupari; non militaris simplicitatis: cui tam varie, tam multimode, tam multa leges indulgent. [c] Secura ea, & obtusior, & a fori calliditate longe est posita. *Arma etenim magis, quam jura scire, sacratissimus legislator existimavit milites.* [d] Cum militibus attenditur jus gentium, & æquitas naturalis, omisso rigore juris civilis. Et itaque simplicitas attenditur: [e] nam ea juris gentium est. [f] Legales subtilitates in verbis idiotarum non quærendum, sed ita intelligendum, quemadmodum intellexerint verisimiliter idiotæ: scilicet rudes isti aptum nesciunt proferre sermonem. [g] Pericles igitur improbus, qui pactus, futuros hostes incolumes, si ferrum deponerent, eosdem necat, quod in sagis fibulas ferreas retinuissent. Est hic ferri nomen de armis. *Ferro, non auro, vitam cernamus utrique*, inquit Pyrrhus apud Ennium. [h] Platæenses improbi, qui pacti reddere captivos, necatos hos reddunt. [i] Quasi cadavera essent captivi, & mortuus homo esset homo. [k] Improbus Alexander, qui incolumem ex urbe decessum annuit defensoribus, sed progressos aliquantulum viæ interimi jubet. Quod bellicis Alexandri gestis illuibilis labes adhæsit, ut scribunt. Et quidem merito, si hoc tantum quæritur, an pactum si sit, ut tuto exire urbem illi potuerint, capi sic, & interfici potuerint, postquam exiissent: neque enim quisquam est, qui ita paciscí velit: & neque quidquam est, cur velit. [l] Qui capitur in templo, & est dimittendus, & ita dimittendus, ut difficilis ejus sit persecutio. Quod jus aptissimum hic est: nisi quid aliter conventum est. [m] Dercyllidas, Thibron, Paches improbi, qui polliciti obsessis, si ad se veniissent, reditum in obsessam urbem, minitantur mox mortem venientibus, nisi dedidissent urbem: & itaque in deditam reditum concessere. Non hæc dedita illa nunc urbs, in quam reditum paciscebantur. [n] Improbi Samnites, qui cum hostibus pacti de lapide tollendo per universum muri ambitum, sic tollunt a parte infima: & itaque murum tollunt universum. At si lapis de muro tolli debuit, murus utique tolli non debuit. [o] Campani improbi, qui dimidiam armorum partem relinquere hostibus habebant: arma autem omnia dissecuerunt, & dissectorum partem dimidiam reliquerunt. Et improbus ille pariter Romanus, qui naves fecit Antiocho

omnes,

a *Cic. 1. de off.*
b *Cic. 1. de orat. l. 25. de prob.*
c *Tac. Agr. Alc. 5. conf. 40.*
d *Alc. 5. con. 38. 8. 54.*
e *Bal. l. 5. de just.*
f *Bal. l. 32. C. de re. mil. Rom. conf. 4.*
g *Front. 4. c. 7.*
h *Thucyd. lib. 2.*
i *Arist. 1. de pu. an. 1. l. 49. de leg. 2.*
k *Diod. 17. Polyc. 4. Ar. 4. Plut. Alex. Zon.*
l *Bar. l. 1. de ad. re. do.*
m *Polyen. 2. 3.*
n *Polyen. 6.*
o *Polyen. 6.*

omnes, quod dimidiam partem navium ex fœdere tradere rex deberet. [a] Et præstigiator improbus hic Valerio dicitur. Est enim non hæc divisio, sed omnium corruptio: ut belle Cascelius, [b] *Navem si dividis, nec tu, nec socius habebitis.* [c] Et interpretes in facto ridiculo ejus, qui sic item emerat dimidiam ficuum partem, atque medios singulos volebat. [d] Et Labeo, & Sabinus, quod si vestimentum scissum reddatur, vel res corrupta reddita sit, res abesse videatur: quæ & Pedius, & Ulpianus, & Paullus probant. [e] Romani rursus improbi, qui spondentes, liberam fore Carthaginem, ad cives verbum transtulere sponsionis, quibus civitas constaret, non mœnibus, & ædificiis, quæ dirui jubebant. [f] Etsi enim ea sit differentia urbis, & civitatis, quod *urbs ædificia, civitas incolæ* sint: [g] tamen est interpretatio omnis sinistra, & extranea, quæ non consonat auribus vulgi: ut hæc subtilior, & neglecta passim non consonat differentia. Etiam nec civitas libera relinquitur, quæ jubetur alio migrare. [h] *Nihil abest a captivitate jussio de migrando suis sedibus.* Nec civitas sine urbe, ædificiis, & mœnibus est, in quibus multa civitatis ratio est. Ut de his explico fuse alibi. Sane autem in pluribus ejus tertii belli Punici vix tueri Romanos possis. Improbi & in secundo illi milites Romani, qui capti ab Hannibale, & sic dimissi, ut, si senatus captivos non permutaret, ipsi ad Hannibalem redirent: & solutos se religione dicebant, quod cum egressi ab Hannibale essent, commentitio consilio regressi eodem die, & itaque impleto jurejurando de redeundo jam nulla obstricti conditione abiissent. [i] Hæc istorum fraudulenta calliditas tam esse turpis æstimata est, ut nullis non conviciis, decretis, notis proscissa fuerit. Et Cicero hoc de facto, *Semper in fide quid senseris, non quid dixeris, cogitandum.* [k] Et generaliter theologi de jurejurando, *Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit*, &c. [l] Eadem his militibus fraus, & multo tamen immanior fuit Othonis Episcopi Moguntini, quam alii narrant, & notant. [m] Improbus Agnon, Cleomenes, & Thraces improbi: qui in dies aliquot cum essent inducias pacti, nocte interim aliqua aliquid egerunt hostile; quasi nox non contineretur appellatione diei, etsi non de die uno, sed de pluribus dictum est: Equando id, quod agitur, non in luce modo, sed & in tenebris tra-

a *Val. Max.* 7. c. 3.
b *Mucr.* 2. *Sat.* 6.
c *Jas. Alc.* l. 22. 13. *si cer. pe.*
d l. 13. 14. *de V. S.*
e *App. Pani.*
f *Cic.* 1. *de rep. Bal.* l. 4. *de off. proco.*
g *Cepb. conf.* 40.
h *Cedrenus.*
i *Gell.* 8. *cap.* 18. *Cic.* 1. 3. *de off.*
k c. 9. 22. q. 5.
l *Sabell.* 10. *Enn.* 8. *Alc. de fi. ce.* c. 17.
m *Str.* 9. *Poly.* 6. 7. *Cic.* 3. *de off. Plut. apoph.*

tractatur. Ut de his mihi ſermo eſt in alio opere. Sed & pro-
a *Suida.* verbio notatum commentum hoc Thracium. [a] Etiam & Phœ-
nicum pactum de inſidioſis dictum tradunt: quoniam cum in
Lybiam appuliſſent, & ab incolis loci impetraſſent, ut poſſent
illic eſſe noctem, & diem, abire poſtea nunquam voluerunt:
quaſi hoc pacto tuti, quod idem ſignificaret, ac ſi conventum
eſſet, ut manerent donec dies, & nox eſſet in perpetuum. Et
forte lingua Phœnicia, item Lybica propius juvat hanc fraudem:
quæ manifeſtior, & impudentior detegitur in Latina. Sic & aliæ
ſupradictæ Græcorum, Opicorum, Scytharum, aliorum. Illi iidem
Phœnices commentum illud alterum de taurina pelle induxerunt,
b *Athen.* *lib.* 8. mercati ſolum, *taurino quantum poſſent circumdare tergo*. [b] Et
aliud commentum iidem commenti alibi. Sed & paribus artibus
tum excepti a Græcis fuere. Nam Græci, qui eis debebant na-
ves, tradunt has ſine clavis, remis, velis: veluti hæ eſſent na-
c *l.* 242. *de* *V. S.* ves. [c] Inſidioſe: at contra inſidioſos. [d] Improbi Locrenſes, qui
d *Polyæ.* 6. amicitiam pacti perpetuam, dum terram illam calcarent, & ca-
pita illa humeris portarent: terra, quam calceis antea injecerunt,
& capitibus alliorum, quæ clam appoſuerunt humeris, excuſſis,
bellum moverunt. Hæc futiliſſima commenta: quibus uti forſan
e *Ovid. Faſt.* 3. *Macr.* 1. *Sat.* 7. poſſis, quemadmodum Numa, Brutus uſi [e] perhibentur, ad im-
manitatem aliquam avertendam: ſed hic uti non poſſis. [f] Im-
f *Herodo.* 4. *Polyæ.* 7. probus Ariandes, Perſæ improbi, qui itidem pacti amicitiam, do-
nec ſtaret illa terra: foſſam antea factam, & terra, cui inſiſte-
bant, tectam aperuerunt ſuppreſſa, infraque depulſa terra: & ita-
g *Pont. l.* 2. *de V. O.* que ſe pactione liberatos venditabant illa terra non ſtante. [g] Et
tale Peruſinorum commentum, improbatum juriſconſultiſque Pe-
ruſinis: ut pax Papæ, & Peruſinis eſſet, donec haberent in cor-
pore *de vite*: quod vocabulum Italice & vitas, & vites ſignifi-
cat. Peruſini autem de vite ſibi intellexerunt: quam in ſinu oc-
cultam gerebant: & quam poſtea abjecerunt: & itaque habere in
corpore deſierunt: ac bellum cum Pontifice renovarunt: qui fi-
dens fœderi, ubi vitam intellexerat, agebat jam ſecurus. Iſta
ſunt commenta adeo putida, atque putrida, ut in ipſis recenſen-
dis, ac refutandis ego videri nimius queam. Refutavi alia ali-
h *Sleid.* 19. *Na. Co.* 3. *Gucc.* 5. bi. [h] Sæculo hoc noſtro exprobratum ſcimus Carolo V., & Lu-
dovico regi Galliarum, quod non principibus, ſed leguleis di-
i *Bal.* 5. *con.* 365. gnas verborum ac pactorum interpretationes afferrent. [i] Non hos

de-

decet (ut dicam iterum in fine, quod dixi in principio hujus diſceptationis) de juris apicibus contentiones inferre: tantum abeſt, ut exercere verborum ſophiſmata poſſint, & ſubtilitates futiles conſectari. [a] Principum ſtatuta non ſunt per aſtutam interpretationem ſubvertenda. [b] Aſtutæ, & malitioſæ interpretationes, & calumnioſæ, & verſuti juris præſtigiæ etiam de rebus privatorum tolluntur. Quanto igitur magis tolli de publicis debent? [c] In pactionibus favorabilibus, & bonæ fidei ſpernuntur omnes apices juris: qui bonam fidem non tangunt: & qui per nimiam ſubtilitatem evertunt bonam paciſcentium fidem. [d] Remotæ ſunt a veritate verborum inſidiæ. Cum id genus plurimis. Stratagema igitur probamus: at aliud ſtratagema eſt, aliud eſt perfidia. [e] Hic timendam culpam dicimus: etiam cum non eſt culpa: ut ſic conſcientia bonorum virorum eſt.

a *l. ult. C. de præ. ag. in re.*
b *l. 2. C. de legi. l. 28. C. de adult. l. pe. D. ad ex.*
c *Decia. 3. conſ. 102.*
d *Decia. 3. conſ 84. Cepb. d. 713.*
e *Alc. 8. com. 18.*

CAP. V.

De mendaciis.

SEd hic una reſtat quæſtio, ſi hoſtem mendacio aliquo liceat circumvenire. Reſpondeo autem, contingere varie poſſe, ut quis mendacio utatur adverſus hoſtes. Et itaque unam definitionem eſſe non poſſe ejus rei, nec reſponſionem unam. [f] Ventidius exploratores Parthorum cum noſſet, qui ad ſe transfugæ videri volebant, ſic tractabat humaniter tamquam amicos, ipſiſque contra ſuos Parthos abutebatur: dum ſinebat, ſe ab illis audiri, quod facturus quid foret: quando tamen alia cogitabat omnia: ut illi de perceptis quaſi conſiliis facerent certiores Parthos: & iſti ad nunciata pararent ſe interim; ut imparati offenderentur alibi, ubi vere ipſos invadere Aſculanus noſter cogitabat. [g] Et Mauritius imperator obſeſſos quoſdam ſuos monuit, ut durarent: ſe namque prædatum ire in agros hoſtium: & prædam jam confeciſſe magnam mulierum, & rerum omnium. Atque hæc falſa erant tamen. Sed tamen ea dum hoſtis audit, interceptis (ipſo id curante Mauritio) literis, ſuorum timidus ſolvit obſidionem. [h] Simile autem cum Ventidio egiſſe Ageſilaum, Plutarchus memorat. [i] Et ſimile huic Mauritii fuit illud Catonis Cenſorii, qui Ilergetum ſociorum legatis auxilia polli-

f *Dion. 49.*
g *Cedr. P. Diac. 17.*
h *Plut. Ageſil.*
i *Liv. 34.*

ce-

cetur, quæ ſocios confirmare, hoſtes terrere potuérint: & quæ tamen non ferre certus decreverat. [a] Similius illud Flacci, in eadem Hiſpania ab hoſtibus circumſeſſi, dicentis, hoſtium urbem expugnatam ab Æmilio, quod veriti hoſtes, Flaccum relinquunt. Iſti ſic mentiti contra hoſtes ſunt, ut ne verbum cum hoſtibus fecerint. Itaque tuti ſic eſſe poſſunt apud hoſtes, quod hoſtibus nihil promiſerint, nihil dixerint. Quid ergo ſi hoſtem ipſum alloquimur mendaciter? [b] Themiſtocles, Græcos ſuos ut cogeret contra Perſas ad prælium prope Salaminam, miſit, qui Perſis a ſe nunciaret de benevolentia erga ipſos ſua, & de Græcorum trepidatione, & inſtructa fuga: ergo ipſi venirent, & Græcos opprimerent: Et res aliter erat: aut ſic liceat, aptaſſe exemplum. [c] Idem Themiſtocles, dum veretur, ne poſt victoriam ſuorum navalem adhuc ſubſiſteret Xerxes in Græcia, atque novas in anguſtias Græcos induceret, monet Xerxem eadem ſimulatione amicitiæ, feſtinaret abire de Græcia, antequam ſibi exitus a Græcis intercideretur. Et ita regem illum ſtatim exegit, timentem, credentem vera Themiſtoclis monita. [d] Et ſimile Philopœmenis mendacium adverſus Nabidem narrat Livius. Mentitur Porſenæ Scævola de trecentis conjuratis ſuis. [e] Africanus major de pace agit cum Siphace: & nihil cogitat minus. [f] Et de Arato ſcribit Polybius, quod multa, contra quam loquebatur, moliri in hoſtes conſueverat. At exemplorum jam ſatis. Et exempla tamen talium virorum facient partem aliquam in jure conſtituendo, quod quærimus. [g] Scilicet eſt probabile, quod probatis probatum eſt viris. Et reliqua, quæ ſcripſi antea de exemplis. In his autem exemplis hoſti mentitus hoſtis eſt. Nec tamen de ejuſmodi mendaciis hoſtem ab hoſte accuſari, audivimus unquam. Facilitatem ſuam accuſet, qui hoſti credit. [h] *Ne credas inimico tuo in ſæculum.* In caſu ſuperiore, cum hoſtis allocutus hoſtem non eſt, accuſari hoſtis non poteſt. [i] Refert enim in geſtis vivorum, cum quo quis loquatur. [k] In poſteriore nec accuſatur hoſtis: nam in nudo dicto ſtatur, non ad aliquod promiſſum deſcenſum eſt: & neque in contrahendo is admiſſus dolus eſt. Ergo nulla contracta obligatio ex eo eſt. Quæ ratio facit certam definitionem in priori. Cum videri non firmum alioqui poſſit, quod dicebatur, referre in geſtis vivorum, cum quo quis loquatur. [l] Scilicet regula ſecundum rigorem juris civilis, non

a *App. Hiſp.*
b *Herodo. lib. 8.*
c *Plut. Themiſt.*
d *Liv. 35.*
e *Polyb. lib. 14.*
f *Polyb. lib. 2.*
g *Ariſt. Top. prin.*
h *Sirac. 12.*
i *Bal. 3. con. 121.*
k *l. 19. de æd. ed. l. 37. de dol.*
l *Ale. conſ.*

non secundum æquitatem juris gentium, est, *Res inter alios acta*, &c. ut sic Alciatus respondit, referre immo hic nihil, cum quo quis loquatur. In contrahendo mentiri hosti non licet. Sic videri possunt non probe egisse Jabeschitæ: [a] qui pacti antea deditionem, si suppetiæ sibi non ferrentur intra dies tot: & suppetiis adventantibus, pridie pacti diei nunciant hosti, se sequenti pacta die facturos deditionem: cum (ut dico) haberent auxilia in manu, victoriamque. Qui tamen negant, Jabeschitas esse mentitos, ajunt, illi nuncio subesse conditionem, si suppetiæ non adfuerint: ut sic fuerant antea pacti. Et quidem sic fuit negandum mendacium: si enim mendacium est, defendi hic ipsum nequit. [b] Adprobari autem jure nostro, quoniam in contractu, qui alium respicit conditionalem, repetita conditio intelligitur, immo expressa. Et ego tamen non puto repetitam conditionem, quia verba repetitionis posita a Jabeschitis non sunt, [c] quod requiritur. Cæterum hoc in præsentia non tracto; quod est alterius mei operis de conditionibus. [d] Gabaonitæ omnino mentiti sunt male. Et eis non parcere Israelitæ potuerunt, mentitis in præcipuo conventionis de terra sua, & fœdus sic ineuntibus cum Israelitis. [e] Nam dicere Israelitæ potuerunt, se illis tantum jurasse, quos esse crediderant, & de ipsismet acceperant Gabaonitis. [f] Et error in corpore vitiat contractum. Et iste Israelitarum vitiat tanto magis, quanto est fraude Gabaonitarum admissus. [g] Regula communis est, promissionem sub fide fallæ assertionis partis non obligare. Et contractum videri factum tanquam cum tali. [h] Nec tamen displicuisse videtur Deo (si Augustino credis) clementia Israelitarum: qui jurationem servarunt mentientibus. [i] Et Ambrosius, *Ne dum Gabaonitarum fidem argueret Josue, suam læderet: viliori tamen ministerio eos mulctavit.* Sic neque pacta eis servavit, si eos mulctavit. Et certe Josue de viliori ministerio post exponit, quasi de re nec comprehensa in priori pacto. *Quare decepistis nos? Nunc ergo maledicti estis; neque deficiet ex vobis servus*, &c. [k] *Gabaonitas ob dolos, & insidias fœderis impetrati, in aquarios, lignariosque damnavit*; sic Hieronymus. Et neque jusjurandum, [l] propter quod se adstrictos teneri censebant Israelitæ, vere (ut mihi videtur) hos tenebat, & efficaciter; [m] quoniam in promissione per dolum extorta, & facta per errorem nihil operatur jusjurandum, nec supplet defectum

a 1. Sam. 11. vbi. T. I.
b l. 19. de pe. co. l. 14. de nov. Bar. l. 2. de co. em. cum li. ei.
c Soc. ju. 3. conf. 85.
d Jos. 9.
e Bal. l. 15. de adopt.
f l. 19. de cont. em.
g Alc. 8. con. 9.
h Aug. Jos. q. 13.
i Ambr. 3. de off. 19.
k Hier. ep. 27.
l Jos. 9. Jos. 5. ant.
m Dec. conf. 532. 600. Alc. 5. 8. 135. Cepb. 642.

ctum conſenſus; [a] quicquid noſtri aliqui contrarium dicant, qui & refutantur. [b] Juramentum, quod non habet conſenſum, non habet ſpiritum. Conſenſus ubi deficit, ibi & jus naturæ. Omne falſum peccat jure naturali; ergo nihil facit jusjurandum. Ut quid autem jusjurandum præſtet auctoritatem iniquitati, & juvet decipientes? Jusjurandum intelligitur, *Rebus ſic ſtantibus*. Et ſicut nequit facere, ut de his actum non ſit, de quibus actum eſt rebus: ita nec, ut actum de his ſit, de quibus non eſt actum, utve hic non cogitatum. Quæ iidem magni illi, Baldus, & Alciatus. Atque ſic de clementia dixit fortaſſis Auguſtinus: [c] quæ multum de juſto remittere dicitur. Et vere hic dicitur, ubi dicet nemo, veniam non datam Gabaonitis aliquam propter jusjurandum; [d] atque venia debitæ pœnæ remiſſio dicitur. Ubi non aliquam benignitatem nemo viderit; [e] atque benignitas in his eſt, quæ præter jus ſunt, & legem non ſequitur; [f] ut, *nec habet clementia legem*: juſtitia autem in his eſt, quæ jure facimus. [g] Porro autem ea clementia ſervari debuit poſtea Gabaonitis: Et a Saule non ſervata ſic punita in liberis Saulis eſt. De jurejurando etiam fateor, & Judæos ſic cenſuiſſe videri, [h] & alios, ſervandum eſſe etiam ſi fuiſſet extortum male. [i] Et refert Cicero, quemadmodum tribunus plebis, M. Pomponius, quod terrore coactus juravit, id ſervandum ſibi eſſe cenſuit, atque ſervavit. Sed hæc in vinclo juris non probantur tamen. In errore omnino nullus conſenſus: in metu multus eſt. [k] Et licet in contractibus non ſubauditur clauſula, *ſi narrata ſunt vera*: intelligitur tamen ſemper reſervatus dolus. [l] Juramentum nunquam operatur præter conſenſum: hic ei limes. Ergo caſum dicimus, ut in contrahendo non liceat, hoſtem decipere mendacio. [m] Et iſti, qui in conventionibus verum non dicunt, non modo mendaces, ſed & injuſti proprie appellantur. Improbe id Ageſilaus, fallere in fœdere amicos, eſſe Deos contemnere; hoſtes autem juſtum, & laudabile. Improbe Lyſander, pueros taxillis, viros juramentis decipiendos. Et id genus alia improba, mendacia, injuſtiſſima. In prioribus duobus caſibus mendacium probavimus, improbavimus in hoc tertio. [n] Sane autem Auguſtinus, & Aquinas negant, unquam juſtum eſſe mendacium, etſi vel hoſtis per illud fallatur: qui dignus eſt falli tamen: & juſte fallitur alias. At horum definitio hæc illi innititur fundamento, quod mendacium omnino

a *Alex.* 1. *conſ.* 42. *ubi Mol.* & 5. 133.
b *Paul. l.* 19. C. *de jur. l.* 1. C. *de op. lib.* & 4. *con.* 218.
Alc. 2. *conſ.* 33.
c *Dona. Andr.*
d *Sene.* 2. *de cle.*
e *Druſ.* 4. *obſ.* 11.
f *Caſſio.* 2. *var.* 30.
g *l.* 2. *Sam.* 21.
h *l.* 2. *ubi no.* C. *quo. m. c.*
i *Cic.* 3. *de off.*
k *Alc.* 9. *con.* 31.
l *Cou. rub. de te. p.* 2.
m *Ariſt.* 4. *Eth.*
n *Aug. Joſ.* q. 11. *Aqui.* 2. 2. q. 40. *a.* 3.

omnino nullum, & nunquam admitti recte poſſit. De quo late a nobis per integram diſputationem expoſitum eſt in contrarium. Docui mendacium eſſe aliquod, quod aliquando admitti recte poſſit. Et quod ſic philoſophi omnes docent, juriſconſulti, medici, rethores, poetæ, alii: de quibus hic repetere jam non volo. Sic theologi ante Auguſtinum (a quod & hic teſtatur) pene omnes, & nonnulli etiam poſt. b Atque ſi injuſtum non eſt, fugam fingere, timorem ſimulare, profectionem oſtentare, id genus reliqua agere: cur, dictis hoſtem circumvenire, injuſtum fuerit? Nam quid intereſt, verbis, vel factis ſimules lingua, vel manibus, pedibuſve ſignifices fore, quod non futurum cognoſcis? facturum te, quod te non facturum probe tenes? Dubitat in quæſtione Auguſtinus. c At ego etiam de Ambroſio novi, & de Aquinate non ſolum in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus eſſe mendacium. Et nec ſolum verba eſſe ſigna, ſed & facta, in propoſito quoque mendacii. d Et ſic eſt quoque a Melanthone tradita mendacii definitio, *Mendacium eſt petulanter, aut cupiditate nocendi aliud loqui, ſeu geſtu ſignificare, & aliud ſentire.* Et Ariſtoteles in tractatu de veracitate, & ejus extremis ſic ait, tam actionibus, quam verbis fieri mendacium. e Et Archidamus eleganter de eo, qui canus ne videretur, tinctus capillis erat. *Quid diceret vere is, qui mendacium etiam in capite habet?* f Sic Davidis mendacium dici poterit, qui inſanum aliquando egit. g Et qui defenditur ab Ambroſio. Sed finem facio. h Et rogo hoc unum, quid illud Eliſæi ſit, quod cum rex Syriæ capere illum prophetam cuperet, & quæſiiſſet, ubi caperet: miſit, qui obſidione cingerent urbem, in qua Eliſæus erat: hic autem ad perſecutores ſuos deſcendit, orans Deum, ut eos oculorumque, mentiſque cæcitate percuteret. Et tum hæc faciente Deo, ait Eliſæus Syris, *Non eſt hæc via; neque eſt hæc civitas illa; ſequimini me: & ducam vos ad virum illum, quem quæritis*: ſic duxit eos in aliam civitatem. Quid vero hoc eſt, quod ait, *Non hæc eſt via; neque hæc eſt civitas illa*. Quam viam, quam civitatem dicit *illam*? Utique quam Syri quærebant: nam & ſic de viro illo, *quem quæritis*. At vero ea immo erat civitas illa. Sic neceſſario ſtatuitur mendacium in verbis Racabæ, i *Venerunt viri illi, ſed exierunt*. Qui enim viri? qui illi? Sane quos quærebant Jerichuntini. k *Hoc, & illud commiſi*,

a *Aug. Ep. 9. 68.*
b *Cajet. 2. de fin. cer. 13.*
c *c. 20. 22. q. 4. Aq. 2. 2. q. 110. a. 1.*
d *Mel. def. the.*
e *Stob. Ser. 62. Cl. Alc. 3. præd. 3.*
f *1. Sam. 21 & Pſ. 34.*
g *Amb. 1. de off. 43.*
h *2. reg. 6.*
i *Joſ. 2.*
k *Joſ. 7.*

respondit Hacanus: & sic intelligit, de quo rogatur. Et sic scriptura breviter notat rem. De quibus in illa disputatione plenius. Mendacium autem sic defenditur Racabæ, quod fide jam illa esset in Israelem adscita, facta hostis Jerichuntinorum esset: quibus mentiri liceret. Sic ego. [a] Sic Plato, Xenophon tradunt expresse, licere hostem mendacio fallere: [b] non solus Lucianus de Ulysse Homeri ait, laude dignos, qui mendacio hostem fefellerunt. Sic reliqui censent omnes, quos in disputatione mea nomino, admittentes aliquod aliquando mendacium. Nam si amicos ad bonum amicorum decipi mendacio volunt: etiam inimicos volunt ad malum decipi. [c] Videlicet sic redditur suum hostibus, & juste fit malum; si juste fit amicis bonum. [d] Expresse quoque id, quod nunc quærimus de hostibus, Clemens Alexandrinus, doctissimus, & sanctissimus: ut eum [e] non nemo citat recte mihi.

a P. 2. 3. de rep. 10. 4. Soc.
b Lucia. philos.
c Arist. 1. 2. Top. Pla. 1. de rep.
d Cl. Al. Str. 1.
e Clas. 7. Suet.

CAP. VI.

De veneficiis.

Sic vidimus de verborum dolis, & stratagematis, etiam & de quibusdam factorum. Est vero ille dolus facti, quum veneficiis uti volumus, qui contra hostes non probatur. [f] Contra Alexandrum usi sunt barbari. Num igitur non barbare? Hoc primum argumentum. [g] Ut sic Apollonius respondit Vespasiano, eundum principi, pŏbitatem sectanti, primum ad principes improbos: de quorum exemplis disceret primum, quid agendum non esset. Secundam rationem præbet Lucanus, ubi de Parthis: [h]

Spicula nec solo spargunt fidentia ferro
Stridula, sed multo saturantur tela veneno.
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est.

Ratio est, cur non liceat venenis uti, quia fatum in sanguine summo habent, & internecina sunt: [i] *mortem illico afferunt levi tactu*: de sagittis venenatis Plinius. Ita in bellis non internecinis justus istorum usus esse non valeat. Notemus tertiam rationem: quia sic armorum tollitur contentio, si nulla armorum fiducia sic est: & ita bellum tollitur, armorum contentio. [k]

f Cic. 2. de divin. Diod. 17. Justi. 12.
g Philostr. 5.
h Luc. 4. 8. Virg. 12.
i Plin. lib. 11. c. 52.
k Ovid 1. Po. 2. & 31. & 3. Tr. 10. & 4. 3. & 5. 7.

No-

Notemus quartam ab Ovidio, qui de Getis ſæpe,

Qui mortis ſævo geminent ut vulnere cauſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

[a] Et de Æthiopibus Claudianus,

Æthiopum geminata venenis Vulnera.

a Claud. I. Stilic.

Et de illis, qui contra Alexandrum, idem Juſtinus: *gemino mortis vulnere*, &c. Per cruciatus necari poſſunt malefici, ſed milites non juſte. [b] Etiam Plinius attingit hanc rationem, dum inquit, *ferro ipſi nocentius aliquid damus*. Sed recito illa omnia Plinii: de quibus adhuc habemus rationes duas, *Genuit venena tellus: ſed quis invenit illa præter hominem? Cum arbore exaeuant, limentque cornua elephanti, & ſaxo rhinocerotis, & utroque apri dentium ſicas: ſciantque ad nocendum animalia: quod tamen eorum tela ſua, excepto homine, venenis tingit? Nos & ſagittas ungimus, & ferro ipſi nocentius aliquid damus: nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa*. Eſt ratio quinta, quod nec animalia id faciunt. Eſt ſexta, quod injuria fiat naturæ rerum. [c] Eſt adhuc ſeptima, octava, nona ab illis Flori, *Mixtis, nefas, veneno fontibus infamem fecit victoriam: nam contra fas Deum, moreſque majorum medicaminibus impuris ſacroſancta Romana arma violavit*. Infame hoc, quod & Silius, huc tôtus, [d]

b Plin. prim. 18.

c Flor. lib. 2.

d Sil. 3. 15.

. . . . . *ſceleratæque ſuccis*
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno:

contra Afros. Nefas hoc eſt: contra fas Deum eſt. Eſt contra mores majorum, [e] Bella armis non venenis geri debere, conteſtati illi ſunt. [f] Et hoc contra Perſeum, qui egerat cum Tarentino quodam, ut Romanos veneno plures tolleret. Livius ſic, *Non juſtum modo apparare bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum, ac veneficiorum*. Et habes rationem decimam, quod non ſit hoc principum, ſed latronum: adeoque nec ſit bellicum. Habes undecimam, quod clandeſtinum idem ſit: & bellicum igitur nec ſit. [g] Et ſic Tiberius imperator, & ſenatus, non fraude, neque occultis, ſed palam, & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci, reſponderunt Chattorum principi: qui Arminii hoſtis ſæviſſimi, perfidique mortem pollicebatur, ſi patrandæ neci venenum mitteretur; atque iſta gloria æquabat ſe Tiberius priſcis imperatoribus, qui ve-

e Val. lib. 6. c. 5.

f Liv. 42.

g Tac. 2. ann.

ne-

nenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque. [a] *Fabricius*, inquit Seneca, *Pyrrhi regis aurum repulit: idem, medico Pyrrhi promittente, se venenum regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret insidias: ejusdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati sumus ingentem virum, & quod difficillimum est in bello, innocentem: qui, aliquid esse, credidit, in hostes, nefas.* [b] Claudianus notat hic aliud crimen, *Noxia pollicitum dominо miscere venena Fabricius regi nudata fraude remisit: Infesto quem Marte petit: bellumque negavit, Per famuli patrare nefas.* Quo de crimine proditionis post dico. [c] Legimus autem apud plures epistolam ad Pyrrhum; & audivimus, non esse communis exempli, fideique, pretio, præmio, dolo pugnare. Intelligimus autem de dolis his malis, & malis fraudibus, quæ tum in manibus: non de dolo sollertia, & similibus, quæ immo usitata Romanis, & justa. [d] Audi Ambrosiumque eodem de Fabricii facto, *Præclare, ut qui virtutis certamen susceperat, nollet cum fraude vincere; & victoriam sine honestate turpem pronunciabat.* Et audisti rationem duodecimam, quod nec sit communis exempli, fideique; & tertiamdecimam, quod sit contra honestatem, & contra innocentiam. [e] Ecce ipse Pyrrhus de Fabricio, *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a suo cursu, averti posset.* Refert Valerius Maximus factum senatus hoc in tractatu de justitia. [f] Cicero ait, *Magnum dedecus, & flagitium, qui cum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum.* Improbissimus porro Nicias, Pyrrhi is medicus: & contra quem medicus alius nobilior, [g] *Ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinæ legitime est obligatus:* & alius apud Apulejum, [h] *Nec meæ sectæ crederem convenire, taussas ulli præbere mortis: nec exitio, sed salutі hominum medicinam quæsitam.* Quæ potest esse ratio quartadecima ab auctoritate, & exemplo medicorum. Cur enim medicis non liceat male uti arte sua contra hostes, ut licet aliis sic uti male bonis suis? Et arma enim, & alia inventa, datave saluti hominum, non perniciei. Prosunt visu, si non usu: prosunt exercendo ingenium hominum, inquit Bernardus: & carmine incomparabili Virgilius cecinit. Est vero ratio quintadecima a philosophorum, & aliorum scriptorum sententiis, quas audivimus plures, Ciceronis, Lucani, Ovidii, Claudiani, Plinii, Flori, Si-

lii,

a *Sen. ep. 121.*

b *Cla. de be. Gild.*

c *Plut. Pyrr. Gell. lib. 3. c. 8. Val. 6. c. 5. Sal. 5. nug. 7.*

d *Ambr. 3. de off. 14.*

e *A. Vict. Fabr.*

f *Cic. 3. de off.*

g *Fern. l. 236. de V. S.*

h *Ber. cant. Ser. 5. Virg. 3. Geor.*

lii, Livii, Valerii, Taciti, Senecæ, Ambroſii, Plutarchi, Gellii. Quot? quanta nomina? Adde Romanos, ac Pyrrhum. [a] Reſpice, quod dixi in primo argumento, qui ex adverſo ſunt, qui barbari ſunt, Parthi, Æthiopes, Afri, Getæ, Caſpii, Heptacometæ, & veteres Scoti, Gallique, & Turcæ ſemper, & alii tales. [b] Si enim argumentum recti eſt, malis diſplicere: utique eſt argumentum obliqui, & iniqui, malis placere: argumentum boni, bonis placere. [c] Etiam ille epiſcopus, *Sed nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando uſurpatam, nullo unquam jure indultam lego licentiam. Non quod tyrannos de medio tollendos eſſe non credam, ſed ſine religionis, honeſtatiſque diſpendio.* Infidelium facta hæc ait iſte: quæ antea non communis fidei, [d] Adde illa Eraſmi, *Vides, quantum momenti ſit in modo, ut factum probetur? Adulterum ferro, non veneno, licet occidere: non hoſtem veneno, non malis artibus: puſquam enim non improbat malitiam lex: tela tincta veneno & in bellis interdicta. Quod lex permittit, ut fiat, id non ſtatim qualibet via efficies.* Nota autem ſextumdecimum argumentum a ſimili de adultero, ſimilibus. [e] Leges noſtræ etiam inter alia & hoc prohibent, ne quis veneno necandus judicetur. [f] Et interpretes, quod ſi licet, quem interficere, non id tamen veneno facere licet. Quorum auctoritas poteſt argumentum eſſe ſeptimumdecimum. Indicant iidem octavumdecimum, quod bellum cum eſt diſceptatio per vim, jam venenis geri non debeat: quæ a vi diſtinguuntur. [g] *ſi veneno, non per vim necatus*, ait Ulpianus: quemadmodum aliique ita diſtinguunt. [h] Scio, bellum non habere pugnas continuas, ſed aliquando raras, aliquando crebras, aliquando etiam nullas. [i] Et per dolos plura, quam per vim fieri in rebus bellicis. Sed ſcio & hoc, latere omnia in vi, & ſub vis præſidio tamen: veneficium autem vi non fidere. Idem Ulpianus inſinuat nonumdecimum argumentum, quoniam adverſum eos, qui veneno inſidiantur, fieri nihil poſſit, & non poſſit vis humana reſiſtere: adeoque tranſiliant illi bellicam rationem: quæ omnino eſt contentio hominum. Atque iſtam habet Scipio frater meus cauſſam in Annotationibus ad librum ſecundum Solymeidos Torquati Taſſi: & ſic explicat, quia bellum per ea eſſe debeat, quibus humana obſiſtere vis poſſit. Sed jam ſatis. Aut dixi multa nimium quaſi de re non dubia? Sic utinam & hic eſſet, & alibi, & omnibus, ut

a *App. 2. civ. Flo. 2. 5. Polyc. 6 7. Str. 12. Buch. 7. Alb. 10. Sui. Nic. Ma. 6. Na. Co. 16. Lang. 1. ep. 68.*
b *Sen. de vi. be.*
c *Salisb. 8. nug. 20.*
d *Eraſ. tyr. Lucia.*
e *l. 8. de pœn.*
f *Cott. homicidium.*
g *l. 1. de S. C. Sila. Val. lib. 9. c. 2.*
h *Aug. Joſ. q. 26.*
i *Polyb. lib. 9.*

a *Ceph. conſ.* 462.

ut mihi eſt. [a] At ecce ſcribunt interpretes noſtri, poſſe nos ad noſtram defenſionem uti vetitis armis: ſcilicet, non male ſit ſic uti, etſi ſit male ea habere. Aut ſi hoc ſupradictis non adverſatur, ecce tibi Baldus, qui reſpondit in hæc verba: [b] *Licitum eſt, hoſtem veneno occidere, ſicut docet Vegetius.* Etiam defendit, corrumpi aquas juſte poſſe contra hoſtes. Ecce dico ſtatim alios non contemnendæ viros auctoritatis, qui idem velint. Sed nunc reſpondeo Baldo. Et primum, quod ſi Vegetius illud ſcribit, quod ego non memini tamen, nec credo, ſic facit in ſtratagematis (opinor) recenſendis, quæ jus non faciunt: at barbarica ſunt, ut dixi. [c] His plus gaudent malis dolis, & perfidiis barbari, quam armis. Et itaque monet Polyenus, ut nihil caveamus in barbaris magis. Addit in diſputando Baldus, quod ſi effuſio ſanguinis eſt permiſſa, multo erit magis permiſſa hæc corruptio fluviorum, & ejuſmodi res alia quælibet. Quod nihil eſt. Nam & ipſe ait, per corruptiones iſtas fieri mortes innocentium magis, quam culpabilium. Et dixi, modum prohiberi. Et de modo eſt quæſtio. Sed nota etiam Baldi dictum de mortibus innocentium pro ratione vigeſima contra infectores elementorum communium. Addit Baldus in bello defenſivo, quod nihil ſit illaudabile in via defenſionis. Quod & manifeſte eſt falſum. Et defenſio enim eſſe inculpata debet. In magna neceſſitate ſi id liceat, quæres fortaſſis. [d] Quod namque licitum non eſt in lege, neceſſitas facit licitum; nam & ſabbathum euſtodiri præceptum erat: Maechabæi tamen ſine culpa pugnarunt in ſabbatho. Cæterum reſpondemus, quod noſtra neceſſitas non habet violare jura adverſariorum noſtrorum, non jura alicujus. [e] Quamquam enim creditur licitum furari in caſu neceſſitatis: id nec eſſe furtum defenditur, quia tempore neceſſitatis comeſtibilia omnia ſint communia. Hoc item belli jus eſt, in neceſſitates inſuperabiles conjicere hoſtem, a quibus ſi evadere licet per omnem modum, licebit ſane & perfidus eſſe, & perjurus, & quid non? Et ſic omne bellicum tolletur commercium, & jus omne bellicum abolebitur, [f] *Non facile adducor*, inquit Bernardus, *licitum conſentire, quod tot illicita parturit*. De cæremoniis porro illud eſt Maechabæicum: [g] quæ certe cedunt neceſſitati; & nihil ad hoſtes ſpectant. De quo & ſcribo in fine libri ſuperioris. Valeat igitur Baldus hic. Valeant venena. Valeant, immo pereant venefici bellatores. [h] Valeat etiam So-

b *Bal. 2. con.* 188.

c *Polyæ. lib.* 7.

d *c. 4. de reg. ju. & 1. Mac.* 12. *Joſ.* 24. *ant.*

e *Aug. l. 2. de le Rb. Dec. l.* 122. *de reg. ju. Soc.* 5. *de ju.* 3.

f *Ber.* 3. *de conſid.*

g *T. 1. Deut.* 26.

h *Pauſ. lib. ult. Fron.* 3. *Suida.*

Solon, cujus aut consilio aquæ Cyrrhæis infectæ. [a] Amphyctiones valeant, idem agentes. [b] Florentini valeant, qui Henricum Lucelburgensem imperatorem veneno dato peremerunt: an non? Sed Ladislaum Ungariæ, & Neapolis regem, in eos bellum moventem, procuratione amicæ illius, sustulerunt de medio. Valeant, etsi sic liberasse se metu, & Italiam tyrannide dicantur. [c] *Vinci satius est, quam malo more vincere*: dicebat Scaurus. [d] Hispani valeant, qui obsessi Neapoli a Gallis, nocte egredientes, puteos hostibus venenabant: nec satis hoc, pistores apud Gallos corruperunt, qui gypsum pani admiscerent. Etiam gnari morbi ejus, mox Gallici nuncupati, & etiam contagionis ejusdem, clam scorta, & ea formosissima de urbe miserunt, a quibus inficeretur exercitus Gallicus. Sic Fallopius, clarissimus medicus: cujus pater illic militavit. [e] Sed & Guicciardinus scribit, pestilenti contagione infectos Gallos, emissis in id studiose ab Hispano, qui jam morbo tenerentur. [f] Jovius inquit, vix videri credibile, quod de puteis veneno infectis quidam ferebant. Sane non solens ea gens ista facere. Sed incredibile sit, quia injustissimum sit. Quod per illa egit scorta: & veneficium fuit, & severissime animadvertendum. [g] Et sic Deus ipse jubet, suos hostiliter agere cum Madianitis: qui machinationibus his usi erant. Nunc de venenis quæramus, si, quod sæpe dicitur, propinari possint ad certum tempus. [h] Regulus sic sibi datum a Carthaginensibus adfirmabat. Sic sæpe timent captivi. [i] Et magni medici non extricant: de certo tamen tempore certum respondent, esse fabulas, & stultitias. Hoc & isti docent, quod negari audio a quibusdam, fieri posse, ut sagittæ, vel tela alia veneno infecta, etiam globuli sclopettorum, venenare possint. [k] De certo tempore Jovius alicubi, quod medici. Ac de venenis satis. Et de alio tamen veneficio quodam, id est, de incantationibus, & magicis artibus aliquid superest, quæ in veneficiis reponuntur. Et de his igitur idem judicium est. [l] Et a duellis rejecta sunt magica omnia. [m] Usi tamen incantationibus dicuntur Argonautæ. [n] Et inter Assyrios, atque Bactrianos, Nino, & Zoroastre ductoribus, sive alteri Zoroastre socio, non tantum ferro dimicatum, & viribus, verum etiam magicis, & Chaldæorum reconditis disciplinis. [o] Et Balakus quid a Bilhamo voluit contra Israelem? [p] Et Bulgari vincunt aliquando incantationibus, & præ-

a *Polyæ. l. 6.*
b *Egnat. Scander. 9.*
c *Sallust. Jug.*
d *Fallop. præf. lib. de mo. Gall.*
e *Guicc. lib. 19.*
f *Jov. lib. 26.*
g *Num. 25.*
h *Gell. 6. c. 4. Zona.*
i *Card. 2. contr. Merc. 2. de ve. 10. & 3. le. 4.*
k *Jov. 34.*
l *Alc. 39. de fin. cer. Langob. tit. 112.*
m *Plut. polit.*
n *Arnob. 1. adu. gen. Patr. 1. de poet.*
o *Num. 22. Jos. ult.*
p *Euseb. 1. de vi. Const. Zon. 10. 3.*

præſtigiis. Et Maxentius, & Magnentius præſtigiis uſi: [a] & incantationibus aqua elicita Romanis in Mauritania, & victoria parta: [b] & ſub Marco ſic victi Marcomanni: niſi tu iſtud ad principis pietatem refers cum Capitolino, & Claudiano, [c] *Chaldæa mago ſeu carmina ritu Armavere Deos, ſeu, quod reor, omne tonantis Obſequium Marci mores potuere mereri.* [d] Aut verius in preces (hæ non vetitæ) legionis retuleris Chriſtianæ, quæ Marco militabat: & quæ propterea fulminatrix dicta, ſicut & altera ante, quæ in ſcutis fulmen habuit. [e] Decios uſos his artibus dixerat Pyrrhus. Sed vere notat Cicero, conſilium imperatorium illud fuiſſe Deciorum. [f] Quæ illa eſt veræ religionis, atque fictitiarum notata Cardano differentia, quod fictitiis ad omne, etiam belli, commodum utebantur. [g] Etiam alii exprobrabant Romanis magica: quos tamen defendit Joſephus probe. [h] Non quoque defuerunt, qui adfirmarent, non admodum pridem carmine diro Perſarum, & notis genti cantaminibus procellam evocatam ad Turcarum exitium. [i] Et Galli obſeſſi alicubi tempeſtatem ſic procurant: & obſidentes abire ſuos coegerunt: dicebant autem, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo*. Quid plura dico? Hinc patet, has eſſe illicitas in bello artes, quod bellum, contentio hominum ſit per eas contentio dæmonum. [k] Ut ita Taſſus nobilis in bello id damnat per iſtam rationem alicubi prioris ſuæ bonæ Solymeidos. Nec obliti tamen ſumus Deorum pugnas Homericorum. Sed illæ ad magica nihil attinent: ſive capiantur allegorice, ſive literaliter. Et neque excuſari ullus poteſt, quaſi religio ſua id permittat ſibi. [l] Nam lectæ ſunt omnes contra magos. Et nec eſt religio ad excuſationem, quæ lædit, atque confundit jus hominum: ut ante dixi. Vituperat has artes Joſephus, qui negat, eis uſos Romanos: & veluti non defendendum crimen afferebant, qui ejus calumniabantur Romanos, & vituperavit ſenatus Romanus; [m] qui per hæc curari victoriam vetuit. [n] Et hoc prætextu Lotharinga, illa celebris combuſta ab Anglis. Et ego ſic tradidi ad titulum Codicis de maleficis, nec maleficiis obſiſtere licere per hæc malefica. Hic dico tamen, accuſari obſiſtentem non poſſe ab hoſte, malefico priore. [o] Firma eſt defenſio ab exemplo contra eum, qui exemplum præbuit. Eo etiam in commentario ſcripſi, fieri iſthæc a magis poſſe per dæmones. [p] Et ſic magi jactitare ſoliti

[a] *Dio lib. 60.*
[b] *Xiph. Suid.*
[c] *Cla. 6. co. Ho.*
[d] *Juſt. ap. 2. Tert. apo. Alc. Cod. de decur.*
[e] *Zon. to. 1. Cic. 3. de na. de.*
[f] *Card. 3. de ſap.*
[g] *Joſe. de vi. ſu.*
[h] *Jov. lib. 33.*
[i] *Bodi. e. dæm.*
[k] *Taſſ. Soly. 2.*
[l] *Bod. præf. dæm.*
[m] *Bod. 3. dæm.*
[n] *P. Emil. 10.*
[o] *Bal. l. 1. quo qui. ju.*
[p] *Pla. 2. de rep.*

ti contra hoſtes. Non igitur vanæ ſunt diſputationes de his, quæ fieri poſſe creduntur, & facta acculantur ſæpius.

CAP. VII.

De armis, & mentitis armis.

QUod ſi veneficiis, & veneniş non licet in bello uti, videtur nec beſtiarum venenatarum uſus licitus eſſe. [a] Et Hannibal tamen ſerpentibus uſus eſt, inque regis Eumenis caput. [b] Et itidem Atreni in prælio contra Severum imperatorem. [c] Et Ægyptii ſic appararunt aliquando contra Chriſtianos. Sed male: Aut cur his bene, armis venenatis non bene? Nam ſi dicis de armis, & ſupradictis venenis, [d] quod Seneca, veneficium ſimile eſſe mendacio: at iſta jam induci palam: [e] & quod Ulpianus, venenum ipſum per vim infuſum habere rationem armorum. Ego reſponſioni huic reſpondeo, non propterea eſſe vetita venena, quia ſimilia mendaciis ſint, ſed propter rationes plurimas, quas dixi: & quarum ſi hic ceſſet aliqua, tamen ex aliis ſuſtinebitur & hic definitio, quæ conſtituta illic eſt. Aliæ autem belluæ, equi, elephanti tum recepto more inducuntur in prælia, tum etiam ratione a venenatis diverſa. [f] Equos & natura, & exercitatione ad id factos dicit Plutarchus. [g] *Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.* Hæc duellica proles. [h] Sed & canibus uſos plures eſt traditum, & canum cohortibus, & in primis aciebus: & de canibus ducentis, qui regem Garamantum reduxerint ab exſilio, præliati adverſum perduelles: [i] & de ſingulari certamine Perinthiorum, & Pæonum, non modo viri & viri, ſed & equi & equi, & canis & canis. [k] M. Pomponius Sardos, in ſaltuoſis ſpecubus abditos, canibus accerſitis ſagacibus ex Italia, inde traxit. Quid his fieret feris latentibus? At illud quoque rationem habet, quod Cambyſes prælium commiſſurus cum Ægyptiis, qui canes, & feles in diis habebant, animalia iſthæc ſtatuit in prima acie, quæ Ægyptii ferire revererentur. Superſtitione hoſtium abuti cur non liceat, cauſſa nulla eſt. [l] Sic captum in Epiro oppidum inexpugnabile, dum illic proditor mergit in puteo, qui unus potum præbebat, canem: & præſidiarii milites, Græciæ ſuperſtitioni addicti, citius morituros, quam

a *Cor. Ne. Hanni. Juſti.* 32.
b *Herodia. lib.* 3.
c *P. Æmil.* 6. *Juſti. ann. Gen.* 2.
d *Sen.* 9. *cont.* 6.
e *l.* 1. *de S. C. Sil.*
f *Plut.* 2. *Symp.* 5.
g *Virg.* 3. *Æn.*
h *Pli.* 8. *c.* 40. *Soli.* 25.
i *Herodo.* 5.
k *Zon.* 10. 2.
l *Scander.* 5.

de contaminata ſe bibituros aqua, contenderent. [a] Sic Philippus Macedoniæ rex milites ſuos, pugnaturos contra Phocenſes, lauro coronat: quod hi templum Apollinis ſpoliaſſent: & itaque ad aſpectum frondis ejus Dei terrerentur; quod & evenit, nam terga illico obverterunt: & cæſi incruentam regi victoriam tradiderunt: immemores, quod poſt illud latrocinium ſuperaſſent Bæotios. Sed ſic religio poteſt, ut teneat etiam ſuperſtitio. [b] Quæ Cardanus. [c] At etiam tauros, leones, apros in acies inductos legimus. Et ita bellum nec a belluis minus, quam a duellibus hominibus habere aut rei, aut nominis videtur. Quare & hæc indigna viris videri valent. Hæc militiæ inſtrumenta indecora. Etiamne apta bruta ſervare belli jura in pueros, feminas, ſupplices, alia?

Sed facere id non tam vincendi ſpe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hoſtes, ipſique perirent, &c.

apud *Lucretium:* qui & commune, fœdumque malum hoc inquit. Et injuſte igitur huc adducuntur. De armis hic quæritur, quæ militaria cenſeantur. [d] Ecce etenim a principio primum manu bellare nuda, & unguibus, & ([e] unde pugnæ eſt nomen) pugnis, calcibus, & [f] quod caninum, & lege vetitum athletis) morſibus, corporumque colluctatione certabant. [g] Quicquid Tertullianus hominem vocet animal edentulum, & exungue, & excorne. Sed ecce, quia, etſi dentes habet, unguesque, non iis inſtructus eſt fortibus, ut ſunt feræ, & ad prælia aptis, mox lapidibus ([h] quos non magis in legitimis armis bellorum nunc numerant, quam ligones, vomeres, falces, & alia agri colendi inſtrumenta) ſaxis, & ramis rudibus, dein ſudibus, & his obuſtis poſtea, & acutis inſpicatis, item ſagittis. [i] Virgæ, quibus armatos legimus Græcos recentiores, alioſque apud Claudianum, ſagittæ ſunt. Sed & in exercitu Darii, Hannibalis, Catilinæ, oſtenduntur ſudes. Tandem æs repertum, [k] & duratum, & exin deventum ad ferri [l] uſum: & mille producta ſunt armorum genera, & tormentorum. [m] *Invenit artes bellicas Mavors novas, & mille formas mortis.* Quæ tamen omnia armis hujus ævi collata, ſcloppis, bombardis, ſive [n] (quod retulit Lipſius nomen) *Lombardis*, & frigere videntur, & puerilia eſſe. [o] Rude, planum, ſimplex antiquum ſæculum. Quid ad hæc noſtra aut ille dixiſſet Vulcanus, qui Deus, & armorum inventor [p] perhibebatur?

a *Juſti.* 8.
b *Card.* 3. *ſap.*
c *Lucr.* 5.
d *Sen. Hipp.* 2. *Lucr.* 5. *Hor.* 1. *Sat.* 3.
e *Caſſio* 1. *var.* 30. *Donna. Hecy.*
f *Lucia. Demonac.*
g *Tert. de pal. ubi Jun.*
h *Corn.* 4. *conſ.* 199. *Tert.* 4. *adu. Mar. Tyr. Ma. ſe.* 14.
i *Lipſ. Polior.*
k *Mag.* 3. *Miſc.* 3.
l *Cam. probl.*
m *Heſiod.* 1. *oper.*
n *Lipſ. Poliorc.* 5.
o *Bal.* 3. *con.* 285.
p *Suida.*

Ut alia tamen, atque alia excogitentur, quibus magis, magiſque terribiles hoſtibus ſimus, & noceamus: ut hoſtile odium jure naturæ vacare omni crimine, dixit ille Gallus apud Nicetam: non tamen varii juris eſt hæc varia nocendi induſtria, aut juris minus antiqui. [a] Ratio ſcilicet, aut jus gentium non finitur tempore: at neque loco. Itaque, quod his novis armis uſi primum certis in locis ſimus, non fit propterea, ut alibi uti non liceat. Quæ ratio & tempori apta. [b] Eſt juris gentium, & cenſetur, quod a principio probatum fuit. [c] Sed ratio ipſa eſt jus: quæ hic a principio nocendi hoſtibus. [d] Tempus non diſtinguit jus naturæ ab alio, ſed convenientia. Quamquam genera armorum, & telorum noſtra habeant nonnullam, & ab antiquitate auctoritatem, & a geſtis ſæculi priſci. Fuerunt ſcilicet eodem genere. Immo eadem. [e] *Conſtat enim (etſi aliter opinio eſt) pauca ævo iſto inventa: ecce quam novitia res habita, quod Stephanus Poloniæ nuper rex Moſcoviæ munimenta aliquot lignea globis candentibus immiſſis accendit, & cepit? cum barbarus ille quereretur, & fremeret* JUS ARMORUM BELLI VIOLARI, ET ARMORUM DECUS POLLUI NOVA FRAUDE, cum tamen ab uſque Alexandri ævo hæc ſolita: quæ & præludia noſtrorum fulminum. Dicam & fulmina veterum? [f] Tu ejus memineris, quod narrat Joſephus, tormenti genus, quo emiſſus lapis non modo caput avellit, ſed & avulſum excutit ad tertium uſque ſtadium. [g] De fundis, ſagittis, tragulis, pilis, quemadmodum omne armorum tegumentum perfringerent, narrat de veteribus auctoribus Juſtus Lipſius: & per ſcutum, perque loricam totum penetrarent hominem, & terræ velut clavo affigerent. Lipſius noſtris armis violentia vetera anteponit. [h] De machinis Archimedis, quæ magnitudinis immenſæ ſaxa incredibili fragore, ac celeritate ejaculabant, Plutarchus adnotavit: [i] & eas Franciſcus Petrarcha has eſſe noſtras bombardas exiſtimavit. Sed hanc tamen opinionem refutavit Hieronymus Magius in Miſcellaneis. Qui notat, nec ſatis certo conſtare tamen de tempore, quo inventa bombarda eſt: & conſtare tamen, multo ante bellum, quod geſtum a Venetis ad Foſſam Clodiam cum Genuenſibus eſt, quum & hæc machina inventa vulgo creditur, exſtitiſſe, & in uſu barbaris fuiſſe aliquibus per multa ſæcula. Non hæc machina contra jus belli eſt: quaſi locum tollat virtuti hominum: & ſit ipſa etiam

a *Con. 1. com. ju. 5. Bal. l. 13. C. de ſent.*
b *Bal. proœ. Cod.*
c *l. ult. de bo. da. da.*
d *Exg. 1. conſ. 53.*
e *Lipſ. 5. Poliorc. 5.*
f *Joſe. 3. Bel.*
g *Lipſ. 5. de m. R. ult.*
h *Plut. Marce.*
i *Mag. 1. Miſ. 1.*

a *Plut. apop. Laco.* etiam internecina. [a] Ut de catapulta Archidamus ſic exclamavit, periiſſe per eam viri virtutem. Sed nec periit tum virtus viri: & nec ſunt iſta internecina, quæ aperta vitari poſſunt, & vero vitari ſolent. Vireſcit hic viri virtus. Etiam non ab armis virtus, ſed ab animis eſt, & non arma ſunt, quæ pugnant, ſed viri. [b] *Viri ſunt, mihi credite, viri, quorum opera in pugna geruntur omnia: & decem equitum millia nihil ſunt plus, quam hominum decem millia; neque enim in prælio quiſquam equi morſu, vel calcibus unquam confectus eſt*, ait Xenophon. [c] Et de magnis Antonii navibus idem dixit Auguſtus. Quod ſi virtus ab animis eſt, illam nec perdent arma hæc noſtra, & ſæpe etiam adjuvabunt: quæ robuſtiorum vires viribus imbecillìorum exæquant verius, quam quod generaliter de ferro [d] extulit idem Xenophon. Quæ de armis, & paullo fuſius, quam oportuit: ſi non ſcripta intelliguntur huic fini, ut intelligatur, non variare jus bellicum, etſi hæc bellorum varient; & non eſſe ex factis, at ex rationibus ſtatuendum. Sed & de mentitis armis, mentitis veſtibus, mentitis inſignibus legimus ſæpe; de quibus aliquid eſt explicandum. Monui autem antea de Choræbo; & quid Virgilius hic ſenſerit. [e] Cæſar per ſtationes hoſtium Gallico habitu penetravit ad ſuos. [f] Scævola habitu Hetruſco, non ſolum ſermone, in caſtra venit hoſtium. [g] De Dario, Cimone, Gaſtrone, Pachete, Iphicrate, Thibrone, Chabria, Charidemo, Ariſtomacho, Memnone, Oronte, Artemiſia, barbaris & Græcis: & de armis, ſignis, veſtibus, velis hæc ſcripta ab aliis ſunt veteribus. [h] Saxones item habitum ſumunt Gallicum, & Burgundi inſignia, & ornatum Francorum, & ipſi Franci habitum, & inſignia hoſtium: quod aliquando miratus Anglus eſt: dum a feroci rege Franco genus hoc belli non exſpectaret. [i] Dolum vero Punicum hunc dixit Jovius, qui memorat, uſurpatum a nobili pirata Barbaroſſa. [k] Et videtur contra dolum facere Diocletiani conſtitutio, quæ vetat mutari nomina per fraudem, [l] quod ſigniſque aptant interpretes. Sed non videtur ex communi uſu ſupradicto Punicus tamen dolus, aut improbandus. Noſtræ enim leges loquuntur, cum non licet fraudare, & nocere. Quid ergo ſi iſti fraudulòſi ſic veniant in manus hoſtium, quorum ſignis abutuntur? Si transfugæ ſimulati, ſi exploratores deprehenduntur, ſi alii, qui quoquo modo dediſſe hoſti verba videntur, an quaſi milites tractentur, expedio ſtatim in titulo de transfugiis.

b *Xenoph. 3. exp. Cy.*

c *Dio. lib. 50.*

d *Xenoph. 7. Cyrop.*

e *Suet. Cæſ. 58.*

f *Diony. 5. Polyæ. 8.*

g *Polyæ. 1. 2. 3. 5. 7. 8.*

h *P. Æm. 1. 2. 5. 6. Guicc. 14. Jov. ult. Juſt. Ge. 3.*

i *Jov. 34.*

k *Cod. de mu. no.*

l *Chaſſ. 1. cat. 17. con. 38.*

CAP.

CAP. VIII.

De Scævola, Juditha, similibus.

NUnc de Scævola examino, qui Porſenam voluit interficere. Et ejus inſidias probarunt ſane Romani, [a] qui juvenem ad facinus patrandum dimiſerunt: nam ipſe Scævola facinus vocat forte, & peritum decus. [b] Alius quidam Romanus, in prælio ſimulans ſe unum ex militibus Mithridatis, prope congreſſus, tamquam dicere quidpiam cupiens, regi vulnus intulit. Atque hic plura alia ſuperſunt exempla. [c] Ecce alius antea Scævola Græcus, qui idem cum Xerxis duce fecit. [d] Ecce tibi Juditha, quam laudant theologi & plures, & magni, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, alii. [e] Ecce Auguſtus, qui omnia pollicetur Cleopatræ, ſi ea Antonium ſuſtuliſſet. Tentatæ iſtæ inſidiæ adverſus Timoleontem, adverſus Eumenem, ut legis apud Plutarchum. Tentatæ a Mithridate contra Lucullum; quod quoque Plutarchus habet in Luculli vita. [f] Tentatæ, & fere conſectæ a Labieno contra Commium Atrebatem. A Metello, a Mario tentatæ obſtinatiſſime contra Jugurtham; & a Sylla perfectæ, quod Salluſtius. [g] Ab Ætolis perfectæ contra Nabidem. Et effectæ a Perſeo contra Eumenem alium. [h] Tentatæ a Decebalo rege Daciæ contra Trajanum. [i] Procuratæ hoc ſæculo a Trivultio contra Sfortiam Mediolanenſem. [k] A Totila olim perfectæ contra præfectum præſidii Peruſini. [l] A Selymo Turcarum rege hoc ſæculo perfectæ contra regem Aladolum. [m] Et contra regem Turcarum Amurathem antea perfectæ ab homine Triballo. [n] Et a Scævola illo Beniaminita contra regem Moabitarum perfectæ. Hoc tamen tractare exemplum non oportet: quod fuit extraordinarii juris a Domino. Diximus exempla multa omnium gentium. Sed tamen non cum ipſis, non cum pluribus, quæ quis invenerit, facio definitionem [o] *Nihil enim omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus*; ut hic volo cum verbis Hieronymi dicere, quia multi iſti malique ſunt. *Et nunquam exemplum a malis ſumitur*; ut idem ſcribit. [p] Juſtam autem puto Alexandri Magni querelam de nece patris patrata, ſua procurata per Darium. *Cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita*, &c. ait Alexander. Et hanc ſollicitationem amicorum, & militum hoſtis

a *Dionyſ.* 5, *Liv.* 2. *Sex. Vict.*
b *Dio lib.* 35.
c *Plut. coll. R. & G.*
d *C. Str.* 4. *A.* 3. *de off.* 13. *H. apo. Ru. A. de te.* 228. 229.
e *Dio.* 51. *Zon.*
f *Cæſ.* 8. *Gall.*
g *Pauſ.* 8. *Liv.* 42.
h *Zon. ve.*
i *Ia. Leun. Dio* 68.
k *Jou.* 11.
l *Procop.* 3. *Goth. Jov.* 17.
m *Chalcond.* 1.
n *Jud.* 3.
o *Hier. ep.* 14. 34.
p *Arr.* 2. *Cur.* 4. 5. *Plut. Alex.*

hoſtis veneficio comparat; atque ex ea bellum internecinum cenſet. Sane veneficium Judithæque dixeris : quæ ſub ſuavis amicitiæ ſpecie quaſi per ſuavem potionem petiit Olofernis vitam. Latrocinia hæc, dixit Livius, juſta bella negavit; ut antea in ſermone de veneficiis exſcripſi. [a] Notatus perfidiæ fuit & conſul Romanus Servilius, qui Viriatum ita ſuſtulit. [b] Notati Hiſpani a Guicciardino, ([c] laudatus is quoque juriſconſultus, non modo hiſtoricus magnus, & magnus politicus) qui Bartholomæum Alvianum, ducem copiarum Venetarum, tollere ita voluerunt. *Adeo*, inquit Guicciardinus, *diſſimiles mores ſunt præſentis militiæ ab antiquis: cum etiam revelarentur hæc ab hoſte hoſti*. Hæc mihi eſt ſententia: [d] quæ & Joanni Bodino, ut conductores hi parricidarum non minus faciant turpiter, quam ipſi, qui turpitudinis ſuæ mercedem accipiunt. Alexander vere magnus, qui hoſtis, Darii illius, quem nec juſtum hoſtem, ſed veneficum percuſſorem dicebat, necem parricidialem ultus eſt immani ſupplicio. [e] *Reputans non tam hoſtem ſuum fuiſſe Darium, quam amicum ejus, a quo fuiſſet occiſus*: & quod alibi, in ſimili caſu, quod ipſe *velut ultor publicæ ſecuritatis eſſet*. [f] Valde autem demiror Thomam Morum, magnum illud Angliæ ingenium, qui immo probat hæc improbata facinora: quaſi ſic parcatur ſtragibus, & mortibus innocentum; ſoli autem puniantur auctores bellorum. Addit. Utopienſes ſuos hæc curare, & nec laudis, nec famæ curam habere. Sic profecto omnia ad utilitatem, ſed non omnia aptat ille ad juſtitiam, aut honeſtatem. Cæterum, & incertum eſt, quod de utilitate proponit. Nunquid enim non fuerit heres extincti principis? Num hujus cives tanto acrius non incumbent in bellum propter injuriam iſtam novam, inſignem, indignam? Audiemus, ſævire milites duce nec per malas artes extincto? [g] Scio, quieviſſe Perſaſque Romanoſque exſtinctis Caracalla, Juliano, incentoribus belli. Sed nec iſti ſublati ab his fraudibus hoſtium. Et cauſſæ ſpeciales tum exſtitere aliæ quietis. At tu mihi notes caſus aliquos diverſos in hac cauſa. Primum cum inſidiæ hujuſmodi parantur juncto parricidio: id eſt, cum in caput principis moventur ſubditi ejus: ſecundum, cum ipſe movet hoſtis. Atque hic conſidera rurſus duos caſus: unum, quando hoſtis agit clam, alterum, quando palam agit. Et in caſu hoc ultimo reſponde, ſi quid reprehendis. [h] Theodotus Ætolus Ptolomæi caſtra,

a *Flor. 2. Val. 9.*
b *Guicc. 12.*
c *Dec. conſ. 226. 558.*
d *Bod. ult. de rep. 2.*
e *Juſtin. 12. 18.*
f *Mor. 2. Utop.*
g *Herodia. lib. 4. Anm. 25.*
h *Polyb. 5. & 3. Mac. 1.*

ſtra, tentoriumque ingreſſus eſt palam, (ſi verius recitat Polybius, quam ſcriptor Macchabæicus, qui de clandeſtinis, nocturnis inſidiis agit) ut regem hoſtem occideret: & quos nactus eſt, obtruncavit. [a] Sic Pipinus, Caroli magni pater, trajecto Rheno, comitatus uno ſatellite, hoſtem in cubiculo interfecit. Non reprehendes forte niſi audaciam: quæ nihil ad jus hoſtium pertinet. Sive enim in acie, ſive in caſtris conficias hoſtem, nihil intereſt. [b] *Hoſtis bene interficitur ubique*, inquit Baldus. [c] Quis Leonidam reprehendit, qui cum ſuis ſexcentis caſtra hoſtium ingreſſus, ſtatim regis prætorium petiit? Quod ſi clam graſſetur aliquis, ut Scævola: ego quidem exiſtimavi, inſidias non juſtas eſſe. Sed te forſitan in contrarium movet magis auctoritas Romanæ illius civitatis, & judicium theologorum quorumdam, [d] qui Scævolam, & Scævolæ factum adprobarunt. Atque ſi ex inſidiis extra caſtra licet hoc facere, cur & in caſtris non liceat? Separandus vero a Juditha fuerit Scævola. Illa enim mulier cum aliis peccatis, de quibus accuſatur [e] ab aliis juſtiſſime, peccatum proditionis admiſit: [f] quod divinæ, naturalique legi adeo eſt inimicum, ut ſi quem poſſim interficere, eum proditorie interficere non poſſim. Et ſic cædes condemnata Sichimitarum: quam Juditha nullo judicio pro exemplo probati facinoris ob oculos ſibi proponit. Affectus Judithæ laudatur, quem tulit ad ſalutem populi: pro qua fuit & fortis ſupra ſexum, adque periculum graviſſimum: & pro qua mundum totum in forma ſua exornanda ſibi compoſuit, & mirabiles illas veneres orationis effudit. Et neque hæc tamen laudantur: neque præter affectum aliud quidquam. Etiam notandæ hic quæſtiones ſunt duæ; una de parricidis ipſis, & ſicariis: altera de auctoribus. [g] Punit Corbulo barbarum nobilem, *qui ſpecie amicitiæ dolum parabat* hujuſmodi, & necem ſibi. Atque ſi iſte dolus non probatur, minus utique probabitur alter ille, cui junctum & parricidium eſt. Sed & de auctoribus dicimus, ipſos eſſe injuſtos. [h] Et ſic leges, Hoc publici periculi eſt. Et itaque non ferendum. Nam cujus vita poterit eſſe tuta, ſi neceſſe fuerit, a domeſticorum quoque inſidiis metuere? [i] Venena vitantur, quam inſidiæ iſtæ facilius. [k] Exclamet Cicero. O tempora, o mores! ut non uni modo capiti, ſed omnium ſaluti bellum nefarium indicatur. Si namque corruptela hæc ab auctoritate tanta, quanta eſt juris gentium,

a *Bonfin. 1. Ung. 8.*
b *Bal. 5. con. 434.*
c *Juſtin. 2.*
d *Aug. 5. de civ. Sot. 5. de jn. q. 1. a. 2.*
e *Aq. 2. 2. q. 110. a. 3.*
f *Menoch. de arb. q. 90.*
g *Tac. ann. 14.*
h *l. 6. 7. de parricid.*
i *Penn. C. de his, qui ſe def.*
k *Cic. pro Dejot. & Ver. 3.*

tium, adprobetur, nihil jam eſt, quod ſalutem noſtram tueatur. Si hæc perturbare omnia volumus, & permiſcere, totam vitam periculoſam, inſidioſam, infeſtamque reddemus. Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum. Non quid hoſti accidere voluerimus, ſed, quid nobis in tali re metuendum ſit, cogitare debemus. [a] Hæc eſt naturæ clara vox, & naturalis lex, non ſinens illud ignorari, *Quod tibi non vis fieri*: hic juſtitiæ ſtatus integer, non facturæ aliis, quod ſibi fieri nolit: nec aliis negaturæ, quod ſibi fieri velit, ut egregie habet Bernardus. Quod tibi ab amico fieri non vis, amico ne feceris. Quod tibi ab hoſte fieri non vis, hoſti ne feceris. Cum id genus aliis plurimis. [b] Sic Eumenes, qui quidem his inſidiis petitus ab Antigono, diſſimulat tamen, *Nec quemquam ducum ſic velle vincere, ut ipſe in ſe exemplum peſſimum ſtatuat.* [c] Adverſus transfugam, & violatorem fidei non cenſuit inſidias degeneres Labienus, Tacitus. Et itaque degeneres inſidiæ, bellum injuſtum contra juſtum hoſtem. Venenum nec adprobant contra tyrannum: cui forte non plus debetur juris, quam prædoni: immo etiam debetur multo minus. Non adprobant nec adverſus perfidum rebellem. At vero petes hic, quod ſi licet peeuniis arma hoſtium corrumpere, & ſibi adjungere; urbes, arces, aeies abſtrahere hoſti: cur non & liceat, eapita hoſtium licitari? Licet, ſic intercipere urbem, in qua princeps hoſtium degit: adeoque prineipem ipſum ſie quoque intercipere licet. Cur igitur non & interficere? Reſpondet magnanimus vir, immo nec iſtam ferendam eſſe in bello mercaturam. [d] *Male ſe rem habere, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia* [e] Vituperatum olim Philippum; qui iſtam artem factitabat palam: & mercatorem majori ex parte, quam victorem nuncupatum Græciæ: cauponantes hos eſſe, non belligerantes: non belli potentes, ſed mercati potentes. [f] Sic notatos Spartanos: quod primi omnium ex omni antiquitatis memoria hoſtes muneribus ſollicitaſſent, & venalem feciſſent belli eventum: nam prius virtute, fortuna, Deorum præſidiis rem ſtetiſſe bellicam: & vero dolos iſtos a Diis ſuo tempore verſos in eorumdem fuiſſe perniciem: atque ſuis his artibus oppreſſos fuiſſe magiſtros. [g] Improbam Laeedæmoniorum inſtitutionem: quia omnia utilitate metiebantur. [h] Aſpirare ad victoriam virtute, non pecunia oportere: cum Elæis, cum aliis concludet vir fortis,

a *Ber. ep. 77. & 1. de conſid.*

b *Juſtin. 14.*

c *Tac. ann. 11.*

d *Cic. 2. de off.*

e *Diod. 16. Val. 7. c. 2.*

f *Pauſ. lib. 4.*

g *Plut. Alcib.*

h *Pauſ. 5. Val. 6. c. 1. Cic. Ver. 3.*

tis, qui cenſuerunt id indignum, domeſtici proditoris opera uti. Etiam illo utetur argumento juriſconſultus, non has probari poſſe in bello artes: quoniam neque in diſceptatione civili liceat, teſtes, inſtrumenta, advocatos partis adverſæ corrumpere. Sed ego putem tamen, non damnari hunc dolum. Nec enim poſtremum argumentum tenet ſemper. Et per illud hic quoque ſequeretur, nec licere, vi in bello uti, & per vim occupare milites, inſtrumenta hoſtis, quia per vim nec liceat occupare advocatos, alia partis, aut alia unquam uti vi in litibus fori. Victoria in bello quæritur, quæ non patitur, niſi res hoſtium fiant in manu, ac poteſtate. Non jam quæritur in bello, quod antea quærebatur, certum aliquod, ſed illud incertum, victoris arbitrium de pœna victi, & ejus re omni. At in foro idem petitur, quod petebatur ſemper, & ſemper debitum aſſerebatur: & ergo non licet in foro ſubvertere ea partis, quæ ventilant iſtam petitionem. Expoſui antea rationem parem, cur doli non admitterentur in judiciis. Nunc de nece. Non a veteri mea ſententia contra Scævolam diſcedo, etiam Theodotum, etiam Pipinum injuſtitiæ condemno. [a] Condemnati late in hiſtoriis ſunt ſicarii illi, qui propriumque fecere hoc infame nomen ſibi, qui hoſtem publicum occidere quomodocunque, & hoc ipſo Pipini, Scævolæ ritu, perſuaſiſſimum licitum opinabantur. De publica inimicitia fit privata, dum caput unum ſic petitur. Nam ſi in acie ſic fit, ſi in expeditionibus extra caſtra, & per occaſiones, & per pugnas etiam in caſtris: tum nihil imputabitur hoſti, qui ducem hoſtium a caligato non diſcernit. Quamquam ſcio, a regibus Lacedæmoniorum hoſtes in præliis quoque abſtinuiſſe præ reverentia. [b] *Occidiſti adulterum: quod lex permittit: ſed quia in lupanari, cædes eſt*: ait ille. Eſt ſcilicet & in loco vis? [c] *Divus Adrianus fertur, cum in venatione filium ſuum quidam necavverat, qui novercam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe; quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit.* Et hæc lex eſt: [d] & lex eſt, quæ patri, viro interdicit poteſtatem adulterum ubique interficere. Non eſt probandum illud Baldi, *Hoſtis bene interficitur ubique.* Non ſane, ubique: quemadmodum, nec omni modo; ut dixi: nec ſemper, nec omnem, ut ſum dicturus. [e] Marcellum bene interfecerit Hannibal lavantem ſe, (ſi hæc eſt verior in triplici ſententia de ejus morte) qui caſtra caſtris collata

a *Polyd. 16. Joſe. ult. ant. Emil. 5. 7. Duar. 2. Diſp. 12.*

b *Quintil. c. 10.*

c *l. 5 de parricid.*

d *l. 23. 24 de adult.*

e *Liv. lib. 27.*

lata illic habebat: cæterum ſi ab armis procul agentem, & natantem forte in Tiberi quæſiſſet cum Hannibal, & occidiſſet, ego Hannibalem non probarem: qui inermes, longe a bello, nec in bello occidendos, cæcidiſſet. In bello nihil imputabitur hoſti, qui illic quærit ducem hoſtium præcipue. [a] Sic Turnum quærit in prælio Æneas: *ſolum denſa in caligine Turnum Veſtigat luſtrans: ſolum in certamina poſcit.* [b] Sic fortiſſimus Scanderbegus præcipuum hoc habuit in præliis omnibus vocare; animareque præmiis ſuos in ducem hoſtem. [c] Sic Syrus rex præcipit ſuis, ut contra unum regem Iſraelis in acie agerent. Sic alii. Facit autem contra Theodotum, & contra Scævolam, quod ſi palam, ſi clam licet eo modo in unum graſſari caput: etiam licebit, cum Juditha, verba dando: nam verba hoſti dare licet. Etiam licebit, cum Totila, arma hoſtium corrumpendo: quia licet arma hoſtium corrumpere. Si cædem admittis, rationes, & formas nullas iſtarum potes excludere. Nunquam igitur admittenda cædes. Et hic eſt index impuri fontis, ſi rivuli ab ipſo fluunt impuri. Hic index improbæ opinionis, ſi aliæ ab ipſa deſcendunt improbæ. Improbi, qui iſta voluerunt. [d] Improbus Auguſtus primis illius temporibus: in civilibus bellis, cum nullus legibus locus, cumque arma neque parari poſſunt, neque haberi per bonas artes: [e] Ita etiam teſtamentum vivi aperiendum, recitandumque curavit Antonii: Ita alia injuſte egit. Alii improbi hic, ubi evicti improbitatis. Et quorum defendere poſſis nonnullum tamen: illum, qui in prælio inſidiatus Mithridati eſt: Labiænum, qui inſidiatus eſt perfugæ: tres illos alios Romanos, qui ſic Jugurtham malis ipſius artibus petierunt. Quid præterea? Cum Scaligero magno, [f] *Sapiens fortitudo victoriam non in morte, ſed in facto ponit*. Hoc eſt factum, ut victum ſe dedat hoſtis, & ſit victus, quemadmodum eſt & victor. Audiat is hic Turni illud, VICISTI. Ulterius ne tendat odiis. [g] Quod ſi enim *nemo trecentos Fabios victos, ſed occiſos dicit*: & Athenienſes alicubi conſumtos magis quam victos audimus; qui tamen militiæ ritu cecíderint: de his quid cenſebitur, qui a ſicariis occubuerint? [h] Nunc mihi ſuccurrit de Apoſtolis ſimile Bernardi, *Occumbebant, non ſuccumbebant*. [i] Etiam de Leonida, & ſociis, *Non victi, ſed vincendo fatigati occiderunt*.

a *Virg.* 12.
b *Scand.* 7.
c 2. *Chr.* 18.
d *Tac. ann.* 1.
e *Suet. Aug.* 16.
f *Scal.* 3. *de poet.* 20.
g *Sene.* 5. *de benef. Oroſ.* 2. c. 15. *Juſti.* 5.
h *Ber.* 3. *de conſid.*
i *Juſti.* 2.

CAP.

CAP. IX.

De Zopiro, & aliis transfugis.

AT de Zopiro, & aliis ſimilibus transfugis quid cenſemus? [a] Egregiam calliditatem, & ab omni reprehenſione procul remotam, ait Valerius, ſtratagema Zopiri. [b] Quo uſus etiam Ulyſſes antea narratur, & Sinon. [c] Uſi & alii ſunt: quorum meminere item hiſtoriæ. [d] Etiam Xenophon in id inſtruit nos, ut falſos habeamus transfugas. [e] Contra vero inquit Livius, claros magis, quam honeſtos eſſe iſtos, qui talia Zopiri admiſerint in corpus ſuum. Et dolos, ac fraudes transfugiorum artes eſſe minime Romanas. [f] Et Meſſalla itidem parum honeſtam rem ſubverebatur, quod Menodorus, proditurus Pompei claſſem, petebat, ut liceret ſibi aliquantiſper infeſtare Cæſaris claſſem. Et conceſſit tamen, aut quia neceſſitates belli hæ eſſent. Atque ſic duæ quæſtiones ſunt. Prior de ipſis transfugis: poſterior de auctoribus eorum. Et prior, forte etiam poſterior, habet duas rurſum inſpectiones: alteram de honeſto, alteram de juſto. Nos tamen hic, quaſi juriſconſulti, de juſto tantum diſceptamus. Et tamen opinamur cum Livio, non honeſtos eſſe ipſos transfugas ſimulatos: [g] ut ut laudet ſuum Darius Zopirum, ſuum Cyrus Araſpam. De jure autem transfugarum ſic videtur, non eos cenſeri veluti milites, ſi deprehenduntur veniſſe proditores, & ſpeculatores. [h] Nam ecce ſpeculatores deprehenſi Romæ præciſis manibus dimiſſi: & ſuſpendio necati ab aliis ſunt. Et hæc lex Romanis, hoſtium ſpeculatores interfici. Hæc & ratio eſt, cur nolis perſonas iſtas induere: quæ exuunt privilegiariam militis. Et jus itaque in eos juſtum eſſe videtur, qui illa perſona ſe exuunt, propter quam ad hunc tractari modum, & ignominioſe, & crudeliter, non valerent. Simulati transfugæ hoc amplius, quod dediſſe tamquam in conveniendo verba videntur: in ſuis enim hoſtis hos excipit, qui ſe ſic ad hoſtem transferunt. Quæ rationes duæ non in alio mentiente valent; non in mentiente ſigna hoſtium. Et ergo ſuum jus militum his ſervare aliis ſemper oportet. Namque aliam nec video cauſam non ſervandi. Non exuit militem, qui hoſti verba dat: ille agit militem, qui arma induit hoſtium. Sed quid? Si ſpeculatores, & mentiti transfugæ ad eum malum mo-

a *Val. 7. c. 4. Plut. apo. re.*
b *Cedr. Polye. 1.*
c *Dion. 7. Liv. 8. Polye. 7. Plu. Ant.*
d *Xenoph. Hippar.*
e *Liv. 1. 8.*
f *Appia. 5. civil.*
g *Xenop. 6. Cyrop.*
h *Liv. 22. Jov. 16. Polye. 8.*

modum tractantur juſte, an agunt ipſi, & auctores ipſorum juſte minus, & ex juſtitia belli minus? Et hæc poſterior quæſtio eſt. In qua (quod mirum videri poſſit) reſpondeo, juſte immo hos quoque agere: & qui transfugiunt, & qui transfugas mittunt, & qui ſunt ſpeculatores, & qui ſpeculatores mittunt. Sane nihil eſt, quod contra ſpeculationes cavilleris. Scrutari, ſpeculari res hoſtium & poſſumus, & debemus, & ab omni ævo ſolemus omnes, & omni modo. Quod ſi vero ſpeculatores duriter accipiuntur: ratio eſt ex majori periculo, quod ab ipſis eſt. Sunt namque hoſtes occulti, & in viſceribus: & qui ſæpe poſſint, uno aliquo detecto conſilio hoſtium, plus mali iſtis adferre, quam mille facerent peditum catervæ, equitumque cohortes. Arcendum hoc fuit periculum, propoſito inferentibus malo magno. [a] Ut ſic jura, ſic pœnæ ob cauſam iſtam, & ob alias exaſperantur. Neque omnes eodem modo tractantur hoſtes. Transfugæ ſimulati, & ſpeculatores etiam ſic tractari poſſunt, quaſi ſubditi, qui in territorio hoſtis ſunt. At de transfugis poteſt diſceptatio major videri propter id, quod dixi, injuſtum eſſe mendacium in conveniendo. Cæterum conſiderandum hic eſt, non eſſe vere conventionem transfugæ: qui inire conventionem ineptus eſt: ſubditus alienus: nec a ſubjectione eximendus per transfugium; nec efficiendus ſub alium dominum. Non ergo videtur transfuga dediſſe ſe hoſti aliter, quam ut ſi fallat, pro arbitrio ipſius hoſtis plectatur. Et ita mihi videtur, & jus eſſe in contrariis partibus. Et adfirmatur definitio, quoniam videmus, non eos pudere, qui utuntur transfugiis, & mentitis proditionibus: ſed immo jactare factum omnes, & ridere illuſum hoſtem. Jus enim eſſe dicimus recte, quod omnibus laudatur. Certe illud uſurpare poſſumus citra injuriam, in quod conſenſerint omnes palam. Si uſurpent ſolum, & pudeat; jus eſſe nequit: certe nequit abſque injuſtitia uſurpari, quod conſcientia improbat & noſtra, & aliorum. Quæ fortiſſima probatio rei eſt, juncta rationibus. Sic enim oſtenduntur rationes naturales, quæ conſonant conſcientiæ. Atque ſi hæc ita ſunt, illud magis erit, ut proditionibus contra proditiones poſſimus uti. [b] Quod reſpondit Joannes Cephalus pro eo, qui invitatus prodere Mirandulam, principi id ſuo renunciavit, atque princeps juſſit, hominem annuere, itaque trahere hoſtes ipſos in inſidias. Potuit (inquit Cephalus) & debuit ille

[a] *l. 5. C. ad l. Jul. maj.*

[b] *Ceph. conſ. 696.*

ille tentationem aperire principi, eidemque obedire præcipienti contrarium. Et potuit princeps proditionem proditione repellere, & vindicare, & vim vi. Immo (ut mihi quidem videtur) nec proditio altera eſt, per quam capitur, qui de proditione tentavit. [a] Nam proditor eſt, qui non oſtendit, quid facere velit, & etiam facit contrarium ejus, quod facere *debet*. [b] Servi corrupti actione, item & furti obligatur, qui alieno ſervo fugam ſuaſit, & furtum: & cum ſervus domino id ſignificavit, dominoque concedente utrumque peregit. Et ſervus tamen corruptus non eſt, nec furtum factum vere. Non ita obligatur hoſtis, qui corrumpere, furari, rapere res hoſtis poteſt. Sed eo uſque obligatur, ut non habeat conqueri, ſi patitur, quod facere voluit. Sic concludo. Et aliquid addo pro ipſis transfugis mentitis, & contrariis proditoribus, non eos eſſe acerbiſſime puniendos, qui rem procurant principis ſui, atque hujus mandatis obtemperant. Et videre tamen habent, ne procurent rem injuſtam, neve injuſtis mandatis obtemperent, non velint eſſe ſicarii, non venenarii. [c] Nam & ſervi in his, quæ habent atrocitatem facinoris, domino non impune parent. Ipſi tum injuſtiſſimi principes quoque, ut dixi, [d] & ut dicit Auguſtinus, *Nihil intereſſe, utrum ipſe ſcelus admittas, an alium propter te admittere velis*. Nobis illud eſt ſemper in ore, *qui per alium facit*, &c. Atque de dolo ſatis. Sequitur, ut de his videamus, quæ recto jure defenduntur.

a *Alc. 7. conſ. 19.*
b *l. 20. l. pr. C. de fur.*
c *l. 157. de reg. jur.*
d *Aug. 2. de mo. ecc. ca.*

CAP. X.

De pactis ducum.

IN toto autem bello multa quidem armis, ſed & pactis, atque conventionibus non pauca peraguntur. [e] Publicas has conventiones, dicit juriſconſultus, quæ fiunt per pacem, quoties inter ſe duces belli paciſcuntur. Et pacem ego interpretor pactionem, & (antiquum verbum, pactionem). [f] Aut Græcorum forte imitatione, qui pacem vocant, quando verbo, non vi, inter ſe utentes, controverſias ſolvunt. [g] Sane idem juriſconſultus nomen pacis a pactione deducit. [h] Quod autem aliqui, pacem exponunt inducias, mihi minus probatur. Etſi ſcio, a Varrone, & aliis, inducias pacem definiri. Neque enim inducias dixerit hic juriſcon-

e *l. 5. de pact.*
f *Plut. Num.*
g *l. 1. de pact.*
h *Rer. 4. amb. 1.*

Digitized by Google

consultus; aut alius (opinor) simpliciter pacem. Neque per solas inducias paciscuntur duces belli; nec paciscuntur inducias solas. At quicquid sibi maluerit Ulpianus in verbo isthoc, notemus quod scribit de ducibus belli, non de omnibus ducibus: non de aliquo ductore aut equitum, aut peditum. Et ergo de principibus capit Franciscus Balduinus: nam alii nec obligent publice. Sed tu cape nec de principibus tamen: cape de belli ducibus; ut verba sunt. [a] Duces autem belli sunt, quorum auspiciis bellum geritur: *nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur.* Summi igitur duces paciscuntur, non alii. Immo nec ipsi summi duces de omnibus paciscuntur. Quid enim si bellum componerent duces sibi mandatum, & pacem facerent? Utique, mandati fines egressi, nihil egisse dicentur: [b] nec si generale mandatum haberent. [c] Nam & procurator cum ejusmodi mandato ad lites constitutus, transigendi de controversia potestatem non habet. [d] Etiam & cum libera administratione constitutus ab offenso non potest pacem facere cum offendente. Et ita pactiones suorum ducum plures non habuerunt ratas Romani. De quibus ago in libris de armis Romanis. Et hæc definitio certa est. [e] Sed & in pactis induciis idem placuit nostris plerisque interpretibus juris, & eleganti Duareno: quamvis Accursius, ac Bartolus contra docuerint. Nam & hic a præscripto mandati, sicut in casu pacis receditur. [f] Et procurator non magis potest, tempus tribuere solutioni, quam transigere. [g] Et cujus est arbitrium punire delictum, is proferre pœnam nequit tamen: & cui est arbitrium in factum, non ei est tamen in diem facti. Et quæ sunt alia hujus generis. Cur alius possit inducias paciscì, pacem aliquam dare, præter principem? Is solus bellum movere potest: ergo & [h] is solus possit tollere. Ut sic dicitur, dari a solo principe posse salvoconductum, quia solus princeps suspendere condemnationem possit, & dispensare de delicto. Neque tamen hoc capias tu de induciis omnibus, sed de longioribus, nec necessariis, aut sollemnibus in bello. [i] Nam constat, inducias dari quasdam a ducibus, puta ad sepeliendos interfectos, alias hujus generis in breve tempus. [k] Atque sic etiam est traditum, mandatum de solitisque videri traditum, & omnem procuratorem & posse, & debere solitas dilationes admittere. Immo & duces inferiores, primoribus absentibus, tenore perpetuæ consuetudinis quædam solent,

a *Liv. 4.*

b *Rom. cons. 215.*
c *l. 8. C. de transf. l. 60. D. de procur.*
d *Clar. §. fi. q. 85.*

e *Decia. 3. cons. 19. Duar. l. 5. de pact.*

f *l. 122. de V. O.*
g *Bar. l. 24. loca.*

h *Decia. 3. cons. 56.*

i *Jac. de S. Ge. Jas. l. 5. de pact. Ceph. cons. 204.*
k *Castr. l. 2. de jurisd.*

lent, & poſſunt iſtius generis facere. Et in eis fidem obſtringunt publici, & ducis ſummi. Ut enim ipſe ſummus dux in his, quæ ad partem ſibi mandatam, legem principi imponit ſuo: ita minor præfectus in his, quæ ad partem ſibi mandatam ſpectant, legem duci præſcribet. [a] Et inſtitor dominum obligat etiam in ſequelis. Tenere igitur hanc diſtinctionem oportet, ut paciſci inducias, alias dux quilibet ad ea valeat, quæ ducatui cohærent ſuo, non ad alia. Et autem ducibus data videntur omnia, ſine quibus tractari bellum, aut demandata belli pars non contingit. [b] Ut de data jurisdictione, & de mandato juriſconſulti ſcribunt. [c] Quod & verum eſt, licet majora, aut diverſæ ſpeciei ea ſint, quæ præterea ſic data cenſemus. Et melioribus rationibus concluſum a Decio contra alios eſt. Et vero niſi duces omnes, vel infimi quædam poſſent, abſurdum ſequeretur, ut princeps ipſe, aut ſummus dux eſſe ubique cogeretur. [d] Quod in ſimili quæſtione Alciatus alicubi habet, item & Papinianus. [e] Præſentia principis, & ſummi ducis obligat manus aliorum valde. Sic Latinus, & Æneas firmant fœdera. Turnus nihil agit. [f] Sed & eum generale, & liberum mandatum datum duci, aut generalis eſt locumtenens, is dare poteſt inducias. Immo voluit Duarenus, confici pacem quoque poſſe a duce iſto: [g] quoniam & procurator, cui generaliter libera adminiſtratio rerum commiſſa eſt, poſſit exigere, aliud pro alio permutare. Quæ mihi ſententia non placet: quantacunque demum poteſtas ampliſſimis verbis tributa duci proponatur. Hic enim & graviora, & adverſa extrema, non modo diverſa media includerentur: & citra neceſſitatem ſuſtinendi ea, quæ expreſſe conceſſa ſunt. Diverſa poſſunt venire, ſed non contraria. Medium poteſt venire, ſed non alterum extremum. Scilicet medium particeps eſt naturæ extremi: & diverſum non diſſimile eſt penitus alteri, cui eſt diverſum. [h] Eſt vero in hac opinione mecum Joannes Bodinus: atque addit, mandato hoc ea permitti tantum, quæ quis vir optimus ageret. [i] item notat, quemadmodum neque ante Cæſaris vim Pompei hæc geſta in conficiendo bello Mithridatico rata habuit ſenatus. [k] Scio pro ſententia Duareni eſſe, & tradi, generali immo poteſtate, ac libera contineri facultatem tranſigendi. Verum non hic aptari iſtud poteſt. Nam ad inſolita, ad inaudita nullus actus extenditur, atque tale eſſet, ſi dux datus gerendo bello pacem

a *l. 5. de inſt. act.*

b *l. ult. de off. ei. l. 2. de juriſd. Cephal. conſ. 693.*

c *Alc. 6. 52. Dec. conſ. 77.*

d *l. 44. de ad. po. Alc. 5. conſ. 19.*

e *Servius Æneid. 12.*

f *Jaſ. d. l. 5. Alc. l. 7. C. de tranſ.*

g *l. 58. de procur.*

h *Bod. 3. de rep. 2.*

i *Dic. 37. 38.*

k *Alex. 6. conſ. 92.*

componat: [a] & datus uni rei faciat contrarium. Clauſulæ iſtæ generales ad rem, de qua agitur, coguntur paſſim. [b] Et ſecundum naturam actus hæc ampliſſima procuratorii ſunt intelligenda: quod pulchre Alciatus in reſponſis habet: [c] Et in lecturis illud, quod tranſigere nequit procurator, qui ad litem datus eſt, etſi cum libera: non eſt datus ad cauſſam. [d] Sed & illud verum, quod ubi res eſt præjudicii graviſſimi, ibi nec ſufficiat mandatum generale & liberum. Cum id genus plurimis. Ipſe Bodinus in eo fallitur, quod iſtis ducibus obligat contrahentes cum eis: interim dum non obligat aut duces, aut ducum dominos. [e] Immo enim neque illi contrahentes erunt obligati, donec domini ducum ratum habendo geſta ducum ſuorum ipſi obligentur: ut ſit æqualitas: quod diſerte in ſuo quodam reſponſo Decius, & in reſponſo quodam ſuo generaliter Alexander. [f] Et in ſuo docte Cephalus, quod ſi iſti, qui nondum habuerint ratum, offendantur, quod non videbitur factum contra fidem: quia ipſi offendere impune potuiſſent. [g] Et ornatiſſimus Alciatus in ſuo, bonæ fidei non convenire, ut ei pacto ſtetur, quod alteri ſit captioſum: quodve alterum obliget ſolum. [h] Et lex ſic eſt. [i] Et ergo non bene Corneus, quod ſi pax facta inter aliquos eſt, & eſt promiſſum, quod & abſentes ratificabunt, uno horum offenſo rupta pax intelligatur. Scilicet, quia non ratificaſſe culpa ſit omiſſionis minor, quam offendiſſe commiſſionis. Etiam & ſic ſoleat pro abſentibus promitti, ſed fieri tamen non ſoleat, ut ea ratihabitio habeatur: itaque ſtet illico initus contractus: & ſic eum interpretemur juxta id, quod fieri conſuevit. Quæ poſterior ratio minus eſt infirma: niſi quod juri nec probato, nec certo innititur, conſuetudini. Prior eſt ineptior. Quod igitur bellicum eſt, id duces tractent belli, non aliud. Aut ipſi ſuo malo ſoli obligabuntur. [k] Sic deditus Samnitibus Poſtumius, Corſis Clodius, Numantinis Hoſtilius. [l] Etſi enim aliqua culpa & his poſſit imputari, qui contraxerunt ſic cum ducibus: nec de eorum poteſtate quæſierunt: [m] dolus tamen, a ducibus vel tacendo commiſſus, præponderat. Quod & certius erit, ſi de eo contractum ſit, quod communiter dari ducibus ſolet: atque id datum duci non ſit tamen. [n] Creditur enim probabiliter ei, qui ex receptis paciſcitur moribus. [o] Creditur gerendi ſe pro mandatario, ſi ſit (ut loquimur) legalis perſona, integraque. [p]

Quæ

a *Bal. 4. conſ. 371.*
b *Alc. 8. conſ. 67.*
c *Alc. l. 7. C. de tranſ.*
d *Aret. Inſt. de excep.*
e *Dec. conſ. 531. Alex. 5. conſ. 40.*
f *Cepb. conſ. 690.*
g *Alc. 8. conſ. 77.*
h *l. 1. de reſc. vend.*
i *Corn. 2. conſ. 40.*
k *l ult. de legatio. Liv. 10. Val. 6. c. 3.*
l *l. 19. de reg. ju. Bal. l. 2. C. de æd. act.*
m *Alex. 3. conſ. 14. Pan. c. ult. de co. ſe. Bal. l. 1. C. de æd. act.*
n *Bal. 3. conſ. 211. Dec. 605.*
o *Fely. c. ſicut. de ſent. Alc. 5. conſ. 44. 67.*
p *Alc. l. 7. C. de tranſ. Bal. 4. conſ. 237.*

Quæ ex conſuetudine ſunt, ſive loci, ſive perſonæ mandantis, ea generali mandato continentur etiam. [a] Ipſe autem obligatus dicetur dux, & itaque dedendus, etiam ſi dixerit expreſſe, obligari ſe ipſum nolle: ne ſcilicet damnum alter inique ferat, qui credidit, juſtum adeſſe mandatum. Etiam obligatus videri ipſe poterit dominus, ſi patitur, datum ducem de his quoque conſtituere, quæ ſunt ſupra mandatum: [b] Sic namque eſt receptum jure civili, & ratio naturalis eſt ubique apta, quod ſi patior procuratorem meum mandati mei fines tranſgredi, videor ei prorogaſſe mandatum. Etiam & cum revocavi mandatum, ſi patior agere, renovaſſe mandatum videbor. Illud verum non eſt, quod quidam cenſent, ut ſi quid utiliter geſtum eſt a ducibus, ſtandum horum pactionibus ſit: [c] & inania, & puerilia, & iniqua, & fraudolenta contendunt ſimilia Poſtumianis in Gallia. Et rectius dico ego cum Poſtumio, *Non indignitas rerum ſponſionis vinculum levat: ſi quid eſt, in quo obligari populus poſſit, in omnia poteſt. Nec a me nunc quiſquam quæſierit, quid ita ſpoponderim: cum id nec conſulis jus eſſet: nec illis ſpondere pacem, quæ mei non erat arbitrii; nec pro vobis, qui nihil mandaveritis, poſſem.* [d] Poteſtas deſideratur, non ſolum cauſſa. Non hic eſt poteſtas, ubi non eſt mandatum. [e] Et actio negotiorum geſtorum tenere ſi poteſt geſtori dominum, alteri non poteſt, cum quo geſta eſt res: ne re ſua quis contra voluntatem ſuam privetur: & ergo dominus liber ad hoſtem eſt: cum quo dux fecit pactionem: quam ipſe dominus non vult probare. Nos autem de jure cum hoſte quærimus. Et hic de ducibus ſatis.

a *Alc. 8. con. 18.*

b *Alex. 5. con. 84. 6. 128. 179.*

c *Jov. lib. 11.*

d *Fely. c. 1. de ſpo.*

e *Glo. l. 9. de ne. ge.*

CAP. XI.

De pactis militum.

CÆterum quid dicemus de pactis, quæ injuſſu ducum cum milite hoſte fiunt? Capti milites promittere ſæpe coguntur, vel in perpetuum, vel ad aliquod tempus non militare poſtea contra hos, qui eos cœperunt, & ſic modo dimittunt. [f] Germanorum conſuetudinem hanc dicunt: & alii horum temporum tenent. Sed & olim tenuere uſque a temporibus Gothicis: nam ita Totila fecit jurare dimiſſos a ſe non militaturos contra ſe po-

f *Na. co. 4. 8. Guicc. 17. 18. 19. Sigo. 14 de re. ita. Platt. Gr. 12. Procop. 3. Goth.*

poſtea. Sæpe etiam captus miles paciſcitur pretium redemtionis: & fide de eo ſolvendo data, aut de redeundo ad hoſtem, dimittitur. Et magna eſt altercatio interpretum, ſi hoc pactum ſervare miles teneatur. Nam Bartolus, Baldus, Angelus, [a] Corneus; alii quidam negant, ſervari pactum oportere: quorum opinionem, judicioque adfirmatam controverſo, acriter, ac late defendit noviſſime Uldaricus Zaſius in diſputatione quadam ſua contra Ekium. Sed in contrarium conſuetudo recepta eſt: ut de hoc monuit Fulgoſius. [b] Et Decius hoc idem tenet, captis bello juſto incumbere obligationem pacti pretii ſolvendi, aut redeundi in captivitatem. Et verum non eſſe, quod a privato fides hoſti ſervanda non ſit. [c] Et ſic etiam Alciatus, & Duarenus, & alii nonnulli, quos mihi nominat Covarruvias. Is ad omnia Zaſii ſic reſponderi, ait, ſi pactio in damnum reipublicæ ſit. Et tum illam priorem obtinere opinionem. [d] Et late itidem contra Bartolum tenet doctiſſimus, & acutiſſimus Fortunius Garzias. Contra doctiſſimum Eckium (ait Covarruvias) nimis licentioſe Zaſius. [e] Et Bodinus, quod vanius, & levius dictum ſit Bartoli, quam ut refelli debeat. [f] Sequitur & Hotomanus ſententiam contra Bartolum. [g] Et nuper adprobavit conſultiſſimus Decianus. Iſte hic & Barbatium habet: immo ipſumque Bartolum, & notoriam conſuetudinem. [h] Etiam Ludovicus Romanus hac ſtat: qui itidem affert Bartolum huc: & ait, caſum pro parte hac eſſe formalem in reſponſo Servii: [i] *nam & Servius reſpondit, cum a Luſitanis tres capti eſſent, & unus ea conditione miſſus, uti pecuniam pro tribus afferret, & niſi rediſſet, ut duo pro eo quoque pecuniam darent: iſque reverti voluiſſet: & ob hanc cauſſam illi pro tertio quoque pecuniam ſolviſſent: æquum eſſe, prætorem in eum reddere judicium.* Cur autem ita? Scilicet quia ille redire tenebatur. Qui enim pro altero negotium gerit inutiliter, is actionem non habet: atque inutiliter illic geſtum eſſet negotium, ſi aut naturaliter pretium illud redemtionis debitum non fuiſſet: ut explicat Hotomanus. Quod nota: nam alioqui reſponſum loquitur de conventione inter ipſos captivos: quam valere per textum illum apertum, inquit Decianus. [k] Adde nunc, quod principeſque plures, etiam ſæculis his poſtremis rediere in captivitatem: & juſtitia laudantur. [l] Laudatiſſimus exſtat Regulus ob hanc fidem. Remiſſus ad Hannibalem ille miles captus in clade Can-

[a] *Corn. 1. conſ. 104. 165.*
[b] *Dec. l. 65. de reg. in & conſ. 691.*
[c] *Cou. 2. de ſpo. 3. §. 4.*
[d] *Fort. l. 5. de pact.*
[e] *Bod. 5. de rep. 6.*
[f] *Hot. ill. q. 7.*
[g] *Decia. 3. conſ. 102.*
[h] *Rom. con. 316.*
[i] *l. 21. 23. de ne. ge.*
[k] *Card. 2. de ſup.*
[l] *Horat. 3. od. 5. Cic. 3. de off.*

nen-

nensi. Et quod de Regulo respondet Zasius, rediisse eum sponte, non obligatum: atque laudatum esse a Cicerone factum, qui idem non feciſſet tamen: [a] id esse videtur, quod dixit insignis Cephalus de nostris doctoribus alicubi, nugas eos agere, & plerumque dicere, quod non facerent ipsi tamen. Verum non sic rationibus Ciceronis, & aliorum judicio respondetur. Stultissimus autem fuisset Regulus, vitæ prodigus absque causa. Ipsi Romani stulti, & inhumani, qui tantum virum ad eum modum pernicioſissime insanire, ad hostes redire crudeliſſimos permisissent. [b] Etiam Covarruvias cum Zasio idem habet de Regulo. Sed & de injusto carcere sic censet: [c] quod & nos cum Baldo, non esse redeundum ad rebellem: non ad latrones: nonnisi ad justum hostem: & nonnisi cum fuit captura licita. Negat Baldus alias & consuetudinem validam, & obligatorium jusjurandum. [d] Etiam Angelus, quem laudat in contrarias partes Zasius, immo in ista sententia nobiscum est: & ait, more militari reditum tribui virtuti, & contrarium proditioni. Item quia ut captivus jure gentium servus sit: ita hæc quoque captivitas, de qua agitur inter Christicolas, jure gentium dicetur introducta in bello justo: & servanda sit sic vulgo credi: & opinioni vulgi multum dandum. [e] Iterum Baldus, atque iterum, hanc esse generalem consuetudinem, & esse servandam: *cum de armis loquimur, secundum communem armorum usum loquimur*, &c. atque etiam supradicta Servii movetur auctoritate. Notes vero, quod addit Romanus, & plene adstruit, quod & minor hic obligatur sine sollemnitate, quam lex aliqua municipii in contractibus minorum desiderat: quia quod utiliter geritur a minore, id teneat absque sollemnitate statuti, & juris communis. Et relaxari jura, ubi de libertate agitur captivorum. Et cum aliena jactura non locupletandum minorem istum: qui mutuum accepisset: nam regulæ naturæ non derogare legem. Tu illud expeditius confer, quod hic nos solum intuemur jus gentium. Et qui aptus igitur militare, is & se obligare militariter aptus. [f] Sicut minor obligatur matrimonio, quod contrahere pubes potest, & personaliter, & in omnes matrimonii accessiones. Generaliter non est dubium, si conveniri possit de pretio redemtionis. [g] Ubique docet Baldus, posse: sed in præsenti quæstione, de redeundo in captivitatem, variat: & scribit aliquando, nullam hic esse obligationem: quic-

a *Ceph. con.* 429.

b *Con. 1. resol. 2.*

c *Bal. l. 7. C. de adopt.*

d *Ang. l. 4. de insam.*

e *Bal. 1. con.* 91. & 2. 343. 358.

f *Alex. 6. conſ.* 119. 3. 80. *Jaſ. l.* 24. *ſol. ma.*

g *Bal. l.* 21. *de ne. ge.*

quid

quid milites multum ſervent contrarium. Et eam eſſe Accurſii ſententiam, & omnium. Quod & falſum eſt. Concludo igitur ego, eſſe obligationem juris hic, & conſuetudinis: eſſe & magis communem opinionem. Cæterum idem Baldus, cum reſpondit, redeundum, excipit caſum, ſi propter crudelitatem hoſtis timeat mortem captivus. Quod tamen nec probavit Regulus. Et nulla valide probare ratio videtur. [a] Eſto enim, liceat etiam dolo ſanguinem (ut ait Baldus) ſuum redimere: an propterea & perjurio, & perfidia licebit? Niſi dicis, nec jura hoſtium cum his eſſe, qui jura legitima belli non ſervant: & veluti latrones ſunt. Excuſari perfidia tum poſſe prorſus videtur, cum evaſit hoſtis crudelis poſt pactum conventum: quoniam nec eſſe ille videtur, ad quem reditus promiſſus eſt. Sed ille mihi certus eſt caſus, ſi promiſſum quid eſt contra publicum, aut militare jus, ut non ſit ſervanda promiſſio: quod duo illi Hiſpani doctiſſimi, Garziae, & Covarruvias tradunt. Et in his promiſſis ego illud repoſuerim, cum quis pollicitus eſt, non militare pro principe ſuo, aut patria. Nam etſi teneat pactum de revertendo ad hoſtes: per quod quis ſe eripit principi, & patriæ hoc tamen eſt, quoniam & jam ereptus per captivitatem eſt. [b] Et, ut quid non ſit, etiam contra publicam utilitatem concedi poteſt: ſed, ut quid ſit, & partibus ſuis non fungatur, concedi non poteſt: nam contra naturam id eſt. Quid hic (dicet patria) mecum es? illuc revertere, ubi teneris. At quid dicimus, ſi obſidibus datis abeat quis, nec præſtat quod eſt pollicitus, an ſit violatæ reus fidei? Bodinus non putat, quia obſides ſint fidejuſſores. Et quia captivi ſi vinculis, aut carceribus retinentur, juraverint autem non fugere, nulla obſtringantur pœna perjurii, ſi aufugiunt. Atque huc etiam illud trahit, dolum bonum eſſe in hoſtem. [c] Sed hoc liquido male. [d] Etiam *cum acceſſerit aliquid rei judicatæ, non eſt a re judicata receſſum*. Et neque par eſt ratio fidejuſſorum pignorumve, & obſidum. Namque fidejuſſores, & pignora idem præſtant, quod reus præſtare tenetur. [e] At conſtat, cum qui obſides habere voluit, non ideo minus fidem promiſſoris ſequi, cum præſtari obſides pro majori ſoleant cautione. Et id etiam de pignoribus, & fidejuſſoribus dici poteſt. Et Bodinus ad fidem dixerit neutrum bene. De vinculis, & carceribus putem bene: quoniam fides non habita, fidem non obligat. Quæ & de pactis militum ſatis. Et-

enim

a *l. 9. de bo. eo. qui an. ſe. ſi. mo. ca.*

b *l. 4. de pa. do. l. 2. de ju. dot. l. 1. ſol. ma.*

c *Duar. c. 1. de dol. Dec. l. 65. de reg. ju.*

d *l. 4. de re jud.*

e *Ale. de ſi. ce. 44.*

enim exiſtimo apertiſſimum, cogi hos milites oportere per principem; & judicem ſuum ad conventa præſtanda hoſti. Fruſtra enim eſſent obligati, niſi eſſet, per quem cogerentur ſolvere obligationem. Et jam hoſti jus non redderetur, quod debetur. Hoc jus ſic declararunt Romani, & adfirmarunt pluries. Dedendos cenſuerunt Fabios, per ſolam gratiam plebis non deditos. Remiſerunt ad Hannibalem perjuros captivos, an ignominia tantum notarunt non repetitos? Nam petenti jus redditur. Clæliam reddiderunt, alios poſtea. [a] Quid enim ſi captivus fugeret facta pace, pactis induciis? Reddenda fuiſſet Clælia, obſes quilibet reddendus fuerit, etiam ſi per alios, qui manſerunt, adſervari pacta optime potuiſſent. [b] Ut id in pignoratis ſervis reſponſum eſt, & uno illorum ſubrepto: *non enim reſpicere debemus pignus, quod ſubreptum non eſt, ſed id quod ſubtractum eſt.* Tertium illum, qui reverti noluit ad Luſitanos, ſic reddi oportuit. [c] Et ſic igitur vetare princeps reditum ſuo poteſt multo minus.

a *l. 19. de capt.*

b *l. 14. de fur.*

c *Pat. Put. du.*

CAP. XII.

De induciis.

SEd jam de pactis induciis videamus. [d] *Induciæ ſunt, cum in breve, & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant*, ut definit juriſconſultus. Dixit autem de brevi tempore: [e] quod & Varro in libro Humanarum: qui erat de bello, & pace, *induciæ*, *pax caſtrenſis paucorum dierum*: [f] & alii grammatici. Et Gellius quoque de horis tradit, non ſolum de diebus, intra quas induciæ ſtatuantur. Adjecit autem juriſconſultus de præſenti tempore, quia ſic ſolent induciæ pro neceſſitate, & occaſione aliqua præſenti conſtitui. Neque igitur pacis nomen uſurpavit, quod nec proprie convenit induciis. [g] Etſi Virgilius eas dicat pacem ſequeſtram: [h] & ex noſtris quidam pacem velint: [i] & ille in Decreto, *Pax vero illa, quam treguam dicimus*, &c. [k] Sequeſtra pax hæc eſt, non pax ſimpliciter. Et ea eſt, quæ ſic interponitur, ut non tollat, ſed differat bellum. Pax eſt temporalis, & media: ut ſequeſter medius eſt inter duos altercantes, apud quem aliquid ad tempus ſeponitur. Sic pax iſta media inter præteritum bellum, & futurum. Pax aliud eſt, ut dico ſequenti

d *l. 19. de capt.*

e *Gell. 1. c. 25.*

f *Dona. Eun. Sc. 1. Iſid. lib. 18.*

g *Virg. 11. Æn.*

h *Io. And. Spec. de tre. & pa.*

i *c. 25. 24. q. 3.*

k *Donat. Serv. Don. 11.*

quenti libro. [a] Et pacis appellatione non venire treguas, alibi notatum eſt. Et quæ tamen in longum tempus ſunt inducíæ, pax quædam vere videtur. [b] Centum annorum datæ Vejentibus, mox quadraginta, mox viginti, & pax domi eſſe dicitur. Et Cæritibus data pax, & inducíæ in centum annos pactæ ſimul memorantur, Hetruſcis datæ in triginta annos, mox in quadraginta; & pax itidem parta dicitur. Sed tamen inducíæ nunquam pax ſunt vere; & ſic, *de fœdere negatum*, *inducíæ in biennium datæ Samnitibus*; & Hetrulci *pacem*, *fœdusque petierunt*, *inducias in triginta annos impetrarunt*; & rurſum de iiſdem, *pax negata*, *inducíæ biennii datæ*. [c] Has inducias decem, triginta, quinquaginta annorum audimus ſane dici pacem, ſed & inducias. [d] Et Plutarchus, quod non ſuſtinuit Pelopidas pacem inire cum tyranno, ſed inducias dedit. Adde interpretes noſtros. [e] Inquit Ancharanus, tria eſſe tempora, pacis, treguæ, belli. [f] Ait Corneus, treguam bello, quam paci ſimiliorem. [g] Docet Caſtrenſis, pacem non eſſe treguam; nam pacem in perpetuum, treguam in tempus eſſe. Quod ergo de pace dicunt alii, id juriſconſultus expreſſit melius per iſta, *ne invicem ſe laceſſant*; & verbis propriis, non figuratis, [h] quemadmodum Varro, *Inducíæ ſunt belli feriæ*. At ex iſta jam abeamus grammatica diſceptatiuncula. Quæ tamen otioſa nobis non fuit. [i] Etenim ex his videtur, non bene reſpondiſſe Alciatum, ad principem Tridentinum ſpectaſſe caſtrum, quod Veneti paullo ante finem belli occuparunt: cum in capitulis pacis cautum eſſet, ut ſic quiſque poſſideret, uti poſſidebat ante proximum præſens bellum. Erat autem cœptum bellum ante annos plures, & princeps caſtrum a principio occupaverat. Pro quo Alciatus reſpondit, quoniam poſt caſtrum occupatum a principe fuerint inducíæ variis temporibus, & aliquanto etiam decem menſium; itaque proximum præſens bellum fuerit iſtud, quo a Venetis occupatum caſtrum fuit. Male reſpondiſſe mihi videtur. Quia unum, & idem videtur bellum, etſi ceſſatum a præliis per inducias ſæpe ſit: & itaque proximum, ac præſens. Et verum id mihi videtur, etiam cum nullum fuiſſet aliud bellum: [k] nam *proximi appellatione etiam ille continetur*, *qui ſolus eſt*. Quamquam iſto caſu teneri forte poſſit rectius ſententia Alciati. Nam bellum hic intelligi videretur pro præliis, [l] ut ſic quidam loqui ſolent. [m] Et de *proximo* quod dicitur, non ex pro-

[a] *c. 11. de Jud. Jac. de S. Geor. l. 5. de pact.*
[b] *Liv. l. 1. 2. 4. 7. 9. 10.*
[c] *Plut. Pelop.*
[d] *Juſtin. 3. 2. 7.*
[e] *Anch. conſ. 88.*
[f] *Corn. 3. conſ. 167.*
[g] *Caſtr. l. 5. de pact.*
[h] *Alc. 9. par. 21.*
[i] *Alc. 5. reſp. 17.*
[k] *l. 155. de V. S. J. 2. de ſtu. & leg.*
[l] *Cur. 5. & Eraſ. no.*
[m] *Eug. conſ. C.*

prie-

prietate eſt. At ſi alia fuere bella, omnino nequit teneri Alciatus. [a] Non eſt omiſſum, quod eſt intermiſſum: & non eſt novum, quod eſt renovatum, ſive vetus repetitum. Induciæ nec interrumpunt bellum, ſed ſuſtinent, & morantur: non interrumpunt hoſtilitatem, ſed actus hoſtiles. Et cum non ſit denunciandum bellum, his finitis induciis, quî dici aliud nunc bellum poteſt? An etiam putas, dimitti captos oportere, aut quid fieri aliud, de quo eſſet cautum faciendo, cum eſſet finitum bellum, ſi induciæ interceſſerint? Haud dubie conſuluit Alciatus male: &, quod legis in ipſo reſponſo, ad gratiam potius, quam ad veritatem. [b] Nam in dubio dixiſſet, rem redire melius ad antiquum: & hanc eſſe juvandam interpretationem, quæ facit illic rem eſſe, ubi erat. At ab induciis non abeo longius. Dico autem defendi Alciati opinionem poſſe in induciis multo longioribus: quæ naturam pacis imitantur: & itaque a belli ducibus non tribuuntur. Nec mihi quiſquam reſpondeat, dies paucos, certe breve, & præſens tempus dici induciarum: quod de menſibus decem non bene intelligatur. [c] Immo enim breve tempus intelligitur etiam de pluribus menſibus: ut a me expoſitum quoque eſt in primo libro de legitimis temporibus. [d] Et ipſe Alciatus in reſponſis pluribus ſequitur: & ait, ſequi omnes Huguitionis veteris interpretis opinionem, incontinenti factum videri etiam quod factum eſt poſt decennium, ſic ſuadente qualitate rei, & perſonæ ut cum princeps ſpoliatus interim arma, auxilia paravit pro re perdita recuperanda. Et docet illic Alciatus, quod eſt contra aliud fundamentum hujus Tridentini, ſpolium ultimum non purgandum, quod ſic factum eſſet incontinenti. Et hactenus, quæ ſint induciæ. Quæri ſolet poſtea, unde principium ſtatuatur induciarum. An dies pactarum numeretur in numero dierum, ad quos illæ initæ ſunt. Et vulgaris illa eſt quæſtio interpretibus juris, an dies termini computetur in termino: & an tempus per momenta numeretur. [e] De quibus, & in propoſito noſtro tractat Corneus in reſponſis. Concludit autem, currere tempora regulariter per momenta: & ſic eſſe interpretum opinionem receptiorem. Et in induciis ſic eſſe: quia nec de mente contrahentium videatur, ut eo die induciarum pactarum ſe offendere poſſent. Movetur tamen Corneus in ſuo caſu, valde, quod ita vitabatur crimen, & pœna ejus, qui offendit induciis

a *Ang. l. ſi unus de pact.*

b *l. ſi unus, §. pactus de pa. Tir. de re. co. §. fi. num. 79.*

c *Gui. Pa. de præſu.*

d *Alc. 1. con. 50.*

e *Corn. 4. conſ. 279.*

durantibus, ſi a momento pactarum non cucurriſſet conſtitutum pactum tempus. Nam & ſic diſtingui ſolere, ut dies termini a momento computetur, ſi favorabile ſic ſit. [a] Quod ego tamen non ex poſtfacto cum Corneo, ſed ex ipſo contractu a principio judicarim. [b] Sunt porro induciæ omnes juris ſanctioris, quam eſt pax: ut ita plures interpretes noſtri tradunt. [c] Et itaque qui hoſtem offendit durantibus induciis, non tamen ipſe offendi poſſit. Scilicet ſunt induciæ in diem: atque adeo die elapſa poſſit ſe vindicare offenſus: at pax perpetua eſt. Item induciæ cenſeantur habere naturam contractuum nominatorum: cujus hæc eſt vis, ut ſi pars eos non ſervat, non propterea & pars altera contrafacere etiam poſſit. Et in id exempla quædam afferuntur. [d] Sic ego video, Æneam clamantem, *iſtum jam fœdus*: & neque vulneratum, neque per ardentiſſimum prælium velle a pactis abire. [e] Sic porro Thomas Morus facit, Utopienſes ſuos non violare inſidias, vel laceſſitos. Cæterum nec vera ratio poteſt differentiæ dici inter pacem, & inducias. Et opinio altera, quæ inter iſta non diſtinguit, nunc eſt receptior, & uſu ſervata. [f] Sic Philippus Corneus viſus aliquando tenere cum priore opinione. [g] & aliquando notat pro eadem conſuetudinem: verum dicit ſimul, putare ſe contrarium de jure: [h] id alibi adfirmate definit, ut non aliud ſit in induciis, quam eſt in pace: & ait de conſuetudine, non ſe credere, quod contrarium obſervetur. [i] Hanc opinionem tenent quoque Imola, Panormitanus, Bartolus, Alexander in reſponſis, & Decius, & alii. [k] Et de receptiori hac ſententia, quæ etiam uſu ſervetur, late docet doctiſſimus præceptor meus M. Antonius Eugenius gemino reſponſo. Et vero non dubito, quin hæc verior opinio ſit: [l] quicquid contrarium quoque Camera imperialis probaſſe dicitur. [m] Nam frangenti fidem cur ſervetur fides? Hic eſt ille contractus *Facio, ut facias*. Ceſſo a bello, ut tu ceſſes quoque. Et non eſt differenda vindicta, ſi eſt nunc commodum vindicare. Momenta in bello valent maxime. Etiamne expectabitur in longioribus induciis? Sed neque in horariis defendi ſententia poteſt prior. Et omnino non obtinet, ſi inducias violanti reſiſtitur incontinenti, & in ipſo congreſſu: tum enim defenſio eſt: quæ ſemper permiſſa eſt; Ut non juſtitia tenuerit Æneam, alios, de quibus afferunt, ſed alia cauſſa, cur contra violatores induciarum & ipſi ferrum non ſtrin-

xe-

a *l. 7. quod vi, aut clam.*
b *Bal. 5. de rep. ult.*
c *Alex. l. 26. ſo. ma. Alc. l. 21. C. de pact. Juſ. 1. conſ. 170.*
d *Virg. Æn. 12.*
e *Mor. 2. Utop.*
f *Corn. 2. conſ. 218.*
g *Corn. 1. conſ. 175.*
h *Corn. 2. conſ. 42.*
i *Alex. 7. conſ. 47. Dec. 531. ubi Mol.*
k *Eug. 1. conſ. 82. 50.*
l *Mynſ. 4. obſ. 7.*
m *Dec. conſ. 265.*

xerint. Ergo non ſervanti inducias, ei nec inducia ſerventur. Et ex nova cauſſa diſcedi a pacto inducíarum impune: etiam ex levi: immo etiam ex injuſta, etiam & cum dubium, an nova cauſsa interceſſerit. Quæ de aliis præceptor meus. Quamquam ego de levi, dubia, injuſta non ſum aſſenſus, nec aſſentior, niſi poſt factum ad excuſationem forte peccantis, & ad vitandam pœnam, quæ eſſet conventa. [a] Si addita pœna eſt violanti inducias, ea non petetur quidem ab altera parte, quæ & ipſa nunc faciat contra inducias: nam ſi qui violat prior, is ſolvit pactam pœnam, jam ſervaſſe inducias intelligitur quantum pertinet ad effectum juris. [b] Et iniquum eſt, ex crimine agere, & ex pacto. Cum id genus aliis, quæ ſcribuntur a noſtris. [c] Pœna juris hic eſt infamia. Hanc conventa ſoluta non tollit, non contrafactio ſequens alterius partis.

a *Alex. 2. conſ. 32. Dec. 380.*

b *Bal. l. 2. C. de ſur.*

c *De in. & pa. vi. 5. feud. Cuja.*

CAP. XIII.

Quando contra inducias fiat.

AT quando contra inducias factum dicemus? Hic utique ut in reliquis conventionibus omnibus, videndum eſt, quid pactis comprehenſum eſt: &, ſi quid contra conventa patratum eſt. Bonæ autem fidei cum dixerimus iſtas conventiones: [d] comprehenſa in ipſis non ea, ſola exiſtimabimus, quæ verbis ſunt expreſſa, ſed & alia, quæ æquitas, & boni viri arbitrium intelligere præterea, & introducere in contractibus bonæ fidei ſolet. Quorum latiſſimus tractatus eſt: neque huc accerſendus. [e] Ea etiam veniunt in iſtis contractibus, quæ nec cogitata ſunt. Si nobiſcum ſit hoſtis, & ultra condictum inducíarum tempus per caſum fortuitum detineatur, puta per valetudinem, vel per adverſam maris tempeſtatem, quominus abnaviget: ei ego jus tribuendum inducíarum exiſtimo: tantum abeſt, ut probem Bartolum, [f] qui ſcribit, interfici eum poſſe. Neque enim is contra inducias fecit, per quem nec ſtetit, quominus ex conventu abiret. [g] Er ita definit lex, quæ ait, quod ſi ante idus Martias ex inſula abeundum ſit, & abitum ſit: ſed reditum in eam ſit tempeſtate adverſa, aut etiam factum per hanc ſit, ne abiretur: non videri contra legem factum, quæ abire jubet. [h] Et ſatisfacit

d *Cuja. 17. obſ. 37.*

e *Bal. l. 4. C. de oblig.*

f *Bar. l. 15. de publica.*

g *l. 15. 16. de publica.*

h *l. 14. de re mil.*

cit, qui ex portu ſolvit ante eum diem: etiam & qui incœpit ſolvere. [a] Ut ſic declaratur lex communiter. Atque quod ait Bartolus, eam legem non aptam eſſe hic: quia induciæ cenſendæ nec ſint ex natura contractuum bonæ fidei: certe fallitur. [b] Nam contractus omnes cum principibus, aut rebuſpublicis bonæ fidei eſſe, mihi probatiſſimum eſt: adeoque & cum ducibus belli, qui illorum vicem gerunt, & imaginem. [c] Et quorum eadem eſt vis conſcientiæ, quæ & principum. Atque ita quidem convenit rudi huic, & ſimplici, & magnanimo negotio bellico; convenit ſimplicitati juris gentium, [d] ad quod induciarum contractus fœderis pacis pertinet. [e] Miror & Baldum ſcribere, contractum fœderis eſſe ſtricti juris: & nihil venire in ipſo, niſi quod actum eſt expreſſe. Nec enim quod in contractu verborum dicitur, id ad iſtum contractum pertinet. Illud autem nihil hic valet, quod diſceptant, non eſſe ullos bonæ fidei contractus, qui eo loco in libris legum nominati non ſunt; [f] ubi contractus recenſentur bonæ fidei. [g] Quoniam non de jure publico, aut quod extra eſt civitatem, docent illi libri, ſed de privato. [h] Atque induciæ ſunt juris publici. [i] Sed & plura ſunt juris ejuſdem cum his, quæ bonæ fidei nominantur. Et quæ ex bono ſunt, & æquo tractanda. [k] In quo genere plerumque ſub auctoritate juris ſcientiæ pernicioſe erratur. [l] Atque iſtam definitionem contra Bartolum ſic temperes tamen, ut qui potuit non incidere in caſum, & ſe arctavit, is immo indignus ſit, cui exceptio caſus patrocinetur. Non eſt ſic arctandus, ut poſſit ei dici, cur non multo ante profectus eſſet, quam dies promiſſionis veniret: neque iterum permittendum ei, ſi quid ſit, quod ei imputetur, tempeſtatem cauſſari. Nihil ei imputatur, qui punctualiter (ſic loquuntur) aſſumit initium temporis, quod ſatis eſſet. Eſt quod ei imputetur, quando contigit caſus, de quo debuit cogitare. Idem Bartolus docet, pactum initum de perſonis non lædendis non violari, ſi prædæ abigantur, lædantur res. Quod rationem habet. Sed tamen ſi pro defenſione rerum accurritur, non violata dicentur pacta, etiam ſi perſonæ prædatorum offendantur: etenim offenſio hæc eſt defenſio. Et credendum non eſt, quod quiſquam promiſerit, paſſurum ſe, res ſuas rapi, rumpi. [m] Et Macchabæi nec dum aſſecuti erant ſententiam legis: qui putabant, hoc licere in ſabbatho facere, occidentibus reſiſtere, & pro corpore pugna-

a *Alex.* 3. *conſ.* 7.

b *Dec. conſ.* 4. 187. *Hot.* 15. *Decia.* 3. *conſ.* 11. *Cbaſſ. ca. p.* 5. *co.* 24.

c *Rim. ju. conſ.* 42.

d *c.* 9. *diſt.* 1.

e *Bal. l.* 32. *de legi.*

f §. *actiones*, *Inſt. de act.*

g §. *ult. Inſt. de juſt.*

h *l.* 5. *de pact.*

i *Hot. de præſ. ver.*

k *l.* 91. *de V. O.*

l *l.* 137. *de V. O. l.* 2. *ubi Ang. Juſ. ſi. quis caut.*

m *Joſe.* 1. 14. *antiq.*

gnare: at reſiſtere in aliis non licere, ſi ageres ſtruant hoſtes, ſimilia agant. [a] Immo enim & ovem erigere licet in ſabbatho, & res alias tueri. [b] *Macchabæi* (ut proverbiali ſchemate noſtris dicitur) *ſtudio contradicendi perdiderunt ſanum intellectum*. Si item conventum de vi ſolum eſt, dubium non eſt, violari conventionem a violenta rerum deprædatione. [c] Quoniam vis & in res eſt. Vis autem intercedere dicetur, ſi hominibus coactis bona rapta eſſe dicentur. Qua de re, præter noſtros juriſconſultos, videndus Cicero in oratione pro Cecinna. Et intelligetur, vim quoque fieri abſque armis, & abſque hominum coactione, aut numero. Si privato conſilio milites aliqui faciunt contra pactum induciarum, dedendi ſunt proculdubio: emendandum & factum erit. Sed inducias non tolli putem, non fieri publicum reum, ut de privatorum factis alibi explicavi. [d] Si ad hoſtes propius acceditur tempore induciarum, lædi inducias creditum eſt. Et poteſt illa eſſe ratio, quod aliquid mali eſt propter vicinum malum. Et, hoc admovere hoſtibus tempore induciarum, nefas. Et nec licet tamen aut ſecedere longius: quia nec ſubtrahi hoſti quidquam oportet. [e] Itaque mea ſententia Philippus peccaverit, qui, petitis induciis ad cælos ſepeliendos, ſe recepit in loca tutiora. Et is peccaverit tanto certius, quanto ad rem certam inducias impetravit. [f] Sic & peccavit Mompenſerius apertius, qui pactus arcem dedere, ſi intra menſem auxilia non adeſſent, diſcedit illico munita arce. [g] Dictum quoque eſt, contra jus eſſe induciarum, accipere tum milites in obſeſſum oppidum. Nam hoc eſt gerentis bellum, non quieſcentis, non feriantis: ut Varro locutus eſt. [h] Eſt vulgariſque clauſula, *Nil novari ſecuritate pendente*. [i] Scanderbegus objurgat Turcas acriter, qui itidem pacti deditionem, niſi auxilia intra tot dies haberent, interim reficiunt mœnia, & munimenta. Et deſiſtunt ſic, ubi clam nequeunt Scanderbego operari. [k] Tiſſaphernes nec ſervaſſe inducias dicitur, qui ad bellum interea ſe compararet. Et id itaque Ageſilaus eodem tempore non feciſſe. Sed non id ſane cum receptis moribus convenit. Et propterea caveri expreſſe ſolet, & eſt ſatius, quid non fieri induciarum tempore debeat. [l] Et quod eſt ſolitum tamen, pro cauto habendum eſt. [m] Quid jam de Beliſario dicimus: qui deſerta a Gothis oppida quædam tempore induciarum occupat ipſe? Reſpondebat autem, per inducias prohibitum non videri occupare

a *Matth.* 12.
b *Jaſ. l. omnes populi.*
c *Vi bo. ra. & l. 7. de vi priv.*
d *Comm. lib. 1.*
e *Liv.* 31.
f *Guicc.* 2.
g *Com. Pii* 2. *lib.* 5.
h *Vital. tract. clauſ.*
i *Scanderb.* 8.
k *Cor. Nep. Ageſil.*
l *l. fi. cur. per.*
m *Procop.* 2. *Goth.*

re

re derelicta. Et respondit bene, si derelicta. Cæterum ut res pro derelicto habita statim desinit nostra esse, & fit occupantis: non tamen qui de loco recessit, aut necessitate quid abjecit, id habet pro derelicto. [b] Retinet is possessionem civilem: in qua turbari non debet per tempus induciarum. Gothi autem ob penuriam necessariorum oppida illa deseruerunt. Sic ergo est distinguendum, ut si deserta sint oppida tempore induciarum, ea Belisarius occupareque potuerit eo tempore: scilicet ea tum deserere Gothi non potuerunt, ut ita servarent sibi sine molestia. Quod si sic deseruerint ante inducias pactas, non ea potuit Belisarius induciarum tempore occupare. [c] Illa Anglorum mera cavillatio, qui eo tempore arcem quamdam, pecunia corrumpentes præfectum ejus, cœperunt: & Franco expostulanti responderunt, rerum coemtione religionem induciarum non violari. Et nugatur Polydorus. Si Franci idem tentarunt contra Anglos, ut isti sic quoque respondent Franco, commercii huic defuisse felicitatem, sui sibi consilii eventum datum, parem utrinque exstitisse conatum: defendi quodam modo Angli possunt, quia Franci eos lacessierint. Et primi igitur fregerint inducias quoque. [d] Verbum *lacesso*, quo jurisconsultus in definitione induciarum utitur, ducunt quidem a *lacero*, ut vehementiam lacerationis significet. Verum ego non sic accipio verbum, sed ex vulgi sensu, veluti *provoco*. Et itaque lacessierint Anglos Franci. [e] Ex eo porro definioque, quod factum a rege item Franco est, edixit, se habiturum pro hoste, si quis induciarum tempore ad suos accessisset, vel gratia commercii. Ajo, fieri potuisse juste, non modo quod timeretur corruptio, sed etiam quod pactum induciarum habet tantum, ne se lacessant. Etsi etiam soleat & hoc fieri, ut tuto utrinque commeent.

a *l.* 1. 7. *pro de rel. l.* 8. *de l. Rho.*

b *l.* 3. 6. 7. 8. 25. *de ad. po. l.* 1. *de vi. ar. l.* 15. *de da. inf.*

c P. Æm. 6. Polyd. 19.

d Scal. de li. L. 123.

e P. Æm. 10.

CAP. XIV.

De salvoconductu.

[f] Species autem induciarum est salvoconductus, quem ita dicunt imperiti: at alii fidem publicam, sive securitatis promissionem, [g] quod securitatis verbum est quoque ineptum aliis. Nos ista nihil moramur, cum intelligimus, quid id est, de quo sermonem

f Alc. 8. pa-re. 2.

g Bud. l. 1. ad le. Ju. ma.

monem habemus. Salvoconductus igitur, quia fides eſt publica, utique non concedetur niſi a publica perſona, quæ eſt ſummus dux: niſi in caſibus forte ſumus, in quibus alioſque duces minores poſſe obſtringere fidem publicam, expoſitum eſt. [a] Sicut ſcilicet dicitur, ſummum ſolum principem regulariter poſſe concedere ſalvoconductum, & poſſe idem tamen, qui a principe habet poteſtatem explicandi arduа; & maxime ad tempus, & maxime ad breve tempus, & maxime cum cauſſæ cognitione. Sic nunc dicimus, & antea diximus. Item voluimus & ſalvoconductum, & ſimilia ex bono intelligi, & ex æquo, & abſque cavillationibus, & large. [b] Itaque datum ſi ſit, ut tuto veniatur, etiam cautum intelligetur, ut habeatur tuto. Et cui cautum eſt, ut ire poſſit, is utique mittere etiam poterit: & qui ſibi ſociiſque habet cautum, is ſocios, perſonas odioſaſque, uti Judæos, habere poteſt: [c] Etſi de Judæis relevandis cogitatum non videatur. [d] Sed & de Judæis, aliisque, & hæc tradidit omnia, poſtque alios Decius in reſponſis. Notes autem & ad ſingula aliquid. Ecce idem Decius notat, ſic accipi conventam hanc fidem in dubio, ut ille ſenſit, qui dedit: [e] nam & ita capi reſcripta ſoleant; reſcripta, privilegia, beneficia, ſtatuta: nam ejus ſit interpretari, cujus eſt concedere. Ego vero reſcriptis non facio conventiones iſtas pares, at contractibus; & itaque putem, hic eam aptari quæſtionem oportere, contra quem ex contrahentibus interpretatio fieri debeat in re dubia; [f] & cum docuerint juriſconſulti, pactionem obſcuram, vel ambiguam eis nocere, in quorum fuit poteſtate, legem apertius conſcribere, etiam & horum ſucceſſori: quid dubitamus, immo contra ipſum, qui fidem dedit, in re dubia legem fidei interpretari? Non hanc legem facimus parem reſcriptis, & quoniam res cum pari hic geritur, non cum parente; & quoniam ſic fores occluduntur malitiis, quas hoſtis ſtruere alias poſſet in ſalvoconductu ad hoſtem illaqueandum. Cogita. Et hoc ad primum. Ad ſecundum notes, quod etſi veriſſimum ſit, ut, qui dedit tutum ad ſe acceſſum, ille etiam receſſum dediſſe tutum cenſeatur. Si qui tamen dedit hoſti alicunde abitum, non tamen dediſſe eodem reditum videbitur. Nam ut tutus receſſus debeatur venienti ad ſe hoſti, ea ratio eſt, quod alias non ad aliam rem eſſet hoſti conſultum, quam ut certus in poteſtatem hoſtis veniret; quod petitum ridicule foret, & per ſtultitiam. Et hæc ratio abſurdi in aliis caſibus extra

iſtum

a *Decia. 3. conſ. 96.*

b *Bar. l. 2. C. de nau. Alex. 2. conſ. 46. 5. 75. 6. 99. Alc. 4. 14.*

c *Alc. 7. conſ. 11. 25.*

d *Dec. 600. 51.*

e *Bal. l. 1. de conſt. pri.*

f *l. 39. de pact. l. 21. de co. em. Alc. 8. conſ. 33.*

iſtum non obtinet. Sed eſt quæſitum, an noceri poſſit huic, qui ſalvoconductum habet, extra territorium dantis ſolvoconductum, aut in proprio ipſius territorio, cui datus ſalvoconductus eſt? [a] Si in eundo noceatur, fieri contra ſalvoconductum, reſponſum eſt. [b] Etiam extra territorium ſuum ſervare concedentem oportere ſalvoconductum: etiam in territorio ſuo ejus, cui datur ſalvoconductus. Nam, inquiunt, præambulum venit, ne fruſtra ſit, quod ſequitur. Et perſonæ ego video datam ſecuritatem, quæ antea poterat ubique offendi, adeoque nunc nullibi offendi poteſt. Nunc ad tertium. Et videndum hoc exiſtimo, an verbum intervenerit, quo immo illa negata miſſio videatur: [c] ut eſt perſonaliſſimum verbum *ipſe*. Et ut ſic in mandatu jurisdictionis tradunt de præciſa hujus pronominis poteſtate. E tamen ratio mandatæ jurisdictionis non ſatis hic apta videbitur: quæ eſt, quoniam electa perſonæ induſtria creditur, ſic mandata jurisdictione *ipſe cognoſcat*. At vero in ſalvoconductu, qui datur hoſti, ſolum hoſtis commodum quæri ſæpius intelligitur. Dico, ſæpius: nam commodo utriuſque partis, etiam & ſolius dantis eſſe ſalvoconductus poteſt. [d] Sic dicimus, (quod videretur etiam non eſſe) & depoſitum ſolius depoſitarii cauſſa eſſe, & commodatum ſolius commodantis, non modo cauſſa utriuſque contrahentis, aut ſolius deponentis, & commodatarii ſolius. Quid ſi obſeſſus petierit, intro ad ſe aliquem ire, qui audiat, quomodo velit dedere obſeſſus ſe? Sed certius eſt ſemper, non diſcedere a proprietate verborum. Præſertim ſi intelligi poſſet, cur itio concederetur facilius, quam miſſio. [e] Et diſpoſitio de perſona ad perſonam produci non ſoleat. Igitur & per contrarium ſi datum ſit mittere, non licebit ire: ipſe, cui ſcriptus ſalvoconductus eſt, ire non poterit. Nam quid ſi is eſt dux hoſtium? [f] Reſpondent, quod ſalvoconductus non includit majorem: nec eſſe veriſimile, ut pro magno eſſet conceſſus viro. Atque poteſt res eſſe pluſquam manifeſta. Quid enim ſi obſeſſus is ſit magnus hoſtis: cui fit mittendi poteſtas? Stultum eſt credere, factam eidem poteſtatem abeundi. Et in contrario quid ſi is eſſet magnus hoſtis, cui fit eundi poteſtas, & qui non eat tamen, at mittat? [g] Dic aliquem Archimedem Syracuſis. Dic illum præfectum præſidii Peruſini, quem unum morari urbis capturam, Totila exiſtimavit. Dic illum Rangorum, qui dedere ſe Vaſtio noluit ad arbitrium, ſed pactus conditio-

a *Ang. conſ. 363.*

b *Jaſ. l. 5. de pact.*

c *Ceph. conſ. 43. not. ad l. 1. de off. ei.*

d *l. 5. comm. not. ad l. 23. de reg. ju.*

e *Alc. 2. conſ. 25.*

f *Alex. 6. conſ. 235. ubi Natta. & 7. 11.*

g *Jou. 26. Procop. 3. Goth.*

ditiones: & quo ad Vaſtium veniente deditio facta ad arbitrium eſt ab aliis, qui remanſerant. Dic alios ſimiles. [a] Sed ejus tamen improba, & inepta cavillatio fuit, qui pactus, ut præſidium abiret, præfectum retinet. [b] Scilicet ut familiæ appellatione & ipſe princeps familiæ continetur; & in ordine ſenatus numeratur princeps; & prælatus eſt in eccleſia; & ipſe Papa in corpore eccleſiæ ſuæ; & rector in ſcholarium numero; & caput civium in civibus, ut ſic etiam Plinius civem Trajanum dicit ſæpe; & omne caput in corpore: ita & præfectus eſt in præſidio, & præſidii appellatione continetur. Eminentia officii nomen mutat, non profeſſionem, aut conditionem. Nec putem propterea, ſalvoconductum, datum militibus, protegere duces poſſe. [c] Etſi rector nomine ſcholarium veniat: & Imperator dicat milites commilitones. Nam in Italia (illic loquitur definitio) rector ſcholaris eſt. Non mirum igitur, ſi nomine ſcholarium venit. Doctor iſto nomine non venit: & itaque nec doctor veniet nomine militum: quamquam imperatores per blandimenta appellent milites commilitones: per blandimenta, inquam, [d] nam audis Africanum, *me imperatorem eſſe, non militem*. [e] Audis Plutarchum, non eſſe ducis, obire militis mortem. Et id genus plurima. Aliter milites, aliter duces nominamus. [f] *Aliter filii, aliter nepotes appellantur*: ait Ulpianus. [g] In generali ſermone non veniunt perſonæ magnæ, & notabiles, & dignæ, de quibus ſpecialiter exprimatur. [h] Non venit imperator nomine militum in materia ſtricta. Videlicet nec proprie appellatur miles. Nam propria ſignificatio ubique obtinet. [i] Non epiſcopus venit, aut alius prælatus, nomine clericorum. Venit nomine præſidii dux, & ſimili collectivo, & mixti corporis; nam pars ejus corporis eſt, & quidem præcipua: quam iniquiſſimum, non intelligere in corpore. Sed militum appellatio ad ſingulares refertur. Et hæc veriſſima ſunt. Dubito aliquantulum de illo, ſi ſolos gregarios milites oporteat iſta appellatione intelligere, an etiam ſubduces. Sed ſi ſcriptus duci eſt ſalvoconductus, ut mittere milites poſſit, ego in eam partem magis inclino, ut ſubduces veniant. Etenim milites iſtique ſunt duci: & quaſi medium genus contineri poſſunt appellatione militum, ut genus illud continetur appellatione ſpeciei. Velim tamen & diſtinguí, quod ſi ſic petenti duci ſcriptus eſt ſalvoconductus, immo ſubduces non intelligantur: quia aper-

a *Nat. Com.* 8.

b *l. 196. de V. S. l. 8. C. de dign. Panor. de conc. Baſ. Bod. de repr. Felyn. add. Decr. Rom. conſ. 498. 523. Decian. 3. conſ. 19. Alc. 5. conſ. 163. Bal. l. 4. de off. præconſ. Caſa. Suet. 2.*

c *Bal. 1. conſt. Dig.*

d *Front. 4. ſtra. 7.*

e *Plut. Sert.*

f *l. 6. de teſt. tu.*

g *Aſſi. dec. 265. Anch. conſ. 296. Ro. 498. Jaſ. 4. conſ. 117.*

h *Alc. 7. conſ. 19.*

i *Panor. rubr. de vi. & bo. cl. Ruy. 2. conſ. 143. Cepb. 39.*

tius habuit dux petere, & quia de ſubdùcibus, perſonis digniori-
bus; exprimendum erat: ut dixi. Sic & diſtinguere ſolent no-
ſtri paſſim, an quid conceſſum ſit ad partis petitionem, aut con-
cedentis ſponte: ut illic multo ſtrictior fiat interpretatio. Audi-
ſti, in ſtricta materia imperatorem nomine militum non venire,
a *Rom. conſ.* 259. *ubi Mandoſ. Alc. de V. S. lib. 3.* non prælatum nomine clericorum: [a] In favorabilibus, non in
odioſis, venit abbas nomine monachi. Et odioſa ſtrictæ ſunt in-
terpretationis. Inque odioſis, ut nec in aliis ſtrictis, ſimplicium
nomine veniunt, quæ junctа ſunt, non igitur, qui & monachus
eſt, & abbas. Cui abbati ſit etiam aliquid amplius deferendum
propter exceſſum dignitatis. Ut hæc reſpondit Ludovicus Ro-
manus, & probant alii. Etiam hic quæri poteſt generaliter, qui
b *DD. l. centurio. de vulg.* milites cenſeantur. [b] Qua de re tractant noſtri late. Illa vana
eſt quæſtio, ſi noſtri milites ex jure cenſendi ſunt, quod de mi-
litibus ſcriptum exſtat, & definitio communis multo vanior, quæ
c *Bal. 1. conſ.* 248. negat. Neque ſic dicò, quia milites & noſtri iſti appellentur, [c]
cui reſponſioni reſpondit in quæſtione Baldus, quod conſuetudo
loquendi non tribuit jura tamen. Sed ſic dico, quia milites iſti
nunc milites ſint, quemadmodum illi habebantur: etſi ſollemni-
tas variet extrinſeca. Quæſtio variare poteſt, & definitio, ſi ho-
ſtes reſpicimus, & ſi reſpicimus ſuos. Et, ne diſcedamus a pro-
d *De bo. po. ex t. m.* poſito longius, [d] *omnes omnino, qui ejus ſunt conditionis, ut ju-
re militari teſtari non poſſint, ſi in boſticolo deprehendantur, &
illic decedent: quomodo velint, & quomodo poſſint, teſtabuntur:
cum eadem pericula experiantur.* At ad hoſtes non ita erit: non
e *Bal. l. 16. C. de te. mi.* ita nunc ad hoſtes, qui militibus ſcribunt ſalvoconductum. [e] In
matricula miles ſcriptus eſſe debet: non eſt ſatis, eſſe in matri-
cula, niſi ſit vere miles, ut notarius, aliquis alius officialis,
qui in matricula ſit, nec miles ſit: nam & miles eſſe etiam
poteſt, etſi eſt officialis. Etiam eſt miles, qui nec miles appel-
lari tamen conſuevit, *in claſſibus omnes remiges, nautæ milites
ſunt, item vigiles: & nulla dubitatio eſt:* & mihi apertiſſima
f *Bayſ. de re. nau.* videtur ratio. [f] Socios navales vocat illos Livius. Et quidem
ſunt ſocii gerendo bello, non officiales belligerantium: & itaque
milites ſunt. De remigibus tamen, illic in pœnam datis, ſer-
g *Macch. de ar. mi.* vilve, [g] quibus Romani hominibus uſi illic nunquam ſunt, non
idem dico. Atque de tertio hactenus. Ad quartum autem De-
cii hoc primum, videri eos tantum ſocios, qui electi in profe-

ctio-

ctionem fuerunt, inque eam aſſumti a principio. [a] Et ſic Angelus. Neque id nego tamen, quod ſcribo in ſecundo De legationibus, ut ſint comites etiam poſt adſciti vel in itinere: at excludo cum Angelo, qui adjunxerunt ſe obiter. [b] Etſi his etiam ſociis itineris auxilio eſſe adverſus vim valeamus. Item ſic conſtituo, ut non tamen fugitivis, & transfugis, & aliis ejuſcemodi cautum intelligatur per ſalvoconductum, qui ſubditi ejus ſint, qui concedit ſalvoconductum. Non enim induciæ, aut aliud belli jus pertinet ad iſtos. [c] Transfugæ vivi exuruntur per leges noſtras, aut certe ſuſpenduntur furcæ. [d] Marcellus cæſos virgis peremit: itidem Cato cenſorius. [e] Alii in edendis ſpectaculis objecerunt beſtiis: alii elephantis proterendos ſubjecerunt: alii affixerunt cruci, alii aliter tractarunt nec digne, quaſi nec hoſtes. Sic neque piratis, aut latronibus cautum intelligetur, quos nunc ſocios hoſtis acceperit, ſecum duxerit. Forte nec tuebitur ſalvoconductus illum hoſtem, qui non de ea eſt gente, ad quam miſſus ſalvoconductus eſt. Ecce, Hiſpano nunc hoſtis eſt Gallus, Anglus, Batavus, Turca. Hiſpanus ſi det ſalvoconductum Gallo, & ſociis: atque ducat Gallus ſocios ſecum Anglos, Batavos, Turcas: his forte non patrocinabitur ſalvoconductus. [f] Nam ut verbo *aliorum* ſimiles expreſſis ſignificantur: ita & ſociorum videtur. Contra Anglos hoc amplius, quod odioſiores Hiſpano ſint ob multas cauſsas: & hoc amplius contra Batavos, quod rebelles Hiſpano exiſtimantur. Et itaque licet ſunt hoſtes omnes, quædam tamen qualitates unis adjunctæ facient, ne de iſtis actum videatur. At quid ſi de ſociis non ſit expreſſum? [g] Datus Titio ſalvoconductus, etiam uxori prodeſſe, & rebus traditur. [h] Stare & familiæ neceſſariæ: quæ pro viri qualitate cenſentur. [i] Uſus mulieri relictus communicatur viro, & contra. [k] Etiamque in perſonaliſſimis actibus inſeparabiles perſonæ includuntur. [l] Et ubicunque mentio de ſe, de ſua perſona, ſimilis, non tantum propria intelligitur perſona, ſed & neceſſaria omnis alia, uxoris, filiorum, ſimilium. Sic eſt. [m] *Cum precario quis rogat, ut ipſi in fundo morari liceat, ſupervacuum eſt adiici*, IPSI, SUISQUE &c. Quod ſi etiam rebus ſtat: quid eſt, quod Florianus ex facto reſpondit, [n] bonis ſociorum non datam ſecuritatem, ſi ſic dictum ſit, ut tuto quis cum ſuis ſociis abeat, & cum ſuis bonis? An ſociis eundum eſt nudis? Si homini datus ſalvocondu-

a *Ang. l. 1. ad l. Ju. m.*

b *Gl. l. 15. de injur.*

c *l. 8. 38. de pœ.*

d *Plut. Mar. Cat.*

e *Liv. 24. 26. 30. 51. Val. 2. c. 7. Front. 4. c. 2. App. Hiſp.*

f *Dec. l. 3. C. de ſe. ju.*

g *Bal. 5. conſ. 413.*

h *Ang. l. 8. de inof. teſt.*

i *l. 4. de uſ. & ha. l. 6. de ſer. leg.*

k *Bal. l. 3. de conſt. pri.*

l *Jaſ. l. ut vim.*

m *l. pe. de preca.*

n *Flor. l. 4. ſi ſe. vi.*

ctus, etiam rebus competit hominis; cur non rebus competat ſociorum, datus & ſociis? Recte, ut mihi videtur, verbum illud *cum ſuis bonis*, ſic capietur, cum ſuis quiſque bonis. Quid ſi hoc de bonis expreſſum non eſſet? Bonis utique ſociorumque maneret ſalvoconductus per ſupradicta. Et igitur expreſſa ad majorem cautionem, operabontur tantam imminutionem? Non ſequor Florianum: & ille tamen auctor non mihi ad manus nunc eſt: quem expendam. De tempore quoque quæritur, ſi finit ſalvoconductus prima profectione. [a] Et concluditur indubitanter, finiri: niſi aut verba ſignificent aliter, aut mens: puta, ſi ad certum tempus datus ſit. [b] Si datus eſt ad beneplacitum, non ante finitus intelligetur, quam revocatur, aut de officio abit, vel de vita is, qui dedit: ut noſtri volunt interpretes. Quæ de ſalvoconductu ſatis.

a *Alex. 4. conſ. 16. ubi Alol. Tiraq. l. boves.*

b *Not. ad l. 46. de V. O. c. 5. de reſcr. 6.*

CAP. XV.

De permutationibus, & liberationibus.

SAlvoconductus autem, & induciæ cum ob res alias, tum ſæpe etiam dantur, & accipiuntur ob permutationes, & liberationes, quæ captivorum deſiderantur. Et de his igitur, quod unum mihi in tractatu conventionum ſupereſt, videamus. [c] Ecce, quod ex facto quæſitum eſt, an dimiſſus ita, ut pro ipſo alter redderetur, liber ſit, nec teneatur ad hoſtes reverti, ſi alter moreretur, dum ejus redditio procuraretur fideliter. Negabat dimiſſus Balioneus, ſe reverſurum: neque eſt reverſus. Ego in ea quæſtione (ut audis) dolum omnem ſepono, & negligentiam. [d] Nam hoc certiſſimum, quod qui ſervum debet, ſi venenum illi dedit, & ſic tradidit, de dolo tenetur. Item qui fundum debet, & in tradendo impoſuit ſervitutem, vel ædificia diruit, aut arbores exſcidit. [e] Item qui hominem debet, non liberatur offerendo vulneratum. Reſtitutumque non videtur, quamdiu aliquid deeſt. Et itaque qui reddere captivum tenetur, ſi venenum ei dedit, & reddidit: de dolo tenebitur. [f] Et qui tenetur, arcem, oppidum reddere, ſi ejus propugnacula diruit, aliter corrupit, aut in cervicibus, aut prope extruxit munimenta adverſa: de dolo tenebitur: & non reddidiſſe intelligetur. Item ſi quis perfunctorie, & ne-

c *Guicc. lib. 22.*

d *l. 7. de dol.*

e *l. 33. de ſolut. l. 2. de ſtip. præt.*

f *Bar. l. 3. de act. em. Rom. conſ. 52. c. ult. de reſt. ſpo. Bal. l. 9. C. de pact. in em. & ve.*

negligenter ſit verſatus in altero liberando: etiam is de ſua hac culpa tenebitur. Caſum quoque Balionei cenſeo extra controverſiam, ſi ſic res ſe habuit, ut narratur. [a] nempe a Balioneo illum alterum ductum uſque eo ad hoſtes, quo ſine caduceatore poterat Balioneus proficiſci: illic autem caduceatorem dum expectat a duce, qui ſe dimiſerat, & cui reddi alter debebatur; major dux irritam vult permutationem; ille autem reddendus captivus moritur. Nam quid hic dici contra Balioneum poteſt? [b] *Receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt conditionem impleri, quominus impleatur, perinde haberi, ac ſi impleta fuiſſet: quod ad libertatem, & alia perducitur.* [c] Sic. reſque pro tradita ducitur. Et liberatio ſequitur ab omni periculo. Et id genus alia. Et in omni prope diſpoſitione: quod latiſſime tracto in ſecundo libro de conditionibus. Ubi & id declaro, quod pono hic, quemadmodum non ſtetiſſe videatur per eum, qui obtulit implere: præſertim libertatis favore: & in id, ut liberatio a periculo contingat, & mora. [d] Etiam qui moratus eſt, ſi poſtea non fuiſſet in mora, ejus extinguitur mora prior. At ubi mora non eſt, & perit homo debitus, nihil exigitur a debitore. Etiam qui debet hominem, ſi eum ipſe occidit deprehenſum in facinore, liberatus quoque eſt. Sed hæc ſexcenta ſunt. De poteſtate autem ducis inferioris curare hic nihil Balioneus habuit: qui vel a caligato hoſtium, etiam clam dimiſſus redire non habuit. [e] *Nihil intereſt, quomodo captivus reverſus eſt: utrum dimiſſus, an vi, vel fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit.* Et de poteſtate tamen ducis etiam ſic cape in propoſito: [f] quod etſi diſtinctiones ſunt in jure, quæ cui quærantur capta hoſtium: ea tamen eſt quæſtio diverſa: & hic de adminiſtratione exquiritur. [g] Scribit autem Paullus Caſtrenſis, judicem, qui adminiſtrationem habet bonorum reipublicæ, poſſe de eis polliceri, dare merentibus, puta capientibus reum aliquem. [h] Reſpondent alii, rectores civitatum, & prælatos eccleſiarum donare mobilia moderate. [i] Et in modicis etiam procurator præjudicat domino. [k] Atque Alciatus tradidit de his expreſſe ducibus, quod & donant militibus, & benemeritis de præda, & captis. Et itaque nec exigi ſcrupuloſam ab illis rationem, qui donareque poſſunt. [l] Etiam territoria ob publicam utilitatem benemeritis potuiſſe Magnum Capitaneum in regno Neapolitano donare, & Jaſon docuit, & Al-

a *Jov.* 12.

b *l.* 23. *de reg. ju.*

c *l.* 15. *de ju. do. l.* 39. *de ſolut.*

d *l.* 91. 96. *de V. O.*

e *l.* 26. *de capt.*

f *Don.* 4. *com.* 21. *Ale.* 7 *conſ.* 5.

g *Caſtr. l.* 1. *de juſt.*

h *Ceph. conſ.* 39.

i *Alc. l.* 7. *C. de tranſ.*

k *Alc.* 7. *conſ.* 5.

l *Alc.* 8. *conſ.* 3.

Alciatus ſequutus eſt. Quicquid liberalitatem illam odiſſet valde avarus, & ſuſpicax rex Ferdinandus: ſorte nec Romani adprobaſſent olim. Et videtur ergo poſſe dux permutare, aliter tractare capta. Etenim ſunt hæc bellica, capere, recuperare, & bello, & partibus per omnem modum conſulere. At pergo quærere, ſi alter remittendus moritur interim dum alter dimiſſus eſt. [a] In emtione periculum rei venditæ ſtatim atque de pretio convenerit, ad emtorem pertinet: tametſi adhuc ea res tradita illi non ſit. Et ergo in redemtione captivi ſic dicendum fuerit. [b] In permutatione quoque, ſi quid tibi dedi, ut aliud mihi dares, periculo meo id erit, quod a te dari oportet: ut ait lex. [c] Cæterum quia & lex ait, quod ſi tibi dedi pecuniam, ut mihi Stichum dares, & mortuus eſt Stichus, repetere me poſſe, quod ideo tibi dedi, ut mihi Stichum dares: videndum eſt, an pugnent leges, [d] quod exiſtimat Hotomanus. At immo leges non pugnant. [e] Loquitur prior in actione ex permutatione, altera in condictione cauſsa data: ut plures explicarunt. Eſt permutationis nomen generale: quo utimur in omnibus ſpeciebus ejus. Cæterum non idem jus redditur, cum generaliter agitur ex permutatione, & cum intentatur actio ſpecialis alia ex eodem contractu. Per illam generalem & pactum petitur, & intereſſe ſi non præſtatur pactum, per condictionem cauſſa data repetitur ſolum, quod erat præſtitum. Et hoc reddi utique juſtum. Balioneus tamen non fuit reddendus, quia nec per eum ſtetit, quominus alterum redderet, at reddidiſſe videtur. Et ergo ſic limitanda eſt hic concluſio, ut ſi non præſtetur ab altera, quod debetur, parte, tum non ſit præſtiti ab altera repetitio, cum per illam eſt factum, ut debitum præſtaretur: quemadmodum & per Balioneum factum eſt. Eſt in negotio Balionei ille articulus, *Facio, ut facias*: [f] quod diſerte tradit Decianus ſuo quodam reſponſo reddito inter Andelottum, & Sanſeverinum. Itaque nec locus in eo condictioni ob cauſſam, [g] quæ nec obtinet, niſi in articulo, *Do, ut des*, ut Alciatus cenſet. Decianus autem ibi notat hoc quoque, in his captivorum conventionibus bonam tantum ſpectari fidem, non juris apices: non quæri, ſi ſint contractus nominati, vel innominati, pœnam exigi pactam abſque ſtipulatione: & id genus alia, de quibus & generaliter dixi antea. [h] Et dico adhuc, quod ſic in jure canonico, & in canonico foro contractus omnes ſunt bonæ

a *l. 8. de pe. & com. re. ve.*
b *l. 5. de præ. ver.*
c *l. ult. de con. ea. da.*
d *Hot. de re. perm.*
e *Bar. d. l. ult. Jaſ. l. 22. de V. O. Alc. 8. conſ. 68. Ceph. 10. Cuja. Afr. tr. 8. l. quæ fundum. & C. de re. pe. & tra. 8. lib. 2. feu.*
f *Decia. 3. conſ. 102.*
g *Alc. 8. conſ. 32. 68.*
h *Jaſ. 5. quadrupli. 5. actionum. de act.*

næ fidei: ubi æquitas quædam craſſior, & naturalis obtinet. [a] Quemadmodum cum militibus jus gentium, æquitas naturalis omiſſo rigore juris civilis ſervatur, ut communis eſt ſententia interpretum. [b] Scilicet arma ſcire militem decet, non jura. Et jura ignorare, militibus licet. [c] Mos militaris ſic eſt: habent pro ridiculo, & fabula ambages judiciarias. Nunc videamus de pretio liberationis. Et non oportet, hoc eſſe immoderatum. [d] Vituperatus Palatinus eſt, qui a Wittembergico, aliiſque ſic exegit, quantum potuit. [e] Alexander regie, *Me non mercatorem meminiſſe, ſed regem; captivos, ſi placet reddi, dono dabimus honeſtius, quam pretio remittemus*. [f] Pyrrhi vox eadem celebris, atque eadem Æneæ afficta a ſummo poeta. Neque hæc tamen in diſputationibus iſtis exigimus. Alciatus hoc nobis dicit, famoſiſſimos eos eſſe, qui non contenti moderato pretio, captivum caſtigationibus illiberalibus male habent, ut, quantam maximam pecuniam conflare is poſſit, exigant: plerumque & aliis hominem certo pretio vendant, mox carius diſtracturis. Immo enim oportere, tractare captivum, qui manet liber, pro ſua conditione indulgenter. Atque ad magiſtros militum pertinere, eorum coercere duritiam, qui contra jus gentium affligunt hominem captum. Et de hominibus negotia exercere, non militis, ſed mangonis eſſe. Hæc Alciatus graviter, & erudite. [g] Videlicet incivilis omnis cuſtodia punitur jure. [h] Alii nec erudite, nec graviter, quod ſic fieri ſoleat, ut jus iſtud vendatur. Et quod hæc captivitas in locum ſervitutis ſucceſſerit. Etſi enim (quod audio) vendant multi captivos ſuos: non ex hoc tamen multorum facto jus aliquod excipiendum eſt veluti conſuetudinis. Neque jura iſthæc ſervitutis in non ſervis, id eſt in his qui de perſonis non ſunt res facti, valere valent. [i] Hi, qui ſervi non ſunt, ſane quam elegantem definitionem admittunt: ecce, ſi quis eſt captus, & dimiſſus ſub fide, iterum vero capiatur ab alio, & iterum ab alio, atque alio, debet ſingulis pretium: neque enim dicetur, quod qui ſervus unius eſt, is alterius eſſe non poſſit, ne dominium ſit apud duos, &c. [k] Si ſemel conventum de pretio ſit, tum augeri illud non valet ſub prætextu, quod de majoribus facultatibus captivi auditum eſt. Et hoc ex facto definitum eſt. Et ego probo, ſi nulla interceſſit captivi fraus. Quod ſi vero jus ſervitutis eſt, tum quidem mala tractatio prohibetur, at erit venditio permiſſa.

Sed

a *Alc.* 5. *conſ.* 38. 46.

b *Caſtr. l.* 1. *de ju. & fa. ig.*

c *Alc. de ſi. cer. c.* 43. *l.* 6. *C. de pact. & S. conſ.* 4.

d *Comm. Pii II. lib.* 11.

e *Cur. lib.* 5.

f *Scal.* 3. *Poe.* 12.

g *l. ult. de in. re.*

h *Cou. reg. peccatum*, *P.* 2. §. 11.

i *Bal. l.* 7. *C. de adop.*

k *Gui. Pa. q.* 113. *Papo. lib.* 5. *ti.* 6. *ar.* 2.

Sed neque permiſſum videtur, ubi jus ſervitutis non eſt, in captivitate perpetua captum hoſtem habere, nunquam liberare. Namque id maleficis hominibus magis convenit: [a] ut hoc veriſſime dicebat Franciſcus rex Galliarum. Et alias conqueſti graviter ſunt Germani principem quemdam mortuum, antequam ille liberatus fuiſſet. [b] Et infamis perhibetur Seleucus, qui Demetrium in carcere uſque ad mortem habuit pariter. Quemadmodum tamen de ſumma pretii redemtionis definiri nihil certum poteſt: ſi quædam, quæ hic narrantur, non ſervantur conſuetudines: ita nec de tempore poteſt definiri, intra quod liberari captivus debeat. [c] Inter Græcos auri libra ſe redimebant. Nunc audio fieri, ut pretium tantum ſit, quantum valent annui reditus bonorum captivi, aut quantum eſt ſtipendium annuum ſolum, ſi bona alia, & reditus alii ei non ſint. [d] Alciatus conſultus reſpondit, non ultra trientem bonorum extorqueri poſſe. Cæterum hæc incerta ſunt: Generale eſt illud habendum ante oculos, ne intolerabile ſit pretium. [e] Nec enim emi poſſe videtur, quod iniquo emi pretio poteſt. [f] Ut nihil eſt, quod non poſſit emi, ſi tantum des, quantum venditor velit. [g] Ad tempus quod attinet, jus, & æquum mihi ſonant Pyrrhi verba, qui ſe gratiſque redditurum captivos pollicebatur, ſi pax fieret: aliter nullo modo, & iniquam eſſe petitionem, ut antè redderet, quibus contra ſe uterentur. Hic nequeo tamen non improbare factum Anglorum erga ducem Aurelianum, [h] quem per annos ſex & viginti habent captivum, non potentem ſolvere ſibi injunctum pretium redemtionis: & quem nec dimiſerunt aut poſt tot annos, quin accepiſſent, quod a principio petierunt. [i] Sane enim fuerat dux dignus, cui vel de juſto pretio poſt tam longam captivitatem aliquid dimitteretur. Qui dimiſſus eſt, is moritur aliquando antequam pretium liberationis conventum ſolvat. [k] Dicit autem Accurſius, non teneri ejus jam hæredes, aut fidejuſſores. Quæ mihi mirabilis videtur definitio, & non vera. Scribit quidem Ulpianus, *patrem redemtum, & ante luitionem defunctum quaſi jure pignoris finito nactum poſtliminium, & ſine obligatione debiti objiſſe, ut potuerit ſuum habere.* Sed hoc non pertinet latius, quam *ut potuerit ſuum habere.* [l] Scilicet iſte redemtus quaſi ſervus redimentis eſt, & veluti pignus ante luitionem. Et ergo videri ante mortuum nequiiſſe ſuum habere. Cæterum *ſubtilius, nec ſine ratione* (inquit juriſconſultus) di-

a *Guicc. lib. 17. Na. Ca. 5.*

b *Plut. Demetr.*

c *Bod. 1. de rep. 5.*

d *Alc. 5. conſ. 4.*

e *l. 31. de fid. lib.*

f *Cic. 1. agr.*

g *Diony. ecl. de lega.*

h *Polyd. lib. 23. Guicc. 3.*

i *l. 25. de pœn.*

k *Gl. l. 15. de capt.*

l *l. 12. de capt. l. 43. de leg. 1. l. ult. C. de poſtl.*

dicitur, jus finitum pignoris, & ſine obligatione debiti hunc objiſſe, *ut potuerit ſuum habere*. Atque ratio ſubtilior eſt, quod re pereunte pignorata perit pignus, & pignoris illa obligatio. Perit autem hic res pignoris, ipſe redemtus perit illo momento moriendi, & illo momento ſolvitur moriens illo vinculo, atque ita ſuum hæredem habet. [a] Et ſatis ad hoc eſt momentum iſtud. Momentum iſtud ſatis, quod finis obligationis, principium obligationis eſt, ut ſunt omnia temporum extrema. Hæc vero ad principalem obligationem non pertingunt. Sed omnia jura clamant, ſolvendum debitum ab hæredibus, a fidejuſſoribus ejus, qui non ſolvit ipſe. Et quidem ſi hæres nullatenus teneretur, cur ibidem Ulpianus injeciſſet, aut mentionem quantitatis a filio offerendæ? *Si filius redemtionis quantitatem offerat, dicendum eſt, ſuum poſſe exiſtere*. Hæc illic quæſtio de ſuo eſt. Non extra quæſtionem ducenda Ulpiani verba ſunt. Hoſti igitur ſolvendum eſt: quicquid eſt de ſuo hærede, & quæſtionibus aliis civilibus. Hoſtis libertatem dedit, pro qua pretium debetur. Sufficit, datam fuiſſe libertatem. Sed de pretio alia eſt quæſtio: ſi qui cum captivo pactus pretium redemtionis eſt, is poſſit non accipere in ſolutionem, quod habebat captivus clam, puta aureum aliquem torquem, aut etiam nummos: quaſi hæc capienti quæſita olim ſint cum ipſo capto. [b] Scanderbegus reſpondit, dari immo hæc in ſolutionem poſſe, & ita poſtulare favorem libertatis. Cujus quidem cauſſa etiam contra rationem juris multa ſunt in jure conſtituta. Ego idem cenſeo etiam ex ratione juris, quoniam non hæc capta intelligantur. [c] Sicut non dicitur captus, qui in utero eſt, matre capta: adeoque naſcitur liber. Age, de captivis exponamus, & de captis.

a *Bal. l. ult. de co. inſt.*

b *Scander. 7.*

c *Inſt. de ingenu.*

CAP. XVI.

De captivis, & non necandis.

CAptivus non eſt, niſi qui captus eſt. Et ego ſemper defendi definitionem ſupradictam juris noſtri contra Hotomanum, quod bene naſci liber poſſit, qui naſcitur ex captiva: & liber eſſe, ſi natus non capitur. Et quamvis capiatur, naſcitur tamen liber, nec ſervus fit, niſi captus. Quod ad poſtliminium, & ad alia

natorum ingenuorum jura plurimum facit in civitate. Quæ ille turpiter non consideravit. Verum nunc de hostibus tractamus. Ponamus igitur, occultari natum, nec capi ab hoste, domino matris. Dicamus, pacis initas conditiones tempore illo, quo is nascitur: ut qui capti non fuissent, ii nec caperentur. Fingamus, matrem profectam ad suos non animo, ut cum his maneret, sed ut ad dominos revertatur, & apud suos peperisse. Addamus, hanc servam peperisse apud gentem, ubi maneant sua utrique hosti. Et respondemus, per omnes hos casus nasci hominem liberum, qui conceptus ex libera fuit, etsi nascitur ex non libera. Et illa est ratio, quoniam non est captus. [a] Nec quidquam est, nasci in solo hostili. [b] Et itaque sic est, quod alibi legitur, *Nec mirum sit, ex serva ingenuum nasci: cum & ex captiva rescriptum est, ingenuum nasci*. Sic mihi dicitur multo minus ille captus, qui in domo capta delitescebat: de quo & quæsitum exstat. [c] Nam & responsum exstat, possessorem domus esse quidem possessorem omnium, quæ sint in domo, sed non tamen eorum, quæ latebant. [d] Et in confesso est, quæ jure gentium adquiruntur, ea non adquiri aliter, quam si vera intervenerit apprehensio: alioqui thesaurum possideret, qui fundum possidet: & non possidet thesaurum tamen, etsi quoque de hoc sciat. Idem de piscibus, qui sunt in lacu nostro, & de similibus. Atque docent nostri interpretes, regulam illam non obtinere jure gentium, quæ ait: quod si quis habet id, quod continet, is habeat etiam, quod continetur. Vera, realia, non ficta, non verbalia amat jus gentium, & naturæ, & simplex. [e] Neque hic tamen requirimus, ut capiens attrectet singula: ut omnes res capti tangantur, usque indusium: sed ut voluntas, & potestas capientis sit capere, & habere. *Qui aurem alicujus tetigit, totum eum videri tetigisse, inquit Trebatius*. Etiam quæ possessa sunt semel, si postea non inveniantur, nihil refert: & nostra manent. At vero ad clam habita neque est voluntas: ad fœtum in utero potestas non est. [f] Fœtus alia res est a matre. Et itaque vendita ancilla prægnante non creditur venditus partus, & petita ancilla, fœtus petitus non censetur: [g] cum id genus aliis: quæ notantur ab aliis nostris alibi. Qui & hoc tradunt, re vera duas esse personas, & juris diversi matrem, & fœtum cum duæ sint, nihil commune habentes, animæ, formæ (ut ego ante scripseram) duæ: adeoque

a *l.* 5. 12. *de capt.*
b *l.* 1. *de fu. & legit.*
c *Alc.* 5. *con.* 41.
d *l.* 3. *de adq. po. ubi Jaſ.*
e *Alc. d.* 41. *d. l.* 3. *& l.* 21. *de fur.*
f *l.* 7. *de exe. re. ju. l.* 42. *de evict. l.* 4. *de uſur.*
g *Form. l.* 26. *de V. S.*

que duorum. [a] Fictione quadam, & ad quemdam tantum effectum una dicitur caro matris, & fœtus: immo etiam nati, usque dum lacte alitur. Sunt autem plura similia, quæ volens mitto. Et quibus illa non sunt contraria; [b] Nequaquam esse dubium, quin servus hostium sit, qui natus apud hostes est: Partum esse portionem viscerum matris: Servium regem dictum servum natum: Servitio subjectum dici uterum captæ uxoris Arminii. Nam & responsio ex jam dictis est. Et de nato, factoque sub manum hostium intelligimus primum, ac tertium. [c] Et conceptum quoque Servium in servitute matris defendimus. Quartum intelligimus, fuisse illum Arminio conceptum in ea conditione, qui propediem efficeretur servus: sed nondum esset servus tamen. Captus sit, oportet, qui captivus dici habet. [d] Immo neque captivus ante est, (ut nec aliud ante quæsitum hosti) quam intra præsidia hostium ductus est. Itaque civis manet, antequam eo perducitur, ut captivus esse non possit. [e] Et itaque quod ab aliis diversum Alciatus docet, occidi captum non posse, etiam nondum perductum intra præsidia: nam deditium hominem occidere, semper crudelissimum sit; & contra eam humanitatem, quam homini homo naturaliter debet, etiam & contra bonorum jussa: id ego Alciati accipio, ut ejus est verbum, de deditiis, qui cesserunt vi, & dediderunt se; non de captis, qui etiamnum trahuntur tamen vi, & tenentur inviti. [f] *Si caluitur, pedemve struit*, ut erat in duodecim, occidi possit. Quid quoque si superveniant, qui eripiant? Eadem videtur esse ratio occidendi hostem. Et nihil interesse videtur, an ipse resistat, & restitet captus, an pars capti. [g] Quid si capitur quis vi ab aliis, & aliis interim dedat ipse se? Capientium manet: nec ejus verba curantur: quia captivus dicitur a captura, ut mancipium. Sed si capientes tradiderint illis aliis, sponte, metuve, illorum erit: nec enim dicatur captus, qui non durat captus. Cum intervenit tamen metus, actio est tradentium: etiam & manet eis captivus, si bellum sit, in quo dominium captivorum quæratur. Quæ Baldus. Sed ego hæc ultima dicere volui. Priora dixi: quæ juncta nostro tractatui. Ut occidi ille etiam posse videatur, qui durare captus nolit capientium, & restitet. Sæpe tamen nulla sua occiditur culpa, at per ambitionem, & avaritiam capientium: qui suum quisque velit: quod omnino crudele, & injustum. [h] Ejus

a *Bar. l. 9. ad leg. Fal. c. Castr. l. 15. loc.*

b *l. 6. de statu lib. l. 1. de ve. in. Val. 3. c. 4. Tac. ann. 1.*

c *Pli. lib. 36. c. ult.*

d *l. 5. de capt. Alex. l. 1. de adqu. poss.*

e *Alc. l. 239. de V. S.*

f *l. 233. de V. S.*

g *Bal. l. 7. C. de adopt.*

h *l. 5. ad leg. Aq.*

& injuſtum, qui cum poſſet apprehendere, maluit occidere. Capti igitur non occiduntur. [a] Et ſic igitur propheta regi Iſraelis, *An quos captivos abduceres gladio tuo, & arcu tuo eos percuteres?* Magno miraculo Eliſæus fecit Syros, hoſtes captivos: quos rex Iſraelis interficere volebat: atque id prohibet propheta hoc argumento, quod neque captos bello liceat interficere: & itaque minus hos. [b] Meminit ejus facti Joſephus, Ambroſius, alii. Joſephus tamen neſcio quid contrarii dicere videtur de bello captis. Quod ſi eſſet, argumentaretur invalide Eliſæus. Supradicta igitur eſt legis divinæ, & naturalis, hic gentium ſententia. Ea & Romanorum fuit certiſſima. [c] De quibus & ſic notatum eſt. [d] Et ita illa Auguſtini, & canonici juris, *Hoſtem pugnantem neceſſitas perimat: ſicut reſiſtenti violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia debetur.* [e] Hæc Lycurgi, & Græcorum lex: ut firmata victoria hoſtis non interficiatur. [f] Hæc laudata viris laudatis. [g] Memorabilia autem, & recitanda illa ſunt Gregoræ, *In pugna & acie quicquid feceris, excuſationem habet: cum ratio oppreſſa jacet, & manus velut ebriæ mente non reguntur: verum periculis jam propulſatis, & animorum æſtu ſedato, ac tranquillitati mente reſtituta ſævire, & ab officio decedere, improbi animi eſt argumentum.* Et antea, *Inſtitutum hoc a majoribus, conſtanter ad poſteros propagatum, ſervatumque fuit, non modo a Romanis, & Theſſalis, ſed Illyriis etiam, & Triballis, & Bulgaris propter eamdem religionem ſpolia tantum auferenda: homines vero nec ad ſervitutem rapiendos, nec extra aciem occidendos eſſe.* Quibus de verbis & hanc propter ſervitutem notes diſtinctionem religionis. De qua & nos dicemus. [h] Et de qua hic Baldus argumentatur, quod ſi qui ſunt, qui in ſervitutem non redigantur, & non perdunt libertatem, ii nec debeant perdere vitam. [i] Ait Pyrrhus, qui cupidus mactare Polyxenam, *Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.* Sed probe Agamemnon. *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.* [k] Et alter Seneca, *Anguſta innocentia, ad legem bonus eſſe: & latius officiorum patet, quam juris regula. Multa exigit pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Et alibi, *Multa legem non habent, nec actionem: atqui conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex jubet, fidem inimico præſtare*, &c. Atque falſiſſimum eſt manifeſto, quod idem repli-

cat

a 4. reg. 6.

b Joſe. 9. ant. Ambr. 1. de off. 29. Zen.

c Alex. 4. gen. 7.

d c. 3. 23. q. 1.

e Eurip. Heracl. Plut. apop.

f Sene. 5. de benef.

g Nic. Gr. lib. 4. 6.

h Bal. C. de La. li.

i Sene. Troa. 2.

k Sen. 2. de ir. & 5. de benef.

cat Pyrrhus, *Quodcunque libuit facere victori, licet*. Et etiam si esset veriſſimum, adhuc nos cum Agamemnone referremus, *Minimum decet libere cui multum licet*. [a] Et cum juriſconſulto, *Non omne, quod licet, honeſtum eſt*. [b] Et cum Bernardo, *Conſtat, in Chriſtiana utique philoſophia, non decere niſi quod licet: non expedire niſi quod decet, & licet: non continuo tamen, omne, quod licet, decere, aut expedire, conſequens*. Et de hoc quæram poſt latiùs. Hic mihi Scoti laudandi ſunt: [c] qui, maximum licet periculum immineret, captivos aliquando non necarunt. Gallus mihi dux laudandus: [d] qui, ut multitudine captivorum caſtra exoneraret, generoſe dimiſit omnes. Laudare Anglos non poſſum: [e] qui in nobili illa pugna, qua Gallicum imperium peſſumdederunt, cum plures captos haberent, quam ipſi victores eſſent, & veriti nocturna pericula, ſelectis nobilioribus cæteros trucidarunt. *Hoſtile factum, & inhumanum*, inquit hiſtoria: *nec tam cruentum prælium, quam victoria fuit*. [f] Sic & alius barbaram Turcæ feritatem appellat, qui captiuos quatuor millium, ne oneri eſſent, interfecit. Aut num cauſſas has probamus ſingulares, propter quas a regulari jure diſcedatur? [g] Hannibal a Fabio circumventus, ne quid, imminente periculo, tumultus eſſet a captivis, hos omnes cecidit, qui erant quinque millia. [h] Brutus captivos necat, proceſſurus in prælium: & quia neque fidere potuit eis, eos neque cuſtodire: & quia (hæc cauſſa liquido juſta) hoſtes interfecerant captivos ex ſuis Bruti. [i] Henricus, rex Galliæ ſecundus, Bovinis (oppidi nomen) vi captis, captivos nonnullos etiam ſuſpendi juſſit, nimium obſtinatos. Supplicii genus indecorum militibus: qui niſi graviſſimis de cauſſis ita puniendi non ſunt: cum turpe, crudeleque ſit, in eos, qui ſui principis jura tuentur, tam acerbe ſævire. Et ſatis frigida fuerit excuſatio, ſi factum jure belli defendatur, quia obſtinate, & contra militarem diſciplinam conarentur locum debilem ſervare adverſus regias copias, quem nullo pacto poſſent tueri? Quæ hiſtoricus omnia. Atque mihi in eo, quod pertinet ad mortis dedecus, placet valde. Et ita dixi, factum contra jus belli ab Hiberno, qui plurimos Hiſpanos milites, illic ejectos, & captos, quaſi latrones, aut prædones ſuſpendit. Contra hominem iſtiuſmodi & bello durante, & in pactis pacis, & pace facta poteſt conſtitui ſeverior animadverſio: per quam fiat hoſti ſatis; contra quem

a *l.* 144. *de reg. ju.*
b *Ber.* 3. *de conſid.*
c *Buchan.* 9.
d *Jov. ult.*
e *Comm. Pii* 2. *lib.* 6. *Polyd.* 17.
f *Jov.* 30.
g *App. Annib.*
h *Dion.* 47.
i *Nat. Com.* 8.

quem non bellatum jure eſt. Cæterum ſi obſtinatiores puniri acerbius poſſint capti, id non fuerit tam facile definiendum. [a] Quicquid etiam dediti arbitrio victoris, quod pertinaciter retinere ejuſmodi immunita voluerint, affecti turpi morte, & cæſi pueri, ſenes, mulieres, etiam in templis. [b] Nam & Neapolitanus reſpondit Beliſario, ſuadenti deditionem urbis, *Pertinax ſtudium in aliquem nemo judicet dignum ſupplicio*. [c] Et non tutum, & immo non abſque certiſſimo capitis periculo deſerere aſſignatum locum, ſtatione, aut præſidio decedere. Et non is modo reſpectus principis ſui obſtinatum facit militem, ſed & reſpectus hoſtium. [d] *Omnes enim, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius cogitare, quid poſſit is, cujus in ditione, ac poteſtate ſunt, quam quid debeat facere*. Num exempla dico hic plurima? Sed malim de priori reſpectu, quæ juris eſſe creduntur: adeoque timentur juſtius. [e] Qui victi ſe dedunt, poſtliminio carent. [f] Videlicet, *Cuncta adeo ſcelera, & noxam ſuperaverit omnem, Armatum potuiſſe capi*. [g] Hic alteri ſapientiſſimo poetæ multis, ac magnis onuſtus probris & dictus, pacem duello miſcuiſſe. [h] Sic Homerus in laudem ſuæ gentis barbaros dedentes ſe facit, Græcos ſe dedentes facit nunquam id, quod Plutarchus ſic obſervavit: [i] Et Niciæ itaque nomen monumentis quibuſdam non inſcriptum: quia ſe dediderit hoſti. [k] Et ſic Plato cenſuit, non modo non redimendos, ſed neque gratis recipiendos captivos. [l] Cenſuerunt Romani aliquando non redimendos, etiam cum opus haberent milite vel maxime. Et ſi quando redemerunt, notarunt quoque ignominia. [m] Depicti alibi, qui ſe dediderunt, abſque nota virorum per ignominiam. [n] Indigna deditio creditur ſemper. Et ſic ſunt opiniones, quicquid diſtinguit philoſophia. [o] Et de ea ignominia, atque deditione non curatur hodie, ut Baldus ait noſter. [p] Capti prodeſſe filii parentibus non habent, quod occiſi faciunt. [q] Scilicet marte cæſos dii honorant, & homines, ut Heraclitus ajebat. [r] Et victores iſti cenſentur, ut ſic Demoſthenes. Et ſic antea de Fabiis, aliis de quibus Iſocrateſque, [s] *Dictu nefas, eos qui cum Leonida ad Thermopylas occubuere, victos eſſe, qui victores animis, defatigati corporibus abiere*. Sic metus utrinque malorum, cupiditas undique bonorum ſi milites obſtinat, nos etiam debemus obſtinatos milites excuſare. Attamen liberare non de-

a *Jov. l. 3.*
b *Procop. 1. Goth.*
c *Polyb. 6. Liv. 24.*
d *Cic. pro Quinct.*
e *l. 15. de capt.*
f *Sil. lib. 10.*
g *Horat. 3. od. 5.*
h *Plut. de aud. po.*
i *Pauſ. lib. 1.*
k *Pla. 5. de rep.*
l *Plut. Fab.*
m *Diod. 2.*
n *Picc. 6. civ. pb. ult.*
o *Bal. l. 7. C. de adop.*
p *Inſt. de exc. tut. ubi Cujac.*
q *Cl. Ale. Str. 2.*
r *Demo. funebr.*
s *Iſocr. Panegyr.*

debemus culpa omni. Et hic enim aptum est, quod alibi dicunt conditores legum, [a] natura æquum esse, non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est. Ad impossibilia autem nemo tenetur. [b] Et de præposito arcis sic respondit Corneus, non eum supra qualitatem arcis ad eam tuendam teneri. [c] Et Cephalus, excusari milites, si fecerint, quod potuerunt pro defensione loci: etsi locum dedant. Item Isocrates, *Humilibus oppidis quavis conditione salutem quærendam.* [d] Atque adeo rectissime P. Jovius judicat, severius, & turbidius factum a Torniello fuisse, qui capite truncavit præfectum castelli ignobilis: quod dediderat præfectus Turcis, expugnatoribus jam urbium munitissimarum. [e] Contra experientissimus Albanus dux accusabat Lusitanos gubernatores crudelitatis, qui adversus morem omnium regnorum non jusserint, ut loca immunita dederent se exercitui campos tenenti: nam si recte fieret, ut obfirmarentur omnia: jam sub minutulum quemvis locum esset cum tormentis eundum, quod absurdum, & perpetuo faciendum, nunquam finiendum bellum, quod contra belli rationem est. [f] Hic Alexander, P. Æmilius, alii dicendi: qui obstinatis defensoribus negant veniæ locum: at eos direptionibus, cædibus affligunt. Alexander etiam in eos asper, qui castellum ignobile, & exiguum tutari voluerunt: etsi fuisset tamen difficile captu: & unde depulsi multis cum vulneribus victores Macedones fuerant. Et vero istæc incendunt iram victoris verius. Quid enim ut impossibile tentarint illi? Iste quid rem levem emere tanti cogatur? *Æmilius ad Æniorum urbem hostiliter diripiendam misit, quod pertinacius, quam finitimæ civitates in armis fuerant.* Recte. Hoc nimis facere supra alios, si nec causa singularis sit. [g] *Ubique pulcherrimum, Ne quid nimis.* [h] Et Turca quidam legatus monuit sic generaliter, & vere, non ad usque defendendam patriam, & libertatem, ut vel adversis diis pro ea pugnemus, cedendum esse fortunæ, potentioribus obtemperandum. [i] *Potentiori restitisse peccatum*, probe hic. Et ita hic Josephus pro Deo, pro fortuna Romanorum, cui accommodare se sui Judæi haberent. [k] Et ita idem ille historicus, qui contra Henricum regem scribebat, ipse scripsit in istam partem prius, & alius non nemo, excusari acerbitatem posse jure belli, ne aut ab imperitis rei bellicæ, & ab agrestibus obstinatissimis fiat, ut ad omnia (quod dixi) vel nullius momenti loca attraherentur

[a] *l. 1. si is, qui te. de c. 1. f. l. 15. de quæst.*
[b] *Corn. 4. cons. 148.*
[c] *Cepo. cons. 110.*
[d] *Jov. 43.*
[e] *Conest. 5.*
[f] *Curt. 6. Liv. 45. Jov. 35. 37*
[g] *Leo nov. 1.*
[h] *Scander. 6.*
[i] *Comm. Pii 2. lib. 11.*
[k] *Nat. Co. 1. 2. Mont. 1. de essai. c. 15. Lips. 3. poli.*

tor-

tormenta; ſic belli legem jubere, in imprudentes, & obſtinatos animadvertere. Sic poſtulare belli rationem. Sic mos, & lex eſt, fuitque; & ſic arietem dixerunt exterminatorium, quia is admotus, ſignum eſſet urbis exterminandæ. Et ſic ſane ſi aut contra legem iſtam, & contra iſtam rationem veretur malum miles ſibi a ſuo principe, & itaque obſtinatus eſt: atque juri, & iræ hoſtis nihil propterea imminui neceſſe eſt, quia injuſtitia aliena non debeat nobis eſſe incommodo: & debeat ſuis nocere magis, quam præſcribere hoſtibus. Quid ſi Romani quacunque ex cauſſa decedentes præſidio afficiebant morte ſuos? Ego id malim credere Suidæ, quam legem cogere cum Polybii verbis ad eos, qui metu deceſſiſſent. [a] Et Lipſius tamen contrarium mavult, quia, ſi impetus hoſtilis pepulit, & vis violenta, omnis ratio ſit ignoſci. Attamen Romana illa militia habuit ſingularia multa, alperaque. Et immo non omnis hic ratio eſt ignoſci, ut ex ſupradictis multis apparet. Sed id non tracto. Quid ſi decedentes metu, aut quacunque cauſſa, Romani morte afficiebant, alii nunc afficiant morte ſuos deſerentes quacunque cauſſa commendatum locum? Durum iſtorum jus non movet hoſtibus. Concludo, quod extra caſus quoſdam parcendum captis ſit. [b] *Servi ex eo appellati, quod ſervari, nec occidi ſolent: cum jure belli occidi ſuperati poſſent, & oporteret.* Quamquam hoc poſtremum habet verbum grammaticus. Poſſe autem occidi, dixerit juriſconſultus, nondum captos, ac factos ſervos. Vel non ſervandos, non capiendos. [c] Alioqui *Vendere cum poſſis captivum, occidere noli.* Servare cum poſſis, occidere noli, cum poſſis ſervum habere.

a *Lipſ. 5. de mil. R. 18.*

b *l. 230. de V. S. ubi Forn. & Scip. Fr. in orig. Dona. 2. Ad. 1.*

c *Horat. ep. ad Quin.*

CAP. XVII.

De his, qui ſe hoſti dedunt.

ATque ut his, qui hoſtem non interficit in prælio, ſed capit, ſic videtur velle, illum vivum habere: unde eſt capto jus aliquod, quaſi ex tacita pollicitatione, ne poſſit poſtea interfici: ita qui nec capitur, ſed ſe dedidit, ipſe paciſci cum hoſte de vita videtur: [d] aut certe, qui accipit ſe dedentem, ipſe tacitæ deditii ſpei tacitus quaſi porrigere manum videtur. [e] Jura hæc humanitatis, & militiæ leges dicuntur, dedentibus ſe parce-

d *Panor. c. 46 de ſe. exc.*

e *Jou. lib. 40.*

cere. [a] Etiam in ludisque lege correctum, ne victus, dedensque se necaretur. Sed hic tria videnda sunt. Primum, qui non vi capti, sed dediti videantur. Secundum, dedentes se quos oporteat accipere. Tertium, quod jus sit deditituorum. [b] Et de primo fuit olim disceptatio magna Romæ, si Ambracia vi capta videretur, quæ urbs agere, ac vineis oppugnata fuit, ubi incensis operibus alia de integro fuerunt facta, ubi muros super, subterque terram per dies quindecim pugnatum, ubi a prima luce, cum jam transcendissent muros miles, usque ad noctem diu anceps prælium tenuerit, ubi plus tria millia hominum sint cæsa, ut hæc omnia M. Fulvius pro se differebat: qui, Ambraciam a se vi captam, defendebat. Sed rectius censuit senatus, immo non videri vi captam urbem, quæ per conventas conditiones Fulvio portas aperuisset. Ait iste sane, senatusconsultum furtim curatum ab inimico consule, & factum per infrequentiam. Cæterum senatus plenus statuit, ut Ambracienſibus suæ omnes redderentur res, & cætera curarentur, quæ deditis fiunt, non captis urbibus. [c] Sutrium per conditiones traditum dicit Livius, cum auxilii jamjam advenientis moram pati fortuna obsessorum non potuisset, confectaque paucitas oppidanorum opere, vigiliis, vulneribusque fuisset. [d] Etiam Pometiam deditam, non captam idem auctor censet: cujus, cum in muros jam evaderet miles, deditio facta fuit. [e] Etiam Satricum dicit deditum, cum corona cinctum jam scalis caperetur. *Sunt*, ait de captis illic venditis, *qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse, scribant: idque magis verisimile est, quam deditos venisse*. Atque si oppidum vi captum censeretur propter pugnas ad illud pugnatas, & propter deditionem vi expressam, quæ capta non dicerentur? Vix ulla fieri deditio solet aliter. Et si metu alia, alia deduntur voluntate (*f* ut sic inquit Livius, Hannibalem conatum pellicere Acerranos ad voluntariam deditionem) non propterea dedita utraque non sunt. Vi capere nihil est minus, quam expugnare: [g] at hoc est per prælium, & pugnam, sive apertam, sive cœcam, nihil refert: [h] vi captum oppidum audimus, quod cuniculis captum. [i] Capere alioqui, non addito verbo *vi*, etiam is dicitur, qui deditione accipit. Sic vis distinguitur ab obsidione: [k] *urbes partim vi, partim obsidione cepit*, inquit Cicero. Sic igitur male cum oppido Æquulano ([l] de eo Appianus) actum judicabimus, quod uti captum vi

a *Plut. 5. Symp. 2.*
b *Liv. 38. 39.*
c *Liv. 6.*
d *Liv. 2.*
e *Liv. 7.*
f *Liv. 23.*
g *l. 3. de inc. r. n.*
h *Zosi. lib. 3.*
i *Liv. 5.*
k *Cic. pro Mur.*
l *App. 1. civil.*

duxerint metu expressa deditione. [a] Sic cum duobus aliis alibi oppidis, quæ vi, atque armis coacta in deditionem. Cur enim accepta in deditionem sunt? Sed hic sequitur secunda quæstio, si oporteat recipere omnes semper, qui se dedunt. [b] Atque scribit M. Tullius, *Hi, qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt.* [c] Et Scipio ita, admotis jam scalis ad mœnia urbis Hispaniæ, oppidanis per caduceatorem petentibus abitum pacatum, annuit, & receptui canit: & cum aut auditum non esset, aut non obtemperatum, sed urbs vi caperetur, & sæviretur, factum emendat, etiam & punit suos. [d] Sic alia superstunt exempla. At sic tamen jus non esse videtur. [d] Cæsar Aduaticis, dedentibus se, suaque omnia, respondit, *civitatem conservaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedissent.* [e] Huc & lex Dei pertinet, quæ urbibus, non se dedentibus ante, quam obsiderentur, nec pacti vult. Hodie si ad infirma loca deducuntur bombardæ, non videtur locus deditioni supersesse, de quo expositi ante. [f] Et laudatus illic Albanus dux Prosperum Columnium reprehendit, qui arcem accepit in deditionem vita cujusque incolumi, & bonis, putavitque indignos venia, quia fuissent tormentis diverberati. Atque hic forte altera erit inspectio de modo deditionis. Mihi sane videtur in utraque multum libera voluntas; nam conventio est quædam utrobique. Possunt esse causæ, cur deditio non recipiatur. Sed si causa non subsit, certe videtur admittenda deditio, aut internecinum bellum est. Et idem concludendum est circa modum, nam si qui nolit se dedere nisi per conditiones indignas accipienti: & contra si qui nolit accipere nisi per conditiones intolerabiles dedenti, deditio ipsa semper negari censebitur. [g] Victoris hæc sunt, non victi, respondit ille volentibus facere deditionem sub conditionibus magnificis, exeundi cum signis expansis, & cum omni apparatu, atque pompa bellica. [h] Per contrarium fuisse Saguntini dicuntur admirationi, qui victi perire, quam servire maluerint: nam *in omnibus fere gentibus vox est quodammodo naturæ, ut subjugari hostibus mallent victoribus, quam bellica omnifaria vastatione deleri.* At (quod nemo non videt) constitui hic certo, & generaliter nihil potest propter casuum varietatem. Et ergo est multum voluntas libera. [i] Si nimia multitudo est dedentium se, justa causa vita Romanis aliquando non recipiendi: *quia, trucidare*

[a] *Liv.* 43.
[b] *Cic.* 1. *de off.*
[c] *App. Hisp.*
[d] *Cæs.* 2. *Gal.*
[e] *Deut.* 20.
[f] *Connest.* 6.
[g] *Nat. Go.* 12.
[h] *Aug.* 18. *de civ.*
[i] *Tac. ann.* 12.

dare deditos, ſævum: tantam multitudinem cuſtodia cingere, arduum, ut belli potius jure caderent, datumque militibus, qui ſcalis evaſerant, ſignum cædis. Exſcidio Uſpenſium metus cæteris injectus. Hæc Tacitus. Et quod de metu poſtremum ait, alia eſſe cauſſa poteſt non recipiendi dedentes ſe. Et quam ego cauſſam puto ſeveræ illius legis divinæ, cujus modo meminimus. Si recipiendi eſſent ſemper, qui ſe dedunt: quid prohiberet, quo minus caperetur vi nemo? Qui jam jam ſunt capiendi, hi poſſunt non recipi. [a] Si filius capi facile non potuit, & eum magiſtratui pater ſiſtat, molliri pœnam delicti, quod filius patrarat, receptum noſtris interpretibus eſt: at ſi jam jam capiendum ſtiterit, pœnam non molliri, quia ſic eludere debitam pœnam filius ille facile poſſet. Atque iſtam, receptam ſententiam defendunt etiamnum contra Alciatum, qui ex æquitate, & ſenſu mitiori pœnam ſemper molliendam exiſtimat. Et ita ad quæſtionem ſecundam. In tertia diſtinguendum eſt, an per pactiones facta deditio ſit; an ſimpliciter, an cum quodam uno verbo. [b] Et pactiones ſi interceſſerunt, eæ utique tenendæ ſunt: eſt enim contra jus naturæ tollere jus ex contractu. Et ita de pactis deditionis reſponſum eſt. Hic tamen ſæpe quæritur non de re una. [c] Hannibal negat, ſe ſervaturum pactiones Romanis illis, qui ſe Maharbali, poſt pugnam ad Thraſimenum dediderunt. At hic recte Livius eam Hannibalis fidem appellat Punicam. Adi noſtra de armis Romanis, & quæ antea ſcripta de pactis ducum. [d] Turca juſſit interfici, quos ſtrenue pugnantes uſque ad extremam ſpem acceperunt Janizari ſub fidem: at illos interfici non ſunt paſſi iidem Janizari. Recte. Sed quid ſi non in commune conſultum eſt? ut ſæpe diſſentiunt obſeſſi de oppido dedendo, aut defendendo, aut de conditionibus deditionis. [e] Pars deditionem facit, & portas aperit Alexandro, ait Curtius, peperciſſe Alexandrum etiam belli auctoribus: quibus belli jure iraſci poterat. [f] Cortonenſes, vel nolente præfecto præſidii, ſe dedunt, quæ (ait Jovius) deditionis formula excludebat præſidiarios, quos tamen victor dimiſit: etſi armis exutos; quoniam potentis exercitus vim contemſiſſe viderentur. Jovii autem dictum firmari videtur ex his Livii. [g] *Prope non ſervata fides deditis, cum Pœnus dolo dimiſſum præſidium Romanum incuſaret; Locrenſes, ipſum fugiſſe cauſsarentur; potius illud videndum, an tenerentur, præſidiumque prodere Pœno.*

a *Pinel. rubr. C. de bo. mat.*

b *Alc. 5. conſ. 3. 6. 23. 36. Cepb. 58. Decia. conſ. 25.*

c *Polyb. 3. Liv. 22.*

d *Jov. 36.*

e *Cur. 10.*

f *Jov. 27.*

g *Liv. 29.*

Et mihi interpretatio probatur Jovii; cum non in commune conſultum eſt: alioqui facta dicetur ab omnibus deditio: & omnibus proderit, etiam his, qui contra deditionis ſententiam diſceptarint, & egerint. Sic ſcilicet de facto univerſitatis traditur, & recipitur. [a] Et quamquam diſſenſus immo iſtorum proſit ipſis, ſi puniendum factum ſit a domino ſuo: [b] & immo conſenſus ſingulorum deſideretur in eo, quod tangit omnes: [c] tamen & in cauſſis communibus ut ſingulis, favore dirimendarum litium, major pars ſatis eſt: etiam & in actu neceſſario, aut evidentis utilitatis: item ſi, qui ſoliti hæc facere, hi fecerunt: item ſi hi fecerunt, quibus obedire reliqui tenebantur: item ſi omnes fecerunt, qui non dici abſentes poterant. [d] Et illud etiam bene Jovius, quod ſi qui faciunt deditionem, ii & pro aliis paciſcuntur, pactiones iſtæ omnibus proſint: aut periniquo jure, & ſumma cum injuria ageretur. Summo forſitan quodam jure ageretur: [e] quia alii aliis non paciſcantur. Sed ſummum jus ſummam injuriam, & crucem dixere veteres: quod hic non ſequimur. Et immo cum habeamus hic unum corpus totius præſidii, non dicemus, alterum alteri paciſci, ſed ſibimet, qui paciſcitur, commilitonibus, & parti corporis. [f] Socius ſocio contrahit, non ſolum ſibi, & nec opus exprimere de ſocio: ſatiſque eſt, cauſſam eſſe communem. Sic tranſactio, ſic appellatio ſocii prodeſt ſocio. Sic reſcriptum, &c. Et collegæ tamen ducis promiſſio obligare collegam non videtur: [g] ut hiſtoria quædam eſt Fabii, & Marcelli, conſulum, illius dantis hoſti abitum tutum, iſtius cædentis abeuntem. [h] Etiam hoc factum eſt, ut præſidiarii præfectum caperent, qui deditionem renuebat: & in vincula conjicerent: atque ipſi ita paciſcerentur deditionem: & dederent ſe Solimano: is autem juſſit, deditos interfici omnes, affici præfectum honoribus. Inquit Jovius, *Sævam cædem immanis imperatoris juſſu non jure modo, ſed & ad laudem vèlunt: quando ſacramentum militiæ non fuit violandum contra præfectum. Sed tamen præſidiarii diplomata libertatis obtinuerant: abrupit igitur Solimanus ſuam fidem: dum perfidiam alienam ulciſcitur.* Quid nos? Sane de perfidia illa non erat judex Solimanus, ſed alius. Et dici tamen poteſt, quaſi transfugas ſic tractari eos a Solimano potuiſſe: qui de perfidia ipſorum non noverat ante: & fugerunt ad Solimanum contra præfecti auctoritatem. Mihi opinio iſta pla-

a *Cepb. conſ.* 110.
b *c.* 29. *de reg. ju.* 6.
c *Bal. l.* 1. *de off. co. l.* 1. *de ma. co. Cepb. conſ.* 62. 110. *Decia.* 3. 103.
d *Jov.* 2.
e *l.* 11. *de oblig. l.* 38. *de V. O.*
f *Alc.* 8. *conſ.* 41.
g *Liv.* 24.
h *Jov.* 28.

placet. [a] Fuit & de eo late diſputatum, ſi qui miſſus eſt, ut de deditione ageret, cum rediret ſerius, facta eſt ad arbitrium victoris deditio, an ille hac teneatur deditione, ſi nolit? Ac ſerunt, dictam ſententiam mitiorem, qua dimiſſus liber homo eſt. Sed & jure ſteterit ſententia: ſi iſte fuiſſet, qui tueri oppidum adhuc, aut ſe potuerit. [b] Et huc quoque facit jure traditum, quod etſi definitio plurium teneat repugnantibus paucioribus, non ea valet tamen, quæ uno abſente fiat, cujus potuit præſentia in ſententiam ſuam cæteros trahere. [c] Saladini perabſurda cavillatio fuit: qui dum valido munitam præſidio cenſet Aſcalonam, quæ vacua ferme erat milite, convenit liberaliter de deditione: ſed quaſi deceptus abnuit pactiones ſervare. Dixi, jus eſſe, uti his ſtratagematis, & mendaciis. [d] Galli famem cum objicerent Romanis, avertendæ ejus ſuſpicionis gratia jactatus multis locis eſt panis de Capitolio in hoſtium ſtationes. Hæc plurima ſunt, & probatiſſima. [e] Cavillatio erat Hiſpanorum: qui Valerium Urſinum, ſic ſe eis dedentem, ut deduceretur tuto in caſtra Gallica, captivum aſſerebant hoc colore, quod Gallica tum temporis caſtra nullibi erant. At ſumma pactionis erat pura, ne eſſet captivus, non ſub iſta conditione, ſi ullibi ſorent caſtra Gallica. De caſtris his adjectum pro tuta exequutione pacti: nam in illis caſtris futurus erat Valerius tutus. [f] Quæ autem dicta ſunt ad exequutionem, ea non mutant de ſubſtantia. Dic, deceptum Valerium, qui putabat, caſtra illa eſſe. [g] Numquid juſtiſſimæ facti ignorantiæ non ſuccurritur ſemper? [h] Romani, dedentibus ſe Ætolis, & errantibus in ipſis verbis formulæ deditionis, æquum putarunt, ſtatum reſtitui priſtinum. Et Hiſpani non aſſenſerunt deditioni Urſini de eo deducendo in caſtra Gallica? Si autem iſta non erant, malitiam accuſent ſuam, aut ſtultitiam. Et propter virtutem igitur viri, & propter juſtitiam cauſſæ dimiſſus Urſinus, ut illud de virtute dicit hiſtoria, ego iſtud de juſtitia addo. Solent ſæpe ſe dedere obſeſſi ita, ſi intra tantum temporis auxilia ipſis non advenerint. [i] *Niſi intra ſexaginta dies Darius auxilio veniret*, &c. Ad quod pactum quæri de auxilii qualitate poteſt. Aliquando expreſſum eſt de juſtis auxiliis, [k] *Niſi juſta obſeſſis auxilia intra trigeſimum diem alicunde ſubmittantur*. Sed & hic, quæ juſta ſint, quæres. Item & de juſtis intelligendum videtur, licet expreſſum hoc non eſt: nam de quibuslibet

[a] *Jov.* 26. [b] *l.* 17. *de arb.* [c] *P. Æmil.* 5. [d] *Liv.* 5. [e] *Jov.* 26. [f] *Dec. conſ.* 12. [g] *Cl.* 1. *de præb.* [h] *Liv.* 36. [i] *Cur.* 3. [k] *Jov.* 4.

ſine

ſine abſurditate non intelliges. Juſta dixeris, quæ cauſſam tollunt, propter quam facienda erat deditio. Nec dico, quæ tollunt ad breve tempus: quod & levia efficere auxilia poſſunt. Sed quæ tollunt in bene longum: ut ſi commeatus, quo laborabatur uno, tantus inferatur, qui longiſſimæ ſufficiat obſidioni. Exprimi aliquando ſic ſolet, [a] *Niſi intra ſeptem dies veniat, qui ſervet nos.* Et quod non admittit quæſtionem, [b] *Niſi auxilia ſint, quibus aperte bello, & pede collato tutari ſe queant obſeſſi, non intra urbem e mœnibus.* Item, [c] *Niſi talia ſint, propter quæ diſcedere ab obſidione oporteret.* Item, [d] *Niſi obſeſſores campo dejiciantur.* Et item alia ſic eſſe poſſunt, Sed & in his aliquid eſt, quod quæras de tempore. Tamen eſſe poteſt manifeſtum, intra diem dictam fieri iſthæc oportere, ut diſcedatur ab obſidione, & obſeſſores campo dejiciantur. Quid enim ſi venerint auxilia, & teneant caſtris collatis ſe, dum hoſtis longa fractus obſidione, aut aliam ob cauſſam abeat? Siccine veniſſe auxilia intra præſtitutam diem, & dejectos obſeſſores dices campo? Siccine pede ſtetiſſe collato? Ego diem hic repetitum ſane intellexerim incunctanter: [e] quoniam facto ejuſdem ſtat: [f] ut diſtinctio eſt gloſſatoris adprobata. Si pacta deditio eſt ſimpliciter, *Si auxilia non advenerint*, auxiliis venientibus, nec moventibus quidquam, deditio non fiet: venerunt enim auxilia. [g] Et ex facto ita ſervatum pluries eſt Anglis, & Gallis. Quæ de auxiliis: quod ſæpe quæritur. Nunc alia videamus. [h] Pacti exite cum veſtibus, exeunt armis inſtructi omnibus: quæ veſtes militibus contendebant. [i] *Aliis arma oneri ſunt, nobis integumento* dicebat miles Romanus. [k] Etiam membra militibus arma dicuntur. [l] Sed vere aliud veſtes ſunt. Et arma diſtingui a veſtibus ſolent in iſtis pactionibus. Diſtingui etiam a veſtibus ſolent hic, quæ inſternuntur, quibuſque incubamus. Et ergo neque hæc venient appellatione veſtium. Nam, quid vel noſtra lingua, vel intelligentia militum intelligat hic, ſervandum eſt: & quod conſonat auribus vulgi. [l] Exire juſſæ mulieres, & aſportare ſecum quod poſſent: aliæ viros, aliæ fratres humeris gerunt. Pia fraus. [m] Nam, quæ animalia ſunt, ducuntur, aguntur, non portantur. Quod tu non per deridiculum, & per calumniam intelligas tamen. Plura autem hæc ſunt. Pacti tantum de vita, an retineri captivi poſſint, & ſervi? [n] Servitus mors eſt. [o] Et nihil multum a ſpecie ſervientium

a 1. Sam. 11.
b Agath. 1. Goth.
c Jov. 3.
d Comm. Plin. 2. lib. 9.
e l. 10. ubi no. de V. O.
f Polyd. 13. 22.
g Plut. de cl. mul.
h Egeſip. 3.
i Cic. 2. Tuſc.
k l. 23. 25. de an. leg.
l P. Æm. 7.
m l. 235. de de V. S.
n l. 32. 209. de reg. ju.
o l. 2. de ho. li. ex.

tium differunt, quibus facultas non datur recedendi. Et hoc illud eſt, in quo notatum diximus Carolum V. imperatorem: qui Lantgravium cuſtodiæ demandavit, accedentem ſe fide accepta de incolumitate. Quamquam in hoc verbo eſt quid amplius quoque. [a] Ut non probem, qui dixerunt, fide integra ſervos factos a Turca, qui pacti fuerant incolumitatem. Pactus de vita poteſt ſervus fieri: nam ſubtilitas eſt juris civilis, quæ ſervos pro mortuis habet. Et multo igitur magis poterit captivus haberi, qui ſervus non ſit. [b] Ut ita Gonzaga fecit. Et, quod ego cenſeo, abſque injuria. Atque hæc quoque multa ſunt. Si autem ſimpliciter aliqui ſe dediderunt, & dixi in principio, quod jus hic eſt: & notabilia ſunt P. Jovii verba, [c] *Quod Salaſſus in magnam Hiſpanorum multitudinem ſe dedentem: & arma projicientem humi trucidandam edixerit: & trucidati ſint: nunquam antea vel ab efferatis, & barbaris factum meminimus*. Neque tamen ego dico, nunquam factum: [d] quod idem hiſtoricus notat factum a Turca: qui nulla ſub conditione recepit dedentes ſe, ſed ad ſuum arbitrium, & omnes interfecit. [e] Scimus Syllæ factum cum multis Samnitum millibus: ſcimus factum Cæſaris cum victis Numidis Jubæ: alia plura immania aliorum. [f] Et Helvetii amplius quingenti, dedentes ſe arbitrio Burgundi, etiam reſti ſuſpenſi ſunt. Factum Salaſſi eo eſt immanius, quod in ſupplices, non in dedititios tantum, fuit. At age, dicamus tandem de ſingularibus quibuſdam verbis. [g] In verbo ipſo *Dedere*, vim eſſe eam tradunt, ut agant adverſarii in dedititium pro ſumma poteſtate, quicquid adlibeat. Cæterum ratio noſtra in principio reſpuit iſtam interpretationem. Adde jam, benignius tractandos eſſe dedititios, ne, ſi fiat aliter, peſſimo exemplo quiſquam poſtea ſe dedere nolit, [h] ut ſenatus dixit Romanus. [i] Cujus nobile hac in re judicium etiam alii obſervarunt. [k] Et ſic eſt nobilis oratio Siracuſani hortantis ſuos ad clementiam erga dedititios Athenienſes. [l] Inquit Seneca, *Sanctiores, tutioreſque ſunt hoſtibus, qui in fidem cum armis veniunt*. Sane ſi parcitur captis, quando his parcetur magis, qui adhuc pugnando poſſent non capi, aut non ſine ſanguine traderent victoriam hoſti? Non danda his eſt minimum vita, qui vitam ſuis hoſtibus reliquerunt, & veram victoriam effecerunt? [m] *Non eſt victoriâ major, Quam quæ confeſſos animo quoque ſubjugat hoſtes*. Aut quid eſt, quod non factum

a *Jov.* 37.
b *Jov. ult.*
c *Jov.* 38.
d *Jov.* 43.
e *Dio* 45.
f *P. Æmil.* 10.
g *Manu. pro Sex. Ro.*
h *Liv.* 42.
i *Sigo.* 1. *de ju. Ita.* 23.
k *Diod.* 13.
l *Sen. de ira.* vi.
m *Claud. in. Ho.*

ctum in bello ſit? quod in bello fieri non poſſit? Victi, fugati, incluſi, obſeſſi victorem ſuperarunt, obſeſſorem cœperunt. Sæpenumero ex deſperatione rerum in magna & fortiſſima facinora venitur: eodemque ſunt loco magnus animus, & perditus. Num recito hiſtorias? [a] Polybius notat: non eſt hiſtoricus, qui non habeat. [b] *Nec cum capta capi, nec cum combuſta cremari*: dixerat Ennius: [c] quæ Virgilius, *Num capti potuere capi? num incenſa cremavit Troja viros? medias acies, mediſque per ignes Invenere viam*. Et clamat de pauculis Trojanis regina Deum, ſæva hoſtis: & quæ ſuperos, inferos, non mortales ſolos ſecum concivit. Sed in deditionibus illa uſurpari ſolent verba, *Arbitrium*, *manus*, *voluntas*, *poteſtas*, *diſcretio*, *judicium*, *ſapientia*, *gratia*, *miſericordia*, *æquitas*, *conſcientia*, *declaratio*. [d] Arbitrium autem, & arbitratus terminos juris, aut conſuetûdinis non egreditur. Secundum leges debet regulari. Intra mitiorem ſententiam conſiſtit. [e] Hoc arbitrium viri boni eſt: hoc æquiſſimum, ſi fit alteri a nobis, quod fieri ab altero nobis vellemus: & fit a nobis in alienis, quod in noſtris fieret. [f] Arbitrium eſt boni viri arbitrium: in quo ſervandæ ſunt regulæ juris, & naturæ. [g] Et illa eſt regula naturæ, *Quod tibi fieri non vis*, &c. *Quotiescunque talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero ſervari cupis, æquitatis viam tenes: quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter juſtitiæ dereliquiſti*: inquit ſanctus Paullinus. [h] Et hoc perfectum divinæ, & humanæ legis documentum, & ut ait noſter Decianus: quod & domini Jeſu fuit. [i] Hic imitanda exempla bonorum ſunt virorum: ut Alciatus reſpondit. Bonorum, inquit: nam, illos imitari, de quibus aut dubitas, an imitandi ſint, periculoſum ait idem Sanctus. [k] In arbitrariis id certum, quod uſitatum: id neceſſarium, & non abſque modi tranſgreſſione tranſgrediendum. [l] At de nomine *arbitrii* audi pulcherrima Celſi, *Si libertus ita juraverit, dare ſe, quot operas patronus arbitratus ſit: non aliter ratum fore arbitrium patroni, quam ſi æquum arbitratus ſit: & fere ea mens eſt, perſonam arbitrio ſubſtituentium, ut quia ſperent, eum recte arbitraturum, id faciant: non quia vel immodice obligari velint.* Scribit autem, *immodice*: [m] modicum namque incommodum tolerabile eſt. Sic & cum eſt datum, ut poſſit incommodum afferri, de modico adhuc intelligitur: & cum cauſſa etiam rationabili. [n]

Im-

a *Polyb. 16.*
b *Macr. 6. ſat. 1.*
c *Virg. 7. Æn.*
d *l. 21. 43. de leg. 3. Cepb. conſ. 652.*
e *l. 1. de ſolut. Rom. conſ. 205. Bal. l. 10. de juſt. Dec. l. 22. de reg. ju.*
f *l. 68. de V. S. Alex. 1. conſ. 33. 69. 2. 218.*
g *Hieron. ep. 14. Diſt. 1. pri.*
h *Decia. 1. conſ. 25.*
i *Alc. 9. conſ. 30.*
k *Dec. conſ. 110.*
l *l. 30. de op. liber.*
m *Rom. conſ. 55. Cepb. 23.*
n *Cepb. conſ. 34. 121. 142.*

Immodicam læsionem concedere, esset dolum concedere, quod nec licet. Immo etiam læsio enormissima rejicitur, & de dolo conceſſo. [a] Honestas igitur, & æquitas bono viro præ oculis præcipue obversetur. [b] Etiam cum dicitur, ut sententiæ stetur justæ injustæ, sic tamen intelligitur, ut non tamen ei stetur, quæ liquido esset injusta, sed de qua posset dubitari. [c] Si liberum, & absolutum arbitrium datur: vocandus adhuc est deditus, & audiendus defendens se. [d] Nam etsi non appelletur ab eo, qui judicat ex liberò arbitrio, aut ex conscientia: idem tamen audit partes, ut est regula juris, & naturæ. [e] Liberum est plenum, & æquitas tamen est servanda. [f] Plenum quidem, sed ex fide, non perfide, non enormiter, non dolose: [g] ut in arbitrariis etiam (quod diximus) dolus committitur. Liberum (bellissime Bernardus in libro de libero arbitrio) refertur ad voluntatem, arbitrium ad rationem. [h] Et temerarius igitur est, & caret arbitrio boni viri, qui non se fundat in ratione. [i] Liberum dicitur, quatenus & tale est hominis, quod non per naturæ impetum, ut inanimorum: non per instinctum, ut ferarum, ac puerorum, quorum libertas dicitur, & quædam licentia magis est: sed quatenus pro arbitratu nostro in opus tendimus, & aliquid volumus, nolumus. Sic est arbitrium, aut si per adjecta *liberum*, *plenum*, *absolutum* fit aliud, jam arbitrium non erit. Maneat igitur arbitrium, utrumque jam solutius. Et sic adjectiva aptentur naturæ ejus, quæ sane & solutior semper est, sit autem nunc solutissima, sed dissoluta nunquam. [k] Etiam generalitas cogitur ad naturam actus, & ad limites rationis. [l] Breviter, (nam ejusmodi omnia recitare doctorum nostrorum, & aliorum, immensum fuerit) & arbitrii latitudo omnis coarctanda est ad arbitrium boni viri. [m] Manus idem est. Qui se ponit in manu alterius, dat huic liberum arbitrium in se, sed pia esse tamen debet manus; nam impia est reprobata. [n] Voluntatis vocabulum laxius est. [o] Et inquiunt tamen, quod si partis voluntati quid committitur: tum non sit differentia, sive arbitrio commissum sit: nam deferere æquitatem pars nequeat. Atque hæc verissima mihi definitio videtur. [p] Etsi scio, Baldum dicere totum contrarium in suo quodam responso: quod si tertio alicui detur velle, is sane nequeat per quorumdam opinionem egredi arbitrium boni viri: at si parti datum sit, hæc & inique arbitrari possit, idque sic sit per legem conventionis,

a *Ceph. conſ.* 28.
b *Dec. conſ.* 356.
c *Alex.* 1. *conſ.* 61. *Bal.* 3. 383. *l.* 15. *C. de mi. te.*
d *Ceph. conſ.* 89.
e *Bal.* 1. *conſ.* 177.
f *Bal.* 1. *con.* 381. *Alex.* 3. 41. *l.* 60. *mand.*
g *Bal. l.* 3. *C. de ſer. ju.*
h *Cur. ju. conſ.* 268.
i *Picc.* 2. *phi. mo.* 33.
k *Ceph. conſ.* 76.
l *Bal.* 4. *conſ.* 364.
m *Bal. l.* 2. *de orig. ju. & Ang.*
n *l.* 1. *de leg.* 2. *l.* 21. *de leg.* 3.
o *Alex. l.* 2. *ſol. ma.*
p *Bal.* 2. *conſ.* 195.

per quam volenti, & conſentienti nec fiat injuria, aut dolus. At hæc tamen ſententia refutatur: [a] non enim intelligitur datum, ut dolus admitti poſſit, aut fuerit invitare ad delinquendum, quod nullis verbis conceſſum intelligitur. [b] Generalia verba ſic cogi, ut excludatur dolus, etiam re ipſa, reſtringi ſecundum terminos juris. [c] Voluntati etiam liberæ ſi deſertur, adhuc illa tenenda eſt regula, *Quod tibi fieri*. Et pleniſſima, & libera facultas, & poteſtas exigunt bonam fidem ſemper, & bonæ fidei interpretationem civilem, atque humanitati congruentem intelligentiam. [d] Illicitum nunquam venit ſub quam latiſſimo arbitrio. [e] Qui juravit, arbitrio non contravenire aliqua ratione, vel cauſſa: non tamen de iniquo intellexit. [f] Voluntati quod datur, id nec rationem debet excedere. [g] Rationi autem qui ſe ſubmittit, juſtitiæ ſe ſubmittit. Cum id genus aliis ferme innumeris: [h] Inquit Cicero, *Omnia incerta, cum a jure diſceſſum eſt, nec præſtari quidquam poſſe, quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius voluntate, non ſolum libidine*. Sed in bello a jure non diſceditur. [i] Ergo ſic ſpecialiter definitur, voluntati deditos non necari, non affigi triremi. Atque eſt injurium, ut miles fiat ejus pœnæ ſervus. [k] Injuſti Genuenſes, qui ad triremes vendidere captos juſtos hoſtes, nec ſervos factos. Non quoque eſt noſtri caſus ratio par, & fideicommiſſi ejus, *Reſtituas libertis meis, quibus voles*: [l] cum & indignus præferri libertus poteſt. Nam hic in tractatu noſtro agitur de reddendo ſuum cuique in tractatu teſtamentario verſatur propoſitum animi, & liberalitas. Etiam ſi deditio facta eſt ad libitum voluntatis: dico contra Baldum, ut ad arbitrium boni viri componi oporteat rem. [m] Nam ut duplex libido eſt, ac voluntas, altera impetus, altera rationis: ita ſermo hic pro ſubjecta materia accipietur de poſteriori, quæ aliquid vult, quoniam ratio quæpiam illud ſuadeat. [n] Et voluptatis verbum, & libidinis ſic eſt pro voluntate apud Symmachum, Plautum, Terentium, Catullum, Salluſtium, alios, ut alii notant. Fecit ad hanc partem, & quod de poteſtate eſt. [o] Poteſtas proprie dicitur ejus, quod poſſumus legitime abſque injuria. [p] Etiam plenitudo poteſtatis de bona, & laudabili intelligitur, non de tyrannica, & vituperabili. [q] Ampla poteſtas non ad abuſum, ſed ad legitimum uſum cenſetur. [r] Plenitudo poteſtatis, & quæcunque latiſſima, & abſoluta ſic cogitur, ut ne quid abſurdum admittatur.

a *Alex.* 4. *conſ.* 62. *Dec. l.* 23. *de r. i. Ceph. conſ.* 39.
b *Alc.* 9. *conſ.* 66. *Ceph.* 142.
c *Rom. conſ.* 55. 476.
d *Ang. conſ.* 257.
e *Ceph. conſ.* 115.
f *p. l.* 13. *de pœn.*
g *Bal.* 3. *conſ.* 218.
h *Cic.* 9. *fam.* 16.
i *Inno. c.* 13. *de renu.*
k *Juſtin. an.* 5.
l *l.* 24. *de leg.* 2.
m *l.* 46. *de fid. lib. Scal. de ſa. l.* 2. 78.
n *S.* 1. *ver.* 19.
o *Bal.* 1. *conſ.* 326.
p *Bal.* 1. *conſ.* 345. & 5. 350.
q *Alc.* 4. *conſ.* 5.
r *Alex.* 2. *con.* 83. *Mene. de arb.* q. 7.

tur. [a] *In infinito quidem licet, ſed civiliter modo*, ait Celſus, *nam quædam in ſermone tacite excipiuntur.* [b] Qui vero ſe dedunt diſcretioni; judicio, conſcientiæ, tanto ſunt tutiores, quanto hæc ſunt verba ſignificantiora arbitrii boni viri, conſcientia etiam optimi. [c] Bonus vir, & conſcientia idem ſunt. [d] Et de conſcientia verbum capitur munita legibus, non de alia, quam pars ſibi fabricat. [e] Sic & de verbo traditur æquitatis, ut qui ex æquitate procedere habet, is ſequi teneatur caſum legis vel rigoroſum: quia ſemper ſit verum, ut non debeamus ſequi proprii capitis æquitatem, ſed legis. De diſcretione (Italicum, & barbarum, non Latinum hic nunc eſt verbum) hiſtoriæ in hunc modum loquuntur. [f] *Atque diſcretionem ſic ajunt vocari, cum permiſſa militi poteſtas eſt in oppido, quod capitur, pro ſuo arbitrio debacchari, corporibus liberis tantum ſalvis.* [g] Immo neque excepta videntur ſæpe corpora, cum ipſa ſic corpora deduntur, non oppida, in quibus deflecti illa interpretatio debacchandi poſſit. [h] Sæpe, & oppidis ſic deditis, exprimitur, ut ad diſcretionem facultatum, vitæ, honoris ſit deditio. At, vulgo quid intelligatur per hoc verbum, in deditione, ego quidem ignoro. [i] Et hiſtoriis tamen credere docemur. [k] Sed hoc non ignoro, barbare ſignificare vulgare vocabulum alibi, ac ſi Latine diceretur *moderatio*, [l] quæ averſa debacchationi: & eſt ipſum arbitrium boni viri, ut noſtri nobis, & philoſophi expoſuerunt. [m] *Diſcretio* (ait Bernardus) *moderatrix zeli, & clementiæ. Solent diſcretionis oculo caligante, alterutrum ſibi præripere, terminos occupare, caliginis autem duæ cauſſæ, ira, & mollior affectus: is judicii cenſuram enervat, illa præcipitat, turbatus ira oculus clementer nihil intuetur. Suffuſus fluxa quadam, & muliebri mollitie animus, rectum non videt. Non eris innocens, ſi aut punias eum, cui forte parcendum eſſet, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* Hæc eſt diſcretio. [n] Diſcretio mater omnium virtutum, ut in jure eſt canonico. [o] Etiam cum diſcretio ſui capitis dicitur, intelligi tamen de communi forma traditur. [p] Etiam quod dicitur, nec peti reductionem ad arbitrium, ſi commiſſum quid eſt conſcientiæ, id alia quædam res eſt: nec enim ſequitur, ut judicare ille poſſit propterea non ex arbitrio boni viri, qui ex conſcientia judicare habet, itaque iniquitas dicitur ejus, quæ & emendanda eſt a ſuperiore. [q] Sapientiæ item vocabulum includit arbitrium boni viri. [r] Et providentia, & conſideratio, & ſimi-

a *l. 9. de ſerv.*
b *l. 137. de V. O. Bal. l. ult. C. de jud. im. Alex.*
c *Dec. l. 157. de reg. ju.*
d *Alex. 2. conſ. 228. Jaſ. rub. de adhe.*
e *Rom. conſ. 149.*
f *Comm. Pii 2. lib. 4.*
g *Guicc. 18.*
h *Guicc. 9.*
i *Fely. c. 2. de reſer. nat. l. 2. ſi. ce. pe.*
k *Scalig. de ca. l. L. 150.*
l *Menoch. de arb. q. 86.*
m *Ber. 2. de conſid.*
n *c. ult. 2. q. 6.*
o *Cepb. conſ. 88.*
p *Roma. conſ. 27. 261. 458.*
q *Cepb. conſ. 28.*
r *Ber. de pr. & diſpe.*

similia, docentia sequi rationis judicium, non placitum voluntatis. Gratiæ porro qui dediderunt se, & misericordiæ, immo & qui veniam implorant, confugere iterum videntur ad arbitrium. [a] Non enim fatetur delictum, qui se misericordiæ submittit. Quicquid P. Syrus ait, *Mala causa est, quæ requirit misericordiam*. [b] Cum immo misericordia sit ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis: & nihil nisi bonitas. [c] Jus est misericordia, etsi non commune. [d] Non fatetur delictum, qui veniam petit: ut nec qui renunciat defensionibus. Potest scilicet petiisse veniam & justissimis his caussis, propter quas juste aliquis bellum suscipit: & victus tamen incurrit in victoris legitimam indignationem. [e] Petunt errori veniam Cærites, quodque fuerint auxilio consanguineis. [f] Petit Cicero sæpe errati veniam omnibus, qui pro Pompejo steterint contra Cæsarem: etiam obtendit fatum: *omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio quo reipublicæ misero, funesteque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus*. [g] Sic & fortunam alibi effert: quam vitare nemo valeat. Ait, se compulsos: [h] ut cum coactis vel delinquere agatur mitius. Ait, *aliqua culpa*: [i] nam vere culpa error vacat: & a culpa distinguitur, quod in errorem homines incidere omnes valent. [k] Officium alibi, pudorem, pietatem affert: & si non veram, tamen probabilem dicit caussam, propter quam ignoscatur. [l] Et Marius item, *Neque Cæsarem in dissensione civili sum sequutus, sed amicum*, &c. Alii aliter petunt veniam caussis impetrabilibus. [m] Et cum his agendum non quasi cum peccatoribus est. Ut non semper verum sit, quod Augustinus ait, [n] *Ubi venia datur, manifestum est, esse peccatum*. De quo & magister Sententiarum, *Cui venia datur, nisi culpæ?* Et quod Seneca, *Venia debitæ pœnæ remissio est*. [o] Et quod in jure Canonico, *Non est sine vitio quod ignoscitur*. [p] Et quod Tertullianus, *Gratia non est, nisi offensæ; nec pax, nisi belli*. Quamquam hoc ita accipimus, ut sit quidem offensa, sed & justa sit caussa facti ejus, qui gratiam petit. [q] Ut sic qui se submittit gratiæ, non fatetur crimen: hoc saltem, non confert absolutum arbitrium, nam istud verbum est civiliter intelligendum, & exspectat benignam interpretationem, & tractationem: [r] quam nisi præstare victor velit, deditium restituere habet in statum pristinum. [s] Gratia non habet juris vinculum: & nisi conceditur, tamen, sæpe injuria fit.

Im-

a *Menoch. de arb. q. 8.*
b *Cic. 4. Tusc. Manu pro Ligar.*
c *Cepb. cons. 39.*
d *Alex. l. 1. de no. op. nu. Dec. reg.* non videtur.
e *Liv. 7.*
f *Cic. pro Marc. Liga.*
g *Cic. 9. fam. 13.*
h *Rom. cons. 523.*
i *Sophocl. Trach.*
k *Cic. 11. fam. 22. 27.*
l *Cic. 11. fam. 28.*
m *Just. cons. 3. & C. si q. p. m. Tiraq. de p. m.*
n *Aug. Leu. 68. & de bono. Lom. 4. fo. 31. Sen. 2. de cl.*
o *c. ult. 1. q. 6.*
p *Tert. ult. adu. Mar.*
q *Cbass. ca. 5. consid. 24. Al. 5. cons. 108.*
r *Ang. l. ult. de pr. st.*
s *Alex. 1. cons. 80. Alc. 4. 1. Rom.* 330.

Immo venia dicitur etiam de his, quæ habent vinculum juris, nam victis debetur certe sepultura, quam qui petunt apud Virgilium, ajunt tamen, *Si qua est victis venia*, &c. *veniamque rogantes*. Et quod Servius utrobique interpretatur beneficium, sic cape, ut modo dixi de gratia, ut nisi concedatur, injuria fiat. Sic verba omnia agenda huc ad æquum, & bonum: quæ ars est juris, & justitiæ. [a] Et semper tenendum, quod ubi funditus nullum est delictum, ibi nec dicitur concessum arbitrium puniendi. [b] Etiam licentiæ verbum sic bonum, & honestum sonat. [c] Sic alia: *Placet*, *videbitur*, *Probabitur*, *Putabis*. [d] Jus & consuetudo servabitur. [e] Qui tenetur stare omni declarationi, justæ teneri stare, intelligitur. [f] Qui committit se alteri, fidei, & probitati se committit, Qui se alteri permisit, potestati se permisisse dicitur. Sed aucupia ista syllabarum non hic sequimur. Et de potestate tamen ante dixi. [g] *Potestatem exercere, negligere rationem, quid tam bestiale?* Bernardus. [h] Qui se cognitioni submittit, etiam definitioni (si & hoc scire cupis) se submisisse censetur: ut late responsum a Baldo est. Etiam hoc moneo, non me loqui de subditis: illi enim submisisse se videntur non quasi arbitrio, etsi arbitrio se dedant, sed multo efficacius: ut verbum congruat personæ, de quo Baldus ibidem.

a *Bal. 3. cons. 463.*
b *Menoch. d. q 8.*
c *l. 4. de fi. li. l. 2. de statu lib. Ale. 9. cons. 73.*
d *Bal. l. 2. C. si pro pu.*
e *Alex. 2. cons. 28.*
f *Manu. pro Rabir.*
g *Ber. 3. de consid.*
h *Bal. 3. cons. 121. Alex. l. a divo Pio, de re. jud.*

CAP. XVIII.

In deditos, & captos sæviri.

UT hæc tamen ita sint: ita possunt casus contingere, cum si sævitum fuerit in deditos, & captivos, læsa justitia bellica non existimetur. [i] Magnus patrum nostrorum dux Livianus captum unum aliquem multis verborum contumeliis affectum necari jussit, alios autem tractavit humanissime. Et caussa sævitiæ in unum, quod ille si de Liviano antea loquebatur, hominem appellare belluam consueverat. Et caussa proba fuit. [k] Nec est quidquam tam servilis ingenii, quam vel apud infestissimum hostem fœditate sermonis, & petulantia dicendi abstinere non posse: ut ita Scanderbegus convicianti Hotomano respondit. [l] Et Memnon transfixerat militem, Alexandro maledicentem, elogio addito, *Ego, te pugnare contra Alexandrum volui, non ei male-*

i *Jov. 12.*
k *Scander. 3.*
l *Plut. apo. reg.*

di-

a *Plut. de loquac. Suid.*

b *Gell. lib. 20. c. 9.*

c *l. 6. C. de poſtul.*

d *Alc. 5. conſ. 63.*

e *c. 14. diſt. 50.*

f *Plut. Timol.*

g *Eccl. 26.*

h *l. 16. de pœ. l. 38. de injur.*

i *Ancb. conſ. 325.*

k *Cic. 6. fa. 7. & pro Cæc.*

l *l. 22. de adult.*

m *Card. 3. de ſap.*

n *Jov. 28.*

dicere. a Sylla ob dicteria ſibi obſidenti Athenas dicta, ſtragibus illic, & ſanguine implevit omnia: & parum abfuit, quin deleret urbem. b *Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis*: dicebat Ennius de bello quidem: ſed cujus dictum eſt ſapienter capiendum. c *Advocati non ultra, quam litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant quod cauſſa deſiderat. Temperent ab injuria*, &c. d Strenuo militi indecorum maxime, ut lingua promtior, quam armis videatur. e Etiam hic & de verbis apte illud, *Quod tibi non vis*. f Etiam ſcribit Plutarchus, *Hoſtibus conceſſa vis: virulentia autem ex odio eſt: & multi verba gravius, quam facta ferunt: & contumeliam gravius, quàm detrimentum*: itaque virum, alioqui ſtrenuum, captum necatum recitat: quia convicia in hoſtes dixiſſet. g Convicia acerbiora morte. Hic ſane: ubi licet interficere. h Etſi ſit alias injuria facti, quam verbi acerbior. i Et detractores latronibus deteriores ait interpres magnus. k Et M. Tullius gravitatem, ſapientiam, *juſtitiam* laudat Cæſaris in hoc, quod nunquam niſi honorifice nominaret Pompejum. Non itaque excuſat ſe ſatis Cæcinna, dum ait, *Summa criminis eſt, quod armatus adverſario maledixi*. Et eum merito ſupra alios Pompejanos potuit odiſſe Cæſar. Neque huc ad noſtrum tractatum poſſis afferre ſententiam Papiniani, l *Qui occidere poteſt adulterum, multo magis contumelia poterit jure afficere*. Quid enim ſimile homini flagitioſiſſimo, & turpiſſimo cum honorato, juſtoque hoſte? Turpi illi minus eſt, ſi contumeliis afficitur. Et non nego tamen, orationes dici in hoſtes, per quas illi in odium, in contemtum adducantur. Et de dicendi ejuſmodi libertate modo monui: tradidique in libris de legationibus: ac ita nunc concludo, *parcius iſta viris tamen objicienda*, quæ contumelioſa ſunt: & quæ præbere poſſunt hoſti nonnullam cauſſam ſæviendi. m Addo, nec Alexandro opus fuiſſe concionibus, nec Mario, ad vincendum: ſed feciſſe utrumque diſciplina propria militari omnia. Quod viri ſapientes adverſum orationes iſtas obſervant. Pugna armis, quæ hic contendunt, ut dixi, ad belli definitionem. Qui ſævi ipſi dediderunt ſe, non juſte ſævitiam accuſabunt, ſi quam patientur. n Tractati a Florentino peſſime, etiam & ſuſpenſi Hiſpani: quoniam peſſime ille tractatus alibi ab Hiſpanis fuiſſet. Non defendo mortis ſpeciem infamem: niſi hoſteſque ſic fe-

cerint.

terint. [a] Nam Romani juſte virgis captos cædunt, & ſecuri feriunt: quod ſui ab hoſtibus capti, immolati fuiſſent. [b] Et filiis Reguli nobiliſſimos Pœnorum captivos dederunt crudeliſſime cruciandos, perdendoſque, in patris vindictam, qui Carthagine fuerat ſæviſſima interfectus morte. [c] *Qui paſſos eſſe, quæ fecerint, indignantur?* [d] Quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ſi eodem ipſe jure utatur, ſummæ eſt æquitatis, & ſine cujuſquam indignatione juſta: ait Ulpianus. [e] *Neque enim lex juſtior ulla eſt, Quam necis artifices arte perire ſua*: de Perillo, qui imbuit auctor opus. Nec dici hic valet, non illos eſſe ſe, qui crudeliter egerint: adeoque non ſe eſſe tractandos crudeliter. Nam unum corpus ſunt hoſtes, [f] ut unum corpus eſt exercitus. [g] Unum corpus eſt eorum, qui ab una parte faciunt pacem: alterum eorum, qui ab altera. Et ſic, ab una parte qui bellum faciunt. [h] Et ſinguli tenentur, etiam ſi delictum ab univerſis patratum ſit. Velim tamen, miſericordiorem erga hos eſſe hoſtem: qui vere alieno laborant vitio. Et ſic de retaliando. Nunc tertium dico caſum. [i] Pepigerunt, Franco dedere Perpinianum infra triduum: & mox indicant ſuis de auxilio ſubmittendo: quod ut cognovit Francus: & fraudem ſenſit peti tridui, vi oppidum adoritur, expugnat, cædit impubereſque feminaſque. [k] Et qui pepigit dedere arcem, niſi auxilium ſibi adveniſſet intra dies triginta: nec ſtetit pacto: captus ſuſpenditur. [l] Et recepto Rhegio per vim a Ferdinando: Galli capti omnes de mœnibus præcipitati: quod de deditione, dum cœptas perficerent munitiones, ſimulanter egiſſent, ludificatique diu crebris colloquiis regem eſſent: & quoſdam etiam milites, incaute ante mœnia obverſantes, tormentis repente emiſſis interfecerint. Hoc tamen caſu cum de deditione conventum non eſſet; niſi cædes incautorum militum acceſſiſſet, aut niſi induciæ forſitan acceſſiſſent, indigni Galli erant eo ſupplicio: [m] quoniam tractatus ad nihil obſtringit. [n] Et multa tractantur, quæ non concluduntur. Interim vero nec quidquam eſt, quod vetet ſimulare, diſſimulare, & per dolos deſervire rebus ſuis. Huc ſæpiſſime contenditur, ut per iſtiuſmodi injectas ſpes, & tractationes, & mentiones ſecurus, ac negligens hoſtis efficiatur. Et ſtratagemata hæc nemo unquam reprehendit. [o] *Tractationes de pace non ſuſpendunt arma*: ait Philippus nunc rex Hiſpaniæ Sebaſtiano Luſitaniæ regi ultimo: quem & mo-

a *Liv. 7.*
b *Gell. lib. 6. c. 4.*
c *Liv. 26.*
d *l. 5. quod qui. ju.*
e *Ovid. 1. de ar.*
f *l. 30. de uſuc.*
g *Alex. 4. conſ. 116.*
h *Bal. 4. conſ. 329.*
i *P. Æmil. 7.*
k *Guicc. 12.*
l *Jov. 3.*
m *Decia. 2. conſ. 56.*
n *Dec. conſ. 105. 133. 315. Bal. l. 6. C. ſi quis alt. vel. ſi.*
o *Comneſt. 2.*

monet, conjicere ita Maurum hoſtem in negligentiam. [a] Expreſſe & paciſcuntur, ne per induciarum tempus facerent obſeſſi munitiones: & ut id videre obſidentes poſſint diebus ſingulis. Et nec fieri hæc poſſunt eo tempore: etſi expreſſum nihil eſt. Sed extra inducias loquor nunc. Et ſic Ferdinandum condemno. [b] Quamvis nec ignoro, aliaque eſſe exempla etiam deditiorum, qui trucidati, quoniam nec ſincere de pace egerint, & bellum intuliſſent. [c] At pulchrum eſt, non quærere, quid alii egerint, ſed quid optime actum ſit. [d] Sana enim ratio exemplis anteponitur. Condemnari quoque poſſe Ferdinandus videtur, etſi cædes militum ſuorum facta ſit. Cur enim illi ad mœnia? Et niſi igitur perfidia ſit: nec fæviri poteſt. [e] Ob perjurium, & perfidiam Ligarius necatus a Cæſare. Ille captus, ſemel dimiſſus, dedit fidem, non futurum ſe poſtea contra Cæſarem. De quo caſu & mox dico. Sed an excuſari nequit miles, qui pactus deditionem aliquam, artis puta, ubi in præſidio eſt, ſi dicit, non ſuæ poteſtatis rem fuiſſe, & eſſe eam ſibi interdictam expreſſe aut ante, aut poſt pactum deditionis? Et culpa, dolus excuſat neminem. Culpa militis, eſt, ſi neſciebat, poſſe ſe paciſci, & pactum efficere, dolus eſt, ſi ſciebat, ſe non poſſe. Et dediti igitur iſti paciſcentes hoſti ſunt. Sed tamen ſi poſt pactum advenerit prohibitio, dignus miles aliqua excuſatione eſt, & cum ipſe dominus advenerit, miſerit, qui locum nunc teneat contra hoſtem. Aliqua excuſatio eſt, ſi dominum non excluſerit. Sed peccavit in hoſtem, & in pactum tamen: de quo adſervando cavere debuit. [f] Negat Ferrarienſis dux, ſe decere ad Cæſarem proficiſci, quia teneret ſequeſter arcem Cæſari, Galloque. Qui debet quid facere, is & debet providere, ne impediatur. Impeditus tamen caſu fortuito, & vi majori, tum excuſabitur penitus, ſi aut culpa nulla dedit caſui occaſionem, aut caſui non anteceſſit. Ut ſunt iſta juris notiſſimi. Eſt nunc quartus caſus, ſi aliter jura belli violarunt, qui nunc in hoſtium poteſtatem devenerunt: [g] Nam fruſtra invocat leges, qui contra leges committit. [h] In captivos, ait Philo, ſævitum, qui injuſtis armis, & ſceleſtis conſiliis bellum geſſere etiam in feminas: quæ virorum inſtrumenta, & executrices. [i] Jure cæſi, qui araldum pene violarunt, & mox capti fuerant. [k] Irreconciliabile hic bellum creditur. Quintus eſt caſus, ſine dubio in ſubditis. [l] Etiam dico,

a *Jov.* 3.
b *Jov.* 40.
c *Diod.* 1.
d *Aug.* 1. *de civ.*
e *Hirt. de bo. Afr.*
f *Guic.* 3.
g *l.* 37. *de min. nov.* 117.
h *Phi. de vi. Mo. & de fort.*
i *Jov.* 2.
k *Dio* 42.
l *Guicc.* 12.

Digitized by Google

ſuſpenſos jure transfugas milites a fortiſſimo illo Joanne Medici, Coſmi patre magni, avo magni Ferdinandi. Etiam iſti quaſi per contractum, & per ſacramentum militiæ ſubditi, [a] Alii ſubditi ſic ſuſpenſi alibi, nec ſemel: & qui exſules. Atque de exſulibus tamen videndum forte eſt amplius: [b] ſiquidem iſti pro peregrinis, & prorſus extraneis haberi videntur. [c] Et, ne tamen longum faciam, ſic dico: quod etſi per exſilium aliquod (nam exſilium triplex) civitas pro certo amittatur: [d] quia tamen hoc eſt ad exſulis pœnam, non eum juvare poteſt. [e] Et horum temporum exſules, qui banniti dicuntur, ſive (quod quidam dicunt, & minus probatur) deportatis, ſive relegatis ſimiles ſint, in pœna degunt, non exuunt ſubjectionem. [f] Active, ut noſtri inquiunt, hoc eſt ad commodum, iſti ſunt extranei civitatis: ſed paſſive, hoc eſt, ad incommodum, non ſunt extranei. Sic & civitas data aliquando ad incommodum apud Livium: ut hic ad ſolum incommodum relinquitur. Etiam nunc ſæviet pœna in iſtos, qui in civitatem venerint, unde exſulant, nam & ubi exercitus civitatis eſt, ibi territorium civitatis eſt. [g] Magis pro his excuſandis ſubditis videndum, quod traditum a magnis interpretibus eſt, ut ſi non injuſta opinione crediderint, ſe non fuiſſe ſubditos ejus, contra quem militant, hi nec puniendi ſint, quaſi ſubditi, ſeverius ut ſic, qui ſequuti arma Gallica ſunt Mediolanenſes contra Ludovicum Sfortiam, defenduntur: quia habebant Galli titulum aliquem in eo ducatu. Et Gallis illi Mediolanenſes jam obſtricti juramento fidelitatis tenebantur. Quid privatis fiet hominibus in iſtis principum de imperio controverſiis: cum in alterutram peccare partem neceſſe eſt? Et cum quæ eſt victa, ea ſemper hoſtis patriæ, & rebellis judicetur? [h] *Si viciſſent, dicendi poſteris magni reges, qui nunc ſæviſſimi boſtes judicantur*: ait ille. [i] Illud tamen defendes, quoque, quod factum ab Hiſpano eſt, quod cum pepigiſſet exercitui Gallico, ut de regno abiret Neapolitano, id pactum de Neapolitanis, qui in Gallico erant exercitu, negabat intelligi. Nam etſi non potuerit in eos quid gravius ſtatui, ut neque in eos Mediolanenſes, propter regni illius jus multo maxime controverſum: retinere tamen Hiſpanus potuit, quod ſuum exiſtimabat. Debuerunt Galli exprimere de Neapolitanis. [k] Nec enim fieri pax debet, niſi & adhærentes noſtri poſiti in tuto ſint. Et infideliter facit, qui ſic non exprimit.

a *Guicc. 9. Na. Co. 7.*
b *Decia. 3. conſ. 86.*
c *Ant. Aug. 3. emp. 6. l. 5. de in. & re.*
d *l. 2. de pu. ju. Bal. l. omnes populi.*
e *Cla. §. fi. q. 61. Cepb. conſ. 22. 79.*
f *Cepb. conſ. 324. Liv. § 9.*
g *Dec. conſ. 410. Alc. 7. conſ. 19.*
h *Oroſ. lib. 3. c. 20.*
i *Guicc. 6.*
k *Ang. conſ. 257. Barb. 4. conſ. 62. Liv. lib. 39.*

mit. Si non ſunt expreſſi; non veniunt adhærentes. Expreſſis cautum firmiter eſt vel ſubditis, & patriæ proditoribus: ut reſponſa in jure ſunt, & ſuperſunt exempla. [a] Hiſpani & transfugas ſuſpenderunt bene: quicquid Itali indignarentur, ſuſpenſos milites quaſi latrones. Sed hæc abſolvi, & de ſubditis. Sextam noto occaſionem ſæviendi, ſi bis aliquis capitur. [b] Et ſic lego factum, bis captos fuiſſe ſuſpenſos. [c] Etiam Cæſar, quos antea ceperat, iterum captos interficit: ſtultitiæ deputans, ſervare eos, qui non ſemel adverſati fuiſſent. Atque id defendes adverſus militem non ſui principis, aut patriæ ſuæ, ſed mercenarium qui propter ingrati vitium, quod contrahit dimiſſus ſemel, & iterum tamen ferens arma contra ſuum liberatorem, dignus videri pœna magna merito poteſt: [d] quoniam eo in vitio nihil mali non ineſt, etiam injuſtitiæ; ſi gratitudo virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater eſt virtutum omnium reliquarum, ut eleganter diſſerit M. Tullius. Nihil tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non indignus modo, ſed vel victus eſſe videare. [e] Sic Macedonia in ſervitutem redacta propter hoc vitium. Et rex, regnumque Cypri publicatum. [f] Vitium hoc redigit ſub ſervitutem manumiſſos: parentes armat contra liberos, datorum inducit revocationem, certe præſtat ſemper cauſſam accuſandi, & puniendi. Cæterum ut civis, vel captus millies, tractari poſſit ad eum infamem modum, aut aliter aſperius, cauſſa nulla eſt. Neque enim non tueri patriam, aut principi ſuo non parcere quiſquam poteſt. [g] *Si arma quis patriæ meæ inferret, quicquid de me meruerat, perdidit: &, referre illi gratiam, ſcelus haberetur:* inquit Seneca: Hæc ſexta cauſſa ſæviendi, vitium ingrati. In qua de cive quod dico, id in eo intelligo, qui parcere habet. Nam Cæſaris factum defendo, qui eos captos ſic tenebat, qui potuerunt (diſtracta in partes civitate) non minus Juliani eſſe, quam Pompejani: & elegerunt Pompejani eſſe: & obſtinatiſſimi illic fuerunt. An dicerent ſemper, pœnitere ſe? [h] *Sed non eſt pœnitentia, ſæpe petere veniam de his, quæ ſæpe peccamus.* Cæſar ſic diſtinxit: eos, qui ex delectu militarunt, condonatis omnibus injuriis, inter ſuos milites adſcripſit: ex ſenatoribus, equitibus, quos ante etiam captos miſericordia fuerat proſequutus, omnes morte mulctavit: reliquos, qui tum primum contra ipſum arma tuliſſent, dimiſit: nihil eos contra

a *Jov. lib. ult.*

b *Jov. 26.*

c *Dio. 41. 44.*

d *Cic. pro Planc.*

e *Sene. 3. de benef. Strab. lib. 15.*

f *l. 5. de ju. p. l. 1. 7. 9. vlt. C. de re. do. l. 1. C. de in li. Nov. 114. Alex. 4. conſ. 40. Gott. niem.* Ingratitudo, *Sue. Cl. 23. Tac. ann. 3.*

g *Sene. ult. de benef.*

h *Cl. Alex. Str. 2.*

tra ſe deliquiſſe addens, qui, nullo ſuo beneficio affecti, ſtuduiſſent rebus Pompei, cujus eſſent amicitia uſi : immo his tribuebat plus laudis, quam illis, qui beneficio affecti a Pompejo, eum deſeruiſſent, &c. apud Dionem. [a] Injuſtus eſt, qui non tribuit cuique ſuum : ut non is tribuit, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum : quod Cicero in hac Cæſaris cauſſa differit. At ſeptimam ſæviendi cauſſam afferunt in eos, qui commeatum inferre obſeſſis voluerint, & capti ſunt. [b] Sic Carolus Burgundus capitale dicebat : & ſuſpendi eos jubebat, qui in obſeſſum oppidum, & tormentis oppugnatum ingredi, & obſeſſis opem ſtudebant ferre. [c] Vectores commeatuum in obſeſſam arcem, in oppidum obſeſſum ſuſpenſi alibi, nec ſemel, nec noviter. [d] Et in bello Senenſi poſtremo Marinianus dux plures quinque millibus agreſtium ita ſuſpendit : nec ulla arbor homicidii neſcia in eo agro ſuperfuerit. Atque hic ſcriptores ajunt, ita poſtulare rei militaris rationem, aliquando ad cæteros deterrendos ſævire in hos, qui commeatum obſeſſis inferunt. Mihi tamen, ſi quæ ſit juſtitiæ ratio, nondum liquet. Niſi hic & de mercatoribus, mercenariis eſt aliquid diſtinguendum : nam ut iſti milites non ſunt, & non patriæ adſunt, ſed per avaritiam ducti huc ſunt, ut potentiora arma contemnant, puniri & ita poſſe videntur nec militariter. [e] Mercenarii etiam naturalem amittunt nobilitatem. [f] Et milites mercatores non gaudent privilegiis militum. De aliis nullam extrico rationem. Octava, forte & juſta eſt occaſio ſæviendi, quam itidem animadverto uſurpatam, ſi cum infido, & mobili hoſte res ſit. [g] Sane contra jus belli eſſe, Salluſtius dicit, ut ut dicat etiam utile, aut alia ratione excuſet, factum hujuſmodi. Ego tamen & contra jura belli ordinaria factum ajo, & eſſe tamen ab extraordinario, atque ſingulari jure putaverim. Audi nunc Salluſtium, qui ſic de Campſanis, qui ſe Mario dediderunt, *Cæterum oppidum incenſum, puberes interfecti, alii omnes venundati, præda militibus diviſa : id facinus contra jus belli non avaritia, neque ſcelere conſulis admiſſum, ſed quia locus Jugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum, ante neque beneficio, neque metu coercitum.* [h] Adde hæc de Numidis, *Nulla jurisjurandi, fœderis, obſidum reverentia, aut reſpectus : etiam ſi obſides filii, fratres ductorum exercitus ſuorum : cum nullo pacem habent, niſi cum*

a *Cic. pro Ligar.*

b *Commin. 6.*

c *Jov. 3. 26. Cam. Pii 2. lib. 11. Plut. Demet Iſocr. adu. Callim.*

d *Nat. Co. 9.*

e *Tiraq. de nob. 34.*

f *Bal. l. 6. C. de milit.*

g *Sallu. Jug.*

h *Procop. 2. Vand.*

his, qui metu eos terrent. Adde de his alia, & de aliis barbaris, quæ
a *Liv.* 28. ubique leguntur. [a] *Fœdus barbaris fideſque ex formula*. Et dic
mihi, quid ex jure ages cum iſtis, qui veluti feræ beſtiæ, indo-
b *Dion.* 43. cibiles, & omne jus ignorant? [b] Sic Cæſar non parcit iiſdem
c *Oroſ. lib.* 6. Numidis Jubæ, qui ſe ei dediderunt. [c] Cæſar ſic ſæve tractat
c. 8. 9. Gallos aliquando, tum ob alias cauſſas, tum ut genti ad omnia
d *Dio* 40. 43. conſilia mobili terribilis exempli notam inureret. [d] Sic & Vercin-
gentorigem ultro ſe dedentem, & ſupplicem vincit, in trium-
phum trahit, necat: & maleficia illius viri ſic prævaluiſſe cen-
ſuit. Nam duas præterea cauſſas non valde probo ſævitiæ: &
quia deditio ſit facta quaſi ex conſilio credito ſalutari magis: &
quia extorta per ultimam deſperationem. Quæ enim improbitas
prudentiæ, & fortitudinis eſt? Et defendi tamen cauſſa poſterior
poſſe videtur ab his, quæ de pertinaci ſtudio differui antea ſer-
e *Sigo. lib. de re. Ita.* mone altero. [e] Et Fridericus II. Faventinis, *Qui, dum poteſt, delinquit, dignus eſt, ut, quantum poteſt, puniatur*. Et cauſſa
f *Apul.* 6. *aſi.* quoque prior: [f] *Eſt enim congruens peſſimis conatibus, contra noxiam conſcientiam ſperare ſecuritatem*. Sed jam dico nonam cauſ-
g *Herodo.* 3. *Dio.* 40. *Jov.* 2. *Cæſ.* 7. *App. Hiſp. Liv.* 28. ſam. [g] Si clades aliqua accepta ſit, ſic ſævitur in captos. Sic
alii, ſic Galli, ſic in Gallos, uſque a vetuſtis temporibus, in
mulieres, in pueros, in infantes, in confectos ætate, in templis,
alibi. Sic Avarico, urbe Galliæ, capto omnes in ea homines
cæſi a concitatis ira oppugnationis, toleratorumque in ea labo-
rum. Sic Hiſpaniæ civitas Illiturga, Romanorum antea amica,
reliquias exercitus Scipionum, eo, ut ad amicos refugas prodens
Pœnis, mox expugnata a Scipione filio deletur funditus, cæſis
h *Hom. Ilia.* 20. & mulieribus, & parvulis. Quid ſi cariſſimus occidiſſet? [h] Ne-
gat Achilles, ſe ſupplicibus parſurum, interemto Patroclo, ut
i *Virg.* 12. antea faciebat libenter. [i] Et Æneas ſic

. . . . . *furiis accenſus, & ira*
Terribilis, poſtquam, ſævi monimenta doloris,
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Sic ferrum adverſo ſub pectore condit

Turno ſupplici. Sic antea neque pepercit ob eumdem Pallantem
k *Plut. Alex.* aliis ſupplicibus: ut dico ego poſtea. [k] Sic Alexander Coſſeorum
gentem evertit ad Hephæſtionis inferias, & ad magnitudinem

do-

doloris ſui mitigandam. Hoc tamen injuſtum facinus: ſi Coſſei nihil fecerunt in necem Hephæſtionis. [a] Selymus, multos occidi juſſit juſtius, ſic ut parentaretur manibus Sinambaſſæ: quem unice delleverat. [b] Dolor maximus de his eſt, quæ (ut rixa metusque) tollunt conſilium: & credi faciunt, non exceſſum dolo modum. [c] Dolor nimius non deliberat, non verecundatur, non conſulit rationem, non metuit dignitatis damnum, legi non obtemperat, judicio non adquieſcit, modum ignorat, & ordinem: id omnimodo, & ſolummodo ſatagente animo, quo vel careat, quod ſe dolet habere: vel habeat, quo ſe dolet carere. Quæ Bernardus. Et quæ ſunt ejus generis alia paſſim. Non juſtificat, ſed excuſat ſævitiam dolor. [d] Non juſtificat: quia etſi dolor tollit conſilium, non tamen tollere debuit: ut ſic qui per dolorem quid illicitum facit, is non in totum non punitur, ſed mitius punitur, & multum excuſatur, docente Baldo. [e] Ubi cecidit victorum dux Aurantius ad Volaterras, ibi captus cæſus dux hoſtium hoc quoque dicitur nomine, ne dux captorum evaderet, ubi dux occidiſſet capientium. [f] Et propter vulnus acceptum, etſi leve Scipioni apud Iliturgam etiam ibi ſævitum: & propter vulnus ducis læviri potuiſſe, notatum habes apud Pauſaniam: nec ſævitum tamen. Sane vero ſic decet, belli impetus, quantum pote eſt, obligare: [g] quod Liberique tyrſo, multa obvoluto hedera, admoneri notant. Sic ad amplas illas ſuperioris diſputationis formulas deditionum hoc addendum eſt. [h] Et quod ſi conceſſum tibi eſt, ut nocere etiam poſſis, id tamen accipiendum moderate eſt. [i] Si, ut poſſis arbiter auferre de jure noſtro, etiam ut auferas moderate, & in parva quantitate: ſi, ut in magna quoque, ſane quidem ne ſit nimis magna. Cum id genus aliis quæ obligant poteſtatem exorbitantem? An ergo dicemus decimam hic cauſſam, ſi a ſuo principe, aut a ſuis aliis redimi captivi negliguntur? [k] Utique Perſa rex multa necavit millia, quos redimendos, duobus in ſingulos aureis, Mauritio imperatori: & is redimere neglexit. [l] Sic Hannibal captos ad Cannas. At ego non video, cur iſthæc fieri poſſint. Nihil ille princeps peccat in hoſtem: ſi nullum eſt juris vinculum, quo hoſti adſtringatur redimere. Aut num dicimus, iſtud immo vinculum eſſe, quia vinculum eſt exadverſo, redimendos præbere? Et adfirmemus illic tanto magis, ubi capti non fiunt ſervi, ſed in hoc habentur, ut pretium ha-

[a] *Jov. 17.*
[b] *Alex. 1. conſ. 109. Gotia mem. defenſio.*
[c] *Ber. ep. 1.*
[d] *Bal. l. 18. de ſta. hom.*
[e] *Jov. 29.*
[f] *Pauſ. 3.*
[g] *Macr. 1. Sat. 19.*
[h] *Caſtr. l. 2. de aq. p. a.*
[i] *Bar. l. 6. pro ſoc.*
[k] *Nic. Call. ult.*
[l] *P. Diac. 3.*

habeatur redemtionis, alioquin oneroſi habentibus: utique id mihi jus videtur, ut vinculum utrinque ſit. Nec jus pacti de revendendo eſt huic juri ſimile: eſt enim a proviſione partis, quæ ſibi providet, non & alteri: hoc autem jus a proviſione legis eſt, quæ pariter providet utrique bellanti. Et de hoc tamen quicquid eſt; in quæſtione propoſita dicam audenter, non eſſe iſtos captivos deſpectos tractandos durius: ne afflictio addatur afflicto non ex ſua culpa: qui nunc, & eſt capientis magis, quam primi principis. Atque de his quoque tu cogites. Hactenus vero de captivis per tempus belli. De ſequenti habet ſequens liber.

CAP. XIX.

De obſidibus.

DE obſidibus nunc eſt dicendum, qui videntur veluti captivi. [a] Ut ecce filium Philippi, & filium Nabidis obſides duxit Quinctius ante currum, non quaſi captivos? *multi nobiles captivi, obſidesque*, inquit Livius. [b] Et obſidatum nihil aliud, quam ſervitutem eſſe, dicebant Parthi. [c] Et ſic noſtro jure facere teſtamentum non poſſe videntur, ut nullus hoſtium potitus. Et reſcriptum recitatur Commodi, per quod obſidum bona, *ſicut captivorum*, omnimodo in fiſcum cogenda veniunt. Sed vere non ſunt iſti captivi. [d] Et articulus *ſicut*, in reſcripto eſt pro altero *quemadmodum*: qui nihil præterea ponit, quam id, quod nectit ſimilitudinem, ut in reſcripto ſimilitudinem nectit de bonis tantum. Facere autem teſtamentum non poſſint obſides: quoniam cives non ſunt illic, ubi obſides ſunt. [e] Ut cives eſſe debent, ſcilicet, qui facere teſtamentum volunt. Si etenim ſervi eſſent, bona eorum nulla eſſent. Atque coguntur bona obſidum in fiſcum quaſi vacantia, cum nullus ſit obſidum hæres in civitate, [f] quæ civibus ſolis præſtat jus ſuccedendi. [g] Quod ſi ergo accepiſſent obſides togæ Romanæ uſum, id eſt, civitatem Romanam impetraſſent, tum hæreditatem habere in civitate poterant. Et civitatem tamen impetrare non potuiſſent, & eſſe, ac manere obſides, ſervique. [h] Inepti ſunt, qui aliter tradunt de ſtatu obſidum. Et ſunt tamen interpretes magni, qui ſervos dicunt, non datos tamen inter Chriſtianos. Sed nec ſervi ſunt, qui dati Turciſque

ſunt

a *Oroſ. 4. c. 20. Liv. 34.*

b *Joſe. 18. ant. 4.*

c *l. 11. qui te. fa. po. l. 10. de te. mi. l. 31. de ju. fi.*

d *Jaſ. l. 6 filius. de lib. & po. l. 4. C. de inſt.*

e *Bal. 1. conſ. 460. Cuja. l. 11. qui te. f. p.*

f *l. 1. C. de ber. inſt.*

g *l. 32. de ju. fi. & Bal. d. 460.*

h *Acc. alii d. l. 11. & c. 9. de jure jur.*

sunt a Christianis, nam dati in pignus sunt, non in servitutem. [a] *Obsides sunt, qui fidei publicæ servandæ causſa principi, aut duci exercitus dantur*, ut sic recte Baldus, & Hugo Donellus. Qui & docent, quod nos, captivis male obsides comparari. In illud venit obses periculum, ut, si hosti non servetur fides, etiam occidi valeat. [b] Equidem plures interfectos scimus. Thessali interfecerunt aliquando ducentos & quinquaginta. Romani Volscos, Auruncos trecentos. [c] Gothi Romanos. [d] Daci mutilarunt. Angli item necarunt. [e] Et vero sic jus belli creditum. Et atrox tamen visum optimis imperatoribus, supplicium de innoxiis sumere obsidibus, [f] ut historiæ narrant de Narsete, Carolo magno, aliis, qui pepercerunt. Quod si ipsi peccarent obsides; tum non foret sententia atrox, quæ obsides damnaret. Sic & truncati capite, qui post suorum perfidiam dimissi, ut tamen non ipsi quoque se adderent perfidis, & contra hanc legem addiderunt se suis. [g] Sic Tarentini, qui fugere tentarunt, retracti Romam, virgis cæsi, & de saxo dejecti. [h] Licuit (ait Bodinus) semper, obsides fugientes necare; etiam si expressum pactis de hoc non esset. [i] Et nec istos tamen, Clæliam, & socias, sic mulctat Porsena, sed honorat remissas ibi (quod jus est.) a Romanis. Jus hoc esse dico, quia obsides non sunt captivi, quibus fugere jus est. Obsides enim dati sunt ex conventu, ut apud hostes sint; quam non licet fallere conventionem: [k] non magis quam recipere rem datam pignori citra furti crimen: [l] ergo juste Eduardus III. rex Angliæ Gallum accusat, quod contra jus fœderis receperit obsidem fugientem. [m] Videtur is facere furtumque sui, quemadmodum fugiens servus eoque nomine etiam accusandus recipiens. Si item obsides sic obligantur, ut, si vel unus eorum fugisset, soluta omnibus esset fides, atque unus fugerit, videri, reliquos morte affici posse. [n] Sic Athenienses ex facto interfecerunt reliquos. Videntur enim nunc & invicem obsides: [o] & quasi duo rei invicem fidejussores. [p] Ait Baldus, quæstionem esse difficilem, si duo æque principaliter obligati videantur invicem fidejubere, alibi sic probat tamen. Et hic ita expresse prospectum est. Neque illæ rationes huc afferentur: [q] non esse membrorum suorum, aut vitæ suæ quemquam dominum, & ad pœnam corporalem posse neminem se pro alio obligare: & non valere illas conventiones de se dedendo in manum, & arbitrium offensi hostis. Vides enim con-

a *Don. 4. com. 21. Bal. l. 2. C. de pa. qui fi. di.*
b *Plut. de cla. mu. Liv. 2. Diony. 6.*
c *Procop. 1. Goth.*
d *Polyd. 5. 7. 15. Bod. 1. de rep. 10.*
e *Flor. 3.*
f *Agath. 1. Goth. Com. 2. P. Æmil. 2.*
g *Liv. 25.*
h *Bod. 5. de rep. vit.*
i *Liv. 2.*
k *l. 12. de fur.*
l *Polyd. 19.*
m *l. 1. C. de ſer. fug.*
n *Thucid. 4.*
o *l. 11. de duo. re.*
p *Bal. 1. 108. rep. 5. 466. 1. 285. 5. 155.*
q *Aret. Inſt. tis. 1. Rom. conſ. 15. Gepb. 690.*

contra esse ubique in hoc bellico negotio, ubi & necessitas sic postulat: puta, ut nunc sumus in obsidibus: cum non sit magistratus, qui ratas efficere pactiones, & ulciscí crimina possit. [a] Quamquam & valere illiusmodi conventiones dicantur, si moribus receptæ sint. At vero si qui obsides accepit, is illos invitos invicem velit obligare, hoc juste non poterit, quia non sic addere primæ legi potest. Posse, mihi videtur. [b] Quicquid Baldus scribit, invitum non obligari istum hic subditum, & neque infantem, aut similem alium. Nam a civilibus definitionibus ad has gentium argumentatur, cum ratio diversa est, & observatio. [c] Etiam constitutio jus est, & ea est in more, & judicato. Et Baldi tamen auctoritas multum tueri obsides valet, & nemo sibi obligat alterum invitum. Princeps, civitas obligat obsides vel nolentes, jure potestatis: quodque civis patri, patriæque debet. [d] Vasallus quidem nequit obses invitus dari: nisi id sit in investitura expressum. [e] Sed subditi tenentur magis obedire, quam vasalli, [f] eosque cogere ob publicum commodum princeps potest. Atque sic si ipsi peccarunt obsides. Cum alii peccarunt, mihi quoque atrox videtur, si obsides puniuntur. Sed & justum est, & expedit. Sic enim fides, rerum pretiosissima, asseritur; & jus delicatissimum militiæ. Neque is unus est casus, cum alius peccat, alius plectitur, ut per varias, & multas rationes discussi in quæstione de filio perduellis puniendo. [g] Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Sed & sic venerunt obsides, itaque pœna ex conventione est. [h] Et ergo justa; sicut si ex culpa veniret, aut ex peccato, quod theologique scribunt. Inquit autem Jo: Bodinus, desitum esse, occidere obsides, postquam Iperni fides cœpta est, quasi nimis sæpe patrandæ hodie essent cædes istæ atroces innoxiorum obsidum, si sic perfidia aliena semper vindicaretur. At ego contra putem, desitum esse servari fidem, postquam omitti vindicatio perfidiæ cœpta est. Ut vitia evolent impunita. Nunc de custodia obsidum. Et liberi cum sint, utique liberaliter sunt custodiendi. Et poterunt tamen ita custodiri, & custodiri ita solent, ut fugere non possint. [i] *Ut in privato obsides servarentur, neque in publicum prodeundi facultas daretur*: legis in historia Romana. Scilicet obsides accipiuntur, quia non fiditur. Et non igitur videndum est, quid jure possint, sed quid quoque possint mo-

a *Menoch. de arb. q. 7.*

b *Bal. l. 2. C. de pa. qui fi. dr.*

c *Quinctil. 7. c. 5.*

d *Cuja. 2. de feud. 7.*
e *Natta cons. 414.*
Bello. 49.
f *R p. l. 8. de leg. 1.*

g *Tac. ann. 13. 14.*

h *Bellar. 5. contr. 3. c. 11.*

i *Liv. 33.*

modo; & ut pignus fidei omni modo ſalvum ſit. Quæro præterea duo: unum, ſi obſides, in unam cauſſam dati, poſſint in aliam retineri: alterum, ſi principe mortuo, qui dedit, aut pro quo dati ſunt, retineri nihilominus poſſint. Et in primo, vel ſi obſides ſint quaſi pignus, reſpondendum eſt, retineri eos in cauſſam aliam non valere. [a] Nam *ſi in ſortem duntaxat, vel in uſuras obſtrictum eſt pignus, eo ſoluto, propter quod obligatum eſt, locum habet pignoratitia.* [b] At ſunt obſides quaſi illi, qui in carcere poſiti ſunt ob debitum unum: quique ibi nequeunt propter aliud retineri. Ut in reſponſo quodam Baldi eſt. Ubi, quod pignoribus etiam improprie carcerati conferantur, & obſides. Quare nec eſt diutius de primo iſto diſceptandum. [c] Etiam in Lectura ſic tradit Baldus, obſides non eſſe pignori & itaque non ſervire: non venire aliis pro prignore: ſimilia non pati habere: [d] non ligari, at teneri cuſtodiis, Servius notat ad illud Virgilii, *Et fluvium vinclis juvaret Clælia ruptis*: ubi putem ipſe tamen figuratum ſermonem eſſe de juris vinculis. [e] Secundum Romæ contigit, & pronunciatum facto fuit, obſidem non eſſe liberum. Quod magnum præjudicium eſt: niſi ſi parvum ſit, quia judicium fuit in cauſſa propria Romanorum, ſic pro ſe judicantium. Neque tamen decet, ita convellere ejus ſenatus, & populi auctoritatem. [f] Per noſtras leges liberatur fidejuſſor tamen, qui ſpopondit, *Titium non facturum*, iſto mortuo. [g] Etiam diſtinguendum videtur, an dictum ſit, *Titium regem Syriæ non futurum*: & itidem liberetur fidejuſſor moriente Titio: an ita, *Syriæ regem Titium non facturum*: & fidejuſſor non liberetur. Quaſi in priori caſu adjectum de rege ſit ad demonſtrandum, quis ille ſit Titius, pro quo promittitur: in poſteriore de Titio ad oſtendendum regem qui tum eſt: Si in priori ſit conſiderata perſona organica, & pro ea promiſſum ſit: in poſteriori autem ſit perſona myſtica, & pro ea promiſſum. Et finiat itaque prior promiſſio: quia perſona organica finit: non finit poſterior: quia myſtica non finit. Verum, ſi iſtæ diſtinctiunculæ juris civilis obtinere hic habeant, alius cenſuerit. [h] Portius hanc ipſam verbalem, non realem, ſpernit. [i] Et alii alias non laudant. [k] Illa potiora: quod plerumque perſona pacto inſeritur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum eſt. [l] Et nomen, quod profertur principaliter, illud attendatur: de

a *l.* 11. *de pign.*

b *Bal.* 5. *conſ.* 90.

c *Bal. l.* 2. *C. de pa. qui fi. dr.*

d *Servius Æneid.* 8.

e *App. Syria. Juſt.* 34.

f *l.* 7. *de co. & de.*

g *l.* 37. *de ſti. ſer. not. l.* 2. *de off. ei.*

h *Port. rule. Inſt. de oblig.*

i *Bal. l.* 112. *de V. O.*

k *l.* 7. *de pact.*

l *Bal. C. de de. li. to. & l.* 8. *C. qui te. fa. po.*

de qua principalitate etſi appareat aliquando ex ordine, magis tamen ex eo ſemper, quod in contrarium deductum eſt: & ex perſona, quæ iſtud exſequi & implere habet, ac poteſt. Quæ Baldus explicat. [a] Et leges inquiunt, *Non ordo ſcripturæ ſpectatur, ſed potius ex jure ſumitur id, quod agi videtur. Ordo ſcripturæ non impedit cauſſam juris.* Et ſic ſentio in ſupra propoſita ſpecie. [b] Nam caſus ſunt, cum non tranſit res in ſucceſſorem: etiam & cum nomen proprium nullo modo adſumtum eſt: ut cum eſt factum compromiſſum in regem: cum eſt dictum, pro honore regis quid fieri: etſi additumque & pro honore majeſtatis. Nam perſonam reſpiciat nomen regis: & ergo parte hac mixti exſtincta, exſtinguatur mixtum, & pars altera, quæ reſpicit dignitatem cum vocabulo majeſtatis. Ut gemino reſponſo eſt apud Baldum.

a *l. 6. de ſolut. l. 77. de l. g. 2.*

b *Bal. 3 conſ. 121. 217.*

CAP. XX.

De ſupplicibus.

AGe vero videamus nunc de his, quæ maxime fiunt inter arma, & prælia: & quæ ad hanc belli gerendi partem reſtare ſola videntur. Et primum de ſupplicibus. [c]

c *Virg. 10. 11.*

Inde Mago procul infenſam cum tenderet haſtam,
Ille aſtu ſubit, ac tremebunda ſupervolat haſta,
Et genua amplectens effatur talia ſupplex.
Per patrios manes, & ſpes ſurgentis Juli,
Te precor, hanc animam ſerves.

Sic & Liger ſupplicat. Sic & Turnus:

Ille humilis, ſupplexque oculos, dextramque precantem
Protendens.

Et non his parcit pius Æneas. [d] Ut neque Achilles parcit ſupplicibus poſt Patroclum interemtum. Non parcit Æneas Mago: nam *belli commercia Turnus*

d *Macr. 1. Sat. 2.*

Suſtulit iſta prior, jam tum Pallante peremto.

Non quod Pallas ſupplex, cui Turnus non pepercerit: ſed quod in tanta rei acerbitate, quam Turnus effecit, mitiora iſthæc hoſti reddere Æneas non habuit. [e] Sic *Vitellio reſcriptum, Sabini cæde, & incendio Capitolii diremta belli commercia.* Æneas

e *Tac. 3. hiſt.*

non

non parcere habuit Ligeri: qui veſanus multa prius in Æneam maledicta, aut ſuperba effuderat. Et itaque pius heros, *Haud talia dudum, Dicta dabas.* Et nos antea de his maledicis adnotavimus. Non Turno parcere habuit: [a] quicquid diſſertet Caſertanus contra. Etenim inferiæ dandæ Pallanti fuerant hæ gratiſſimæ. Ergo immolat Turnum, non ſimpliciter interficit. Et nec ipſe immolat Æneas: nam *ſtetit acer in armis Æneas, volvens oculos, dextramque repreſſit: Et jam jamque magis cunctantem flectere ſermo Cœperat.* Pallas eſt, qui immolat. Et factum hoc ſtat ex illa religione: [b] ut bene defendit contra Lactantium Piccolomineus doctiſſimus, ſimul & Torquatus Taſſus. [c] Perſepolim exſcindendam dicebant Græci, & urbis ejus exſcidio parentandum majoribus. Et non ſunt ulla aut Ariſtotelis, aut cujusquam alterius documenta, quæ non cedant religioni. Etiam ſenſus concedunt. [d] Opinio veriſimilitudini, intellectus rationi, fides auctoritati innititur. Fides rationem non quærit, ſed ante rationem credit: quia nec quidquam ſit magis contra rationem, quam per rationem illuc conari, quod ſupra omnem eſt rationem. Quæ Bernardus. Et quæ apta omni religioni, ac fidei. Verum & immeritus Turnus, cui alias parceretur; qui fœdus a regibus ictum, turbavit: unde aitque Latinus, [e] *Arma impia ſumſi*: & de ſuis, & de Turno antea,

Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas,
O miſeri: te, Turne, neſas, te triſte manebit
Supplicium.

Turnus contraque pactum, a ſe cum Æenea initum, decurrit: Æenea abſcedente vulnerato per perfidiam: qui pactum firmum facere conabatur: etiam poſt acceptum vulnus,

Ipſe neque adverſos dignatur ſternere morti:
Nec pede congreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat.

Et percuſſo a Meſſapo, magno hoſtium ductore, vix tandem iræ aſſurgunt. Et tum, *Multa Jovem, & læſi teſtatus fœderis aras, Jam tandem invadit medios.* Et ergo utrumque illud, *Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat: & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.* Adde illa Scaligeri, [f] *Neque deprecantem Turnum interficit, donec alteram fortitudinis partem potiorem ducat: ultionem ſcili-*

a *Caſer.* 2. *de ſi. ec.* 7.

b *Picc.* 6. *mo. phi.* 12. *Taſſ.* 1.

c *de nob.* 1. *Cur.* 6.

d *Ber.* 5. *de conſi. & ep.* 190.

e *Virg.* 7.

f *Scalig.* 3. *poet.* 12.

cet neceſſitudinum; itaque ne ſe quidem auctorem vult facere, ut alibi, Æneæ magni dextra cadis. *Sed rejecit in neceſſitatem: & Pallanti immolat tamquam inferias pro victima, non tamquam hoſtem, qui bellum intulerit: non rivalem, qui uxorem petat: non fortunarum depopulatorem, qui regno arceat.* [a] Etiam Evander hic agit, qui Æneæ ait, *Turnum gnatoque, patrique, quam debera vides: maritis, vacat hic tibi ſolus, fortunæque locus*, &c. Non dico ſtrages a Turno editas: non verba contumeliosa dicta etiam in Æneam,

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat, & ſeſe occulat umbris.

Sic ignavos Æneadas, ſic Æneam deſertorem Aſiæ, ſemivirum Phrygem vocitat, & per opprobrium exprobrat ei *crines vibratos calido ferro, myrrhaque madentes*. Propter quæ nec parci Turno oportuit. Sed & in ardore pugnæ quomodo exaudientur ſupplices? Et neque jus exigit, ut tum parcatur: cum inconſtans ſic quæreretur victoria. [b] Decet bellatorem hominem in conflictu adverſus hoſtem omni poſthabita manſuetudine, atque clementia fævire: ut inquiebat Pauſania. Et ſic Lacedæmonii cum Homero Martem vocarunt *immiſericordem*, *inſanum*. Et ſic alia ſunt. Victoria jam certa ſupereſt quæſtio. [c] Atque ſcribit Plato, *Omnium, tum in cives, tum in peregrinos, maximum eſt peccatum, cum peccatur in ſupplices.* [d] Et Heſiodus, *Par eſt delictum, ſi quis & ſupplicem, & hoſpitem malo afficiat.* [e] Aliquis autem legislator, *In ſupplices beneficum eſſe, id opus conveniens eſſe & humano generi.* [f] Et Siracides, *Supplicem afflictum ne abjicias.* [g] Sic Cicero non ſemel ait, probare vulgo omnes, ut quiſque afficiatur miſeratione ſupplicum: atque eſſe ferinum penitus, in eos ſævire. [h] Immo canibus pejores dixerit Ariſtoteles hos, qui ſupplicibus non parcunt. Canes non mordent proſtratos. [i] *Non armatos, neque in prælio belli jure, ſed ſupplices interfectos*: ſic Salluſtius infamat. [k] Deo curæ ſupplices: ut ajunt alii. Et idem Plato, *Deus afflicti ſupplicis cuſtos eximius.* [l] Et ille, qui Ætolos hortatur ad deditionem, *Verecundiam ſupplices violandi, imponetis Romanis.* [m] Et itaque Priamus contra Neoptolemum, *At non ille, ſatum quæ te mentiris, Achilles Talis in hoſte fuit Priamo: ſed jura, fidemque Supplicis erubuit:* [n] Supplices ſacroſancti. Et contra eorum violatores ira Dei implacabilis: ut legis apud Pau-

a *Virg.* 11.

b *P. Valer. hiero.* 1. robur. *Serv.* 8. *Æneï.*

c *Pla.* 3. *de legi.*

d *Heſio.* 1. *op.*

e *Tyb. conſi.* 1.

f *Eccl.* 4.

g *Cic.* 1. 2. *de inv.*

h *Ariſt.* 2. *rh.*

i *Sal. or. de re.* 1.

k *Diony.* 8.

l *Liv.* 36.

m *Virg.* 2. *Æneï.*

n *Pauſ.* 3 7.

Pauſaniam. [a] Et apud Euripidem, [b] qui philoſophus ſcenicus nuncupatur, [c] & cujus ſinguli verſus ſingula teſtimonia cenſentur, ſic habetur, ſupplicem interficere haud fas eſſe. [d] Et Thucydides de Græciæ ritu hæc adfirmat. [e] Et de Pythagora hoc idem defendunt alii, non eſſe ſupplices violandos. Atque hæc igitur plurima ſunt, ex quibus jus poſſit confici, quod veſtigamus. Ecce enim ſic tradunt philoſophi, legislatores, theologi, poetæ, hiſtorici, Romana hiſtoria, Græca, barbara. Sed videndum eſt tamen, ſi de ſupplicibus, qui in templa confugerunt, & itaque tutis per loci religionem, capientur ſupradicta. [f] Nam & ita ſignificat Plutarchus alicubi. Et quædam ita ſunt. [g] Et Tacitus ait, *Liberum patrem bello victorem ſupplicibus Amazonum, quæ aram incenderant, ignoviſſe.* [h] Et Alexander ita Tyriorum præcipuis parcit, qui in templum Herculis confugerunt: etiam regi. [i] Ageſilaus, etiam vulneratus, his parcit, qui ad templum perfugerant: & iræ religionem ante tuliſſe narratur. Nec modo veneratus eſt in Græcia, ſed & apud barbaros templa. [k] Et ſic hoſtes ſimul ſunt Delo, ſanctitate templi inſulæque præſtante omnes inviolatos, & inducias præbente religione. Etiam rex ipſe Perſeus victus a Romanis, & profugus illic tutus. [l] Vandalis parcit Beliſarius: atque ſuſcipit illos ſic in fidem: qui profanatores & erant templorum, & cultu Arriano: armatos autem tantum exarmat. [m] Parcit Totila perfugis in templa, iterum capta Roma. [n] *Quod belli jure fieri licuiſſet, illicitum ſibi eſſe judicarunt*: ait hic Auguſtinus de Alarico, qui ſic reveritus templa. Sed in eo errat theologus, ſi licitum in templis dicit, contra quam defendimus nos. Et verò non legerat, aut non meminerat ſupra narrata a nobis: qui & ſcribit, non legi factum unquam, ut iſtis parceretur. Immo Priamum occiſum fuiſſe ad aram. Immo enim, inquam ego, notatum, ſi quando factum non fuit. [o] *Nec religio inter arma hoſtilia ſupplices texit*: Seneca notat. Quid de Priamo? Ei uxor, *Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes*. Sed ille linguam armat, & manum: non ſedet ad aram ſupplex. Nec igitur parcere Priamo neceſſe fuit, aut jus. Cæterum neque juri huic locus forte ſit inter diverſarum religionum homines. [p] Nam ecce Macchabæi & templa, & perfugas in templis combuſſerunt. [q] Templa noſtra Saxones, olim idolatræ, incenderunt. At iſta non recito: quæ nec ſunt pauca. [r] Ni-

a *Lutia. pi-ſcat.*
b *Ath. 13.*
c *Q. Cic. vit. ſ. 8.*
d *Thucyd. 3.*
e *Diod. 11. 12.*
f *Plut. de ſuperſt.*
g *Tac. ann. 3.*
h *Arria. 2.*
i *Cor. Nep.*
k *Liv. 44. Plut. Æmil.*
l *Procop. 1. 2. Vand.*
m *Procop. 3. Goth.*
n *Aug. 1. de civ. 2.*
o *Sen. 7. de benef.*
p *1. Macc. 5. & 10.*
q *P. Æmil. 2.*
r *Nicet. Andr.*

Nicetas id contra Latinos exclamat, diripuiſſe eos templa, & ad ea refugis non peperciſſe: & Turcas humaniores: qui captis Hieroſolymis nec matronas violarunt, nec ſepulchrum fœdarunt, [a] Ratio autem contrariorum factorum (ſi eorum eſt ratio, quæ non probes) hæc fuerit, quod loca ſacra eſſe deſinunt capientibus, quæ erant ſacra captis. Communis religio poteſt tueri fugientes ad loca ſacra, quaſi fugientes ad vinculum, quod per bellum non ſit ſolutum. [b] *Unitate religionis ſociatæ gentes conſcientiam aliæ aliarum implorant.* Sic ſupplicant confugientes ad loca ſacra. Et quia ſupplicant, parcendum ſic eis eſt. Supplicatur tamen & per communionem naturæ, quæ communis manet ſemper, ſi homines non ſint feræ. [c] Natura communis etiam eſt hoſtibus, ut inquit Baldus. Et ſic ſupplices poſſunt ubique eſſe. Et ſive ad genua accidant, ſive attingant genas, barbam, mentum, aut etiam oſculentur victoris, ([d] quæ rationes olim ſupplicandi) & ſive aliter, verbo, nutu ſignificent ſe ſupplices. Parcendum eſt ſupplicibus. [e] Quæ ab Athenienſibus indicata lex, & ab aliis excepta gentibus dicitur, & nunc oſtenditur. Remedium potentiſſimum, quo hoſtis placetur. [f] *Non veniunt* (ait ille) *ſupplices, ne animus tuus creditus immitior videatur, qui nonniſi extremis remediis poſſit placari.* At unum nunc audi. Neque etiam atrociſſimis olim hoſtibus, nunc ſupplicibus parcitur, ut Gilippus recte apud Diodorum. Parcitur his, qui innocenti animo, aut communi culpa humana, vel fortunæ coguntur inclementiam experiri, vel non extraordinarium ſacinus deprecari. [g] Civitatum illarum refugii jus, quod in lege Moyſis eſt ſcriptum, hic ſupplicibus aptabitur rectiſſime. Velim jus aſyli his eſſe; [h] quod itidem infelicibus tribuitur recte; aut in dubiis cauſſis, ut interim tuti ſint, qui eo fugiunt, donec liqueat de re. [i] Alioqui ut ſunt aſyla ſublata merito, quæ invitare malos, adve malum videntur: ita ego, ſupplicibus læpe occluſas eſſe debere victoris aures, ajo. Audiſti de deditiis.

a *l.* 36. *de relig.*

b *Oroſ.* 5.

c *Bal.* 5. *conſ.* 54.

d *Eurip. in tr. Iphig. Hecu. Andr. Me. Elec. Bacc. Suppl. & Aug. de cu. pro mor.* 5.

e *Diod.* 13.

f *P. Æmil.* 1.

g *Deut.* 19.

h *Mor. Rich. M.* 1. *reg.* 1.

i *Str.* 14. *Pap. prati. for. inq.*

CAP.

CAP. XXI.

De pueris, & feminis.

DIgni, quibus semper parcatur, pueri, & dignæ feminæ sunt. [a] *Femina nomen hostis non capit*, inquit Seneca. [b] Et alius, *Stat sexus rudis, insciusque ferri*. [c] Et ergo quod tractare nequeant arma, sicut clerici, excluduntur a feudis feminæ. [d] Sed & *corporalia munera feminis ipse sexus denegat*. Aut quid peccatum a pueris, a feminis est. [e] Et ergo his parcitur. [f] *Cum captivis, & feminis gerere bellum non soleo, armatus sit oportet, quem oderim*, dicebat Alexander. [g] *Jure belli in armatos, repugnantesque cædes*, ait Livius. [h] Sic parcit pueris Pausania: & sic respondit, pueros participes factionis non esse. [i] Atque leges nostræ, quod adfinitas crimen non admittit: & quod isthæc ætas, quod videt, ignorat: & quod in parvulis nulla deprehenditur culpa: & quod affectu carent. [k] Ea ætas ignorat dexteram, & sinistram: dicit Deus, quod est, boni, & mali differentiam ignorat. Sed hæc sexcenta sunt. [l] *Arma habemus* (inquit Camillus) *non adversus eam ætatem, cui, etiam captis urbibus, parcitur, sed adversus armatos*. Nota est historia impii pædagogi Faleriorum puerorum. Addit autem dux Romanus, *Nobis cum Falisciis, quæ pacto fit humano, societas non est, quam ingeneravit natura, utrisque est, eritque, sunt & belli, sicut & pacis jura*. Recitant aliique hoc Camilli factum, & cuncti laudant. [m] Immo Valerius Maximus facit judicium senatus, ut pueri remitterentur. Et factum refert in tractatum de justitia. [n] *Camillus vir sanctus, & sapiens eam sciebat veram esse victoriam, quæ salva fide, & integritate pararetur*, ita Florus. [o] *Fœdum facinus visum Camillo, qui ad suosque Sæva res bellum est, cumulumque secum trahit injuriarum, & violentiæ. Sunt tamen bonis viris certæ belli leges: Neque enim ita est ad victoriam incumbendum, quin sceleste, & impie factorum nomen declines*, ita apud Plutarchum. [p] Respuit, & abominatus est Minos oblatum sibi Nisi a Scylla filia crinem fatalem,

. . . . . *Minos porrecta refugit:*
Turbatusque novi respondit, imagine facti:
Dii te submoveant, o nostri infamia secli.

a *Sene. 4. Oct.*
b *Stat. Syl.*
c *Alex. 1. cons. 30. Dec. 130.*
d *l. 3. de man. & hon.*
e *Cepb. cons. 699.*
f *Curt. 5.*
g *Liv. 28.*
h *Herodo. ult.*
i *l. 1. ne vir fi. le. pe. de fi. li. l. 22. C. de pœ. l. 1. C. de fa. mo.*
k *Jonæ 4. Hieron. ep. 7.*
l *Liv. 5.*
m *Val. 6. c. 5.*
n *Flor. lib. 2.*
o *Plut. Cam.*
p *Ovid. 8. Metam.*

Hæc

a *Virg. Ceiri.* [a] Hæc illa furibunda, quæ reſpondit,

At belli ſaltem captivam lege necaſſes.

Neque enim hæc eſt lex belli in viros, & tanto minus in feminas. [b] Ut vero qui cum parricida conſpirat, parricida cenſetur, & quaſi parricida punitur: ita Minos filiam parricidam eſt deteſtatus, Camillus parricidam pædagogum: [c] nam præceptorem ſanctum voluere parentis eſſe loco. Et itaque, vocari in jus nec poſſe ſine venia, voluerunt, tanquam parentes a liberis. Læſa porro videri poterant jura belli, ſi pueros illos accepiſſet Camillus; quoniam ut nocere illa ætas nec ſolet, nec poteſt: ita neque noceri eidem debet. Læſa & naturæ ſocietas foret, quæ omnino illi manet ætati, quæ in nullo eam violavit. [d] Et ſicut, ad jus publicum quod attinet, nihil eſt jus paternum: ita nec ad jus naturæ filiis diſperdendum, quod a patre nec eſt, faciat quidquam paternum jus, & factum paternum. [e] *Liberis, quæ non a patre, ſed a genere, a civitate, a rerum natura tribuerentur, ea manere incolumia*, non eripi propter crimen paternum, dicit Alphenus, dictat ratio. Quo igitur in facto naturalis ratio læditur admiſſo, id admitti nec debet. [f] Hoſtilitas cum nullo tollit obligationem naturalem, tanto minus cum his. Ut vero conſilium Camilli laudatiſſimum eſt, & a nobis probatur, qui remiſit ductos ſibi pueros, & pædagogum ductorem: ita nec laudabitur, nec probabitur diverſum [g] Ariſtomenis in Lacenis intercipiendis virginibus factum, & pretium exactum pro earum liberatione. Ætas puerorum infirmior, ſexus mulierum infirmior. Ut utrique ſit indulgendum. Hic excipio tamen mulieres, quæ ſupra communem ſexum agerent virorum munia. Neque enim Amazonibus, ([h] non hæ fabuloſæ, quæ etiamnum alicubi in Æthiopia eſſe dicuntur) [i] Sacidis, Iberis, Artemiſiæ, Zenobiæ, Victoriæ illi *matri caſtrorum* cognominatæ, Danicis ductricibus exercituum, id genus aliis fortiſſimis feminis indulſeris magis, quam viro ulli: non furialibus illis, quæ ad Monam inſulam Suetonio Paullino occurrerunt. [k] Non illis, quæ in Socratis, aut Platonis republica tum alia civitatis communia cum viris, tum hæc quoque bellica tractent. [l] Sic ducit in triumphum Aurelianus, imperator ferociſſimus, mulieres, quas virili habitu pugnantes cœpit. Sic multas etiam ceciderat. [m] Nam quod Spartani ab Argis oppugnandis abſtinuerint, quia in defenſione eſſent mulieres, quas lædere fuiſſet ignomi-

b *l. 6. 7. de parric.*

c *Alc. l. 1. C. de in jus voc.*

d *l. 14. ad Treb.*

e *l. 3. de in. & re.*

Garz. l. 5. de pact.

f *Paul. 4.*

g *Hipp. de aer. & 3. de art. ubi Mer. & 3. lect. 7. Diod. 4. Aria. 7. Plut. Alex. Juſt. 12.*

h *Cl. A. ſtr. 4. Herodo. 7. Tac. ann. 14. Juſti. 2. 25. Diod. 17. Poll. tyr. Leo. no. 48. Sigo. 11. de re. Ita.*

i *Pla. 5. de re. 7. de le.*

k *Vopiſ. Aurel.*

l *Pauſ. 2. Cl. A. ſtr. 4.*

m

minioſum nihil hic eſt, hic enim in eo, quod viros agunt feminæ, non ſunt feminæ, ſed viri. Et facile ſic tueremur omnia, cuſtodibus feminis poſitis, & defenſoribus. Alterum igitur verum fuit, abſtinuiſſe oppugnatione Lacones, quia ignominioſum fuiſſet, lædi, atque repelli a feminis, quod itidem dixere. Sed hic incidit quæſtio, ſi iſtæ mulieres, aut eo nomine tractari poſſint indignius, quam leges bellicæ permittunt, quod intra ſuum ſexum non ſe teneant, & quod virilia induant. [a] Nam; hoc nomine vituperatam etiam a ſuis Gallis, & hoc quæſito colore necatam ab Anglis hoſtibus puellam illam Lotharingam narrant. At ego puto, non huc ſpectare Dei legem, [b] *Non induetur mulier veſte virili*, [c] quam & de armis alii expreſſe accipiunt. Alibi autem de ea lege latiſſime diſputavi. Hic tantum dico, [d] *Magna quæſtio eſt, utrum patriæ liberandæ cauſſa muliebri tunica indutus debeat hoſtem decipere. Et utrum ſapiens, qui aliquo modo certum habeat, neceſſariam fore vitam ſuam rebus humanis, malit emori frigore, quam femineis veſtibus, ſi aliud non ſit, amiciri, profecto cernis, quantæ inquiſitionis indigeat, quatenus iſtæ progredi debeant, ne in quaſdam inexcuſabiles turpitudines decidatur*, ut ſic Auguſtinus ad eam legem. Iſtæ ſunt abſurditates inexcuſabiles, quæ præcepto divino referendæ non ſunt. Sed redeo ad tractatum. [e] Controverſiam judicii militaris, ait P. Jovius, cum peterent Hiſpani, captas mulieres ſine pretio ſibi ab Italis reddi: & Itali hoc ſe facturos negarent; atque pro illis ratio fuerit humanitatis, & mos antiquus, ut imbelle genus omni cenſeretur vexatione indignum: pro Italis autem clades Romana recens fuerit, ubi redemerunt ab Hiſpanis etiam puellas infantes auro multo. Ego dico, jus pro Italis fuiſſe: qui Hiſpanis reddiderunt, quod Hiſpani dederunt primi exemplum malorum, & injuſtitiæ. Sed attende ad nobilem regis Gallorum definitionem, qua & adprobata fuit juſtitia Italorum, & defenſum una jus iſtud, quod dicimus feminarum: nam largitur rex Italis pecunias, Hiſpanis feminas reſtituit liberaliter. Et habes duas cauſſas, cur hic ætati, ſexuive non parcitur, ſi virorum munia induant feminæ. Si hoſtes his antea non pepercerunt. [f] *Beatus, qui rependet tibi, & diſſipabit parvulos tuos allidens ad petram*, inquit Pſaltes. Et ſi voles id referre ſimpliciter ad Dei juſſum: quæ cauſſa tertia: & hoc potes. [g] Sic Moyſes & feminas, & parvulos interficit:

a *Comm. Pii 2. lib. 6.*

b *Deut. 22.*

c *Lyr. Caſet. Aug. q. 32.*

d *Aug. 2. ſoliloq.*

e *Jov. 41.*

f *Pſ. 137.*

g *Deut. 2. 3. 20.*

qui lege ſancit tamen, ne feminæ, aut parvuli interficiantur. [a] Non eſt ulla iniquitas, ſi, juſſum ſequendo Dei, matrem cum filiis deleveris: [b] ut a priſco ævo eſt proverbialis locutio: omnes ſcilicet ad internecionem ſine ullo ſexus, ætatisve diſcrimine Deus auctor vitæ, & necis ſupra legem omnem longe juſtiſſimus, [c] nec dicti, nec facti ſui rationem reddet: eſt enim rerum omnium judex maximus, cujus non eſt argumentari, ſed pronunciare, ut ita Lactantius. [d] Et in hanc eamdem ſententiam Auguſtinus, *Qui quærit, quare hæc Deus voluit, is quærit aliquid majus voluntate Dei*. Et Auguſtinianus Gregorius de Arimino, *Voluntas Dei juſtitia ſumma*. Immo audiant Platonem profani illi, qui per iſtam ſuperbiam intolerandam refragantur Deo: & nolunt decreta Dei juſta agnoſcere, niſi quæ eis perſuaſerit ratio ſua. Scilicet animalis homo aptus ſit rationes Dei percipere: & altiſſimi eſſe conſiliarius. Scilicet homo Deus eſſet, vel Deus homo; nam alterutrum neceſſe eſt, ſi intelligere Deum habet homo. [e] Sed audiant iſti Platonem, qui hoc ſcribit, quod juſtum quid eſt, quia illud Deus velit: non autem illud velit Deus, quia ſit juſtum. [f] Audiant Ariſtotelem, qui de Deo, quod non ſit virtute probus, quia tunc Deo eſſet melior virtus, ſed virtus ipſa a Deo proba eſt. [g] *Audaciam exiſtimo*, inquit Tertullianus, *de bono divini præcepti diſputare; neque enim quia bonum eſt, iccirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit*. [h] Et Tertullianus certe, *Bonum eſt, quia a Deo evenit*. Alio ſe habent modo res Dei, alio hominum. [i] *Mirum, ſed tamen verum: mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet*, ait Auguſtinus. [k] Et alibi, *Nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt: tu autem quia vides, ea ſunt*. Et rurſus, quod non minus hic aptum, *Scientia Deus dicitur ſcire, quæ probat; neſcire, quæ improbat: & ſic ars neſcire pitia, quæ improbat*. [l] Averroes autem, quod non ſcit Deus, quod eſt, quia eſt: ſed quicquid eſt, ſic eſt, quia Deus ſcit. Et ita ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram æquivoce prædicari. [m] Et ſic Thomas Aquinas, *Electio ſequitur dilectionem Dei, dilectio ſequitur electionem hominis, nam is, quia quid probat in alio, propterea diligit: at Deus diligit, propterea eligit*: in ſumma: *Viæ meæ non ſunt viæ veſtræ, neque cogitationes meæ cogitationes veſtræ*, ipſe inquit Dominus. Nos jus hominum tractamus, vias hominum hic inſiſtimus.

a *Bell. 5. con. 3. c. 15.*

b *Gen. 32. Oſ. 10.*

c *Lact. 3. Inſtit. 1.*

d *Aug. 1. de Ge. 10. Ma. Gr. de Ar. 1. ſent.*

e *Pla. Euthyphr. & Laer.*

f *Ari. 2. ma. mo.*

g *Tertull. de pœnit.*

h *Tertull. de ſu. in perſ.*

i *Aug. 11. de civ.*

k *Aug. confeſſ. & Exo. q. 152.*

l *Averr. prædic.*

m *Aqui. 9. ad Rom.*

ſtimus. Immo viam illam oſtendimus, quam inire nos, & inſiſtere nos, voluit Deus. Illa extraordinaria Moyſis facta, Dei juſſa, non ſunt nobis rapienda in conſequentias. [a] *Non ſi aliquid præter morem in domo a domino inſtitutum ſervo jubetur, atque is laudabili obedientia facit: ideo non eſt plectendus, ſi hoc facere ſponte præſumſerit.* [b] *Leges non ſibi, ſed hominibus dedit Deus, unde quodcunque præter illa ipſe præcepit, non a tranſgreſſoribus, ſed potius a piis, & obedientibus impletum intelligendum eſt.* [c] *Cum jubet ille, qui legem conſtituit, aliquid fieri, quod in lege probibuit, juſſio illa pro lege habetur, quoniam auctoris eſt legis.* [d] Cæterum & iſtorum juſſuum extraordinariorum Dei explicatur, & a theologis, & a philoſophis ratio. Et quæ tamen ad homines non pertingit. Sic nos, invitis omnibus impiis, qui non recipiunt niſi quod probare ratio humana poteſt, adorabimus juſtiſſima illa Dei judicia ſingularia: nec trahemus (quod temerarii, & faciles facerent) in exemplum nobis. Sequemur autem ejuſdem leges, poſitas omnibus. Hæc lex hic eſt, ut pueris, & feminis parcamus. Juſſus ſi ſit Dei contrarius, ille & extraordinarius eſt, nec traditur libris noſtris, nec ore hominis cujuſdam, ut ſic reſpondetur, non id eſſe extraordinarium mandatum, de quo conſulimus homines, an juſtum ſit. Sed an diſcedere ab ea lege, ac regula poſſimus, ſi hoſtes læſerint nobis pueros, feminas, quia penſationem iſtam laudaverit alicubi Deus: & quia talio ſapit jus naturæ: nunc in ſermone propoſitum erat. [e] Noſtri interpretes juris clamant, adhærendum regulæ: & non aliter, quam per ſuperordinarias rationes eundum ad fallentias, & plurima ejus generis. [f] Clamant ad abſolvendum propenſiores ſemper nos eſſe oportere, quod hic efficiet, ut pueros iſtos, & feminas abſolvamus, ſecundum regulam legis Dei, naturæ, & civitatis. Sic ſane. [g] *Homini non eſt homine prodige utendum.* [h] Illa viri immanis dicta, facta, *Scelera non ulciſceris, niſi vincis. Sceleri modus debetur, ubi facias ſcelus, non ubi reponas.* Immo enim: *Scelere quis penſat ſcelus?* Et de hoc poſtea. Et hic ergo, ubi de ſanguine ſit quæſtio, nolim talionem: etſi velim in aliis omnibus [i] Sanguinis tantum gratia ſunt aliaque contra rationem juris, & contra publicum commodum introducta. [k] Etiam, deletis Hammonitis, & Moabitis, ſervant virgines Judæi: non eis culpam imputantes, propter quam everti utraque meruit gens. Aliæ ſeilicet

a *Aug. Jud. q. 49.*
b *Aug. Jud. q. 36.*
c *Aug. Leu. q. 56.*
d *Aug. Joſ. q. 8. Plut. de ſer. num. vi.*
e *Rol. 1. conſ. 81. Crav. 129*
f *Plo. l. ſi quando §. 6. C. an. vi.*
g *Sene. ep. 86*
h *Sene. Thy. 2. 5.*
i *l. 1 8. C. de tranſact. Alc. 5. parad. 9.*
k *Num. 31. Aug. Deut. q. 15. Phi. de for. & de vi. Moy.*

licet deletæ fœminæ, quæ in fornicationem duxerant populum, ut de his indicavi antea. Quæ eſt quarta cauſſa ſæviendi in fœminas. At quid de eo dicemus, cum inſignis perfidia, & maxima clades vindicatur? [a] Probat cauſſam mite pectus Germanici, cui non ætas, non ſexus propterea attulit aliquando miſerationem. Inſiſtendum cædibus, nil opus captivis, ſolam internecionem gentis finem bello fore, clamabat. Et ejus adclamabat exercitus, perfidos, & ruptores pacis ultioni mactandos, & gloriæ. Mihi crudele, itaque injuſtum videtur, in turbam ſævire imbellem, & innoxiam. Si fœminæ noxiæ: tum noxia exſtingui dicetur magis, quam ſemina. [b] *Exſtinxiſſe nefas*, ait Virgilius, *non feminam, ſed crimen, ut pertinet ad virum juſtum, ſumere de facinoroſo ſupplicium: & pro ſuis, & pro patria ad virum fortem, hic ſileant grammatici*, ait Scaliger ille doctiſſimus. [c] Sileat & doctiſſimus Caſertanus, qui auctoritate grammaticorum nonnihil & movetur hic contra Virgilium. [d] *Ne obſtrepant Æneæ adverſus Helenam iraſcenti. Nam & ipſe ibi diſputat: & ita movetur, ut vincat melior ſententia, quam divinus poeta merito adſcribit deæ. Neque enim aliud ratio eſt in mente humana, qua ſuperantur affectus, quam radius quidam, ut ita dicam, primæ illius lucis, ſine qua omnia ſane merito & dicuntur tenebræ, & exiſtunt. Diſputationem ecce qualem*: namque etſi nullum memorabile nomen fœminea in pœna eſt, nequę habet victoria laudem. *Non quærit igitur aut nomen, aut laudem, ſed juſtitiam, ut ſuorum deleat ignominiam: Quis enim patiatur, affines ſuas feminas primarias premi ſervitio impudicæ mulieris? Igitur recte interpretatur factum ſuum ſic*: extinxiſſe nefas. *Nullius enim non intereſt, nefas tollere: vir enim juſtus, nullum malum ſupereſſe, pati debet*. Quæ itidem Scaliger, & mox iterum in grammaticulos. Et hæc igitur quarta cauſſa juſta, ſi fœminæ noxiæ. Et Æneas tamen non occiderit noxiam: ne aut dubitari de ejus facto, diſputarive poſſet, & ex primo intuitu judicari quodammodo minus digne, quam herois ejus conditio poſtulare videbatur, ut in alio facto ejuſdem idem obſervat Scaliger, de quo nos alibi. Honeſtatem porro mulierum attaminare, injuſtum fuerit ſemper. [e] Ut enim contra naturam non ſit, ſpoliare eum, quem necare honeſtum eſt. [f] Et, ubi jus eſt ſervitutis, venundari hoſtes jure belli una cum liberis, atque uxoribus liceat, non tamen infami contumelia quemquam ca-

a *Tac. ann. 1. 2.*

b *Scalig. 3. poet. 24.*

c *Caſer. 5. de ſi. ce. 14.*

d *Scalig. 3. poet. 22.*

e *Cic. 3. de off.*

f *Polyb. 2.*

captivorum afficere, jus eſt. [a] Ineptus, qui trahit ad juſtitiam bellicam hæc uſurpata in bellis injuſte. Neque hic do talioni locum. Et nota, quod etſi, qui fecit, non indignabitur fieri ſibi; & qui fecit alienis, non indignabitur fieri ſuis, quæ tamen ſuæ nunc patientur, ipſæ juſtiſſime conquerentur, nam hæc ſeparata cauſſa mulierum eſt, & puerorum. Et iſtis reddere rationem aliquando hoſtis habebit de injuria, reddet certe Deo, reddet reliquo mundo, quando non hic ſit magiſtratus, qui victoris injuſtitiam coerceat, & ulciſcatur: reddet illis principibus, qui honeſtas ſequi volent bellorum cauſſas, & commune vindicare jus gentium, & naturæ. [b] Prædonis in propoſito vox illa apud Heliodorum, id eſt, hoſtis gentium juris, *Si imperii legibus utendum fuiſſet prorſus velle ſuffeciſſet.* [c] Et Perſæ prædonibus nequiores, qui in Græcia ſic afflixerunt mulieres turpiter. [d] Tarentini inſolentes, injurioſi audiunt, qui bello captos pueros, captas virgines libidini cujuſque proſtituerunt. [e] Sicyonii durius exagitantur, qui eadem fecerunt Pellenenſibus captis: o dii (inquit Ælianus) hæc efferatiſſima, quæ ne barbari quidem ulli fecerint: [f] interpretes juris meliores idem reſpondent, ut, quem potes necare, eum habere nequeas impudice. [g] Sic & lex Dei vult, duci captivam in uxorem, quam amas: non ſinit, te cum ea licenter agere. Age, audi & judicia ſummorum ducum. [h] Alexander victi hoſtis uxorem, facie inclyta mulierem, vetuit aut in conſpectum ſuum deduci, ne eam vel oculis quidem contingeret. Et non hanc modo Darii uxorem, ſed & captivas omnes Perſas pudice averſari præcepit. Et amore captus captivæ Roxanes, hanc duxit in uxorem, non afficit contumelia. [i] Etiam tutatus captivas eſt, quæ violatores pudicitiæ ſuæ, victores dominos peremerunt. [k] Cyrus tuetur pudicitiam captivæ etiam contra amiciſſimum. [l] Captivarum pudicitiæ curam captis Syracuſis curavit Marcellus. [m] Lucullus captis Tigrano certis omnia diripuit: ſed mulieres ab injuria militum conſervavit. [n] Quid majorem dico Africanum? *Meæ, populique Romani diſciplinæ cauſſa facerem, ne quid quod ſanctum uſquam eſſet, apud nos violaretur*: ſic Scipio de pudicitia ſervanda captis mulieribus. Quid memorem alios, vel recentiores? [o] Lotrechius, Vaſtius in id vehementer incubuere, ne violarentur mulieres. Recitat Nicetas, quemadmodum Turcique caverint edicto, & præſtiterint, ne conjugata, ne virgo vio-

a *Bod. 5. de rep. 5.*
b *Heliod. 1.*
c *Herodo. 8.*
d *Athen. 12.*
e *Ælia. 6. va. hi. 1.*
f *Bal. l. ult. C. ſi co. jus, vel ut. pu.*
g *Deut. 21. Cle. A. ſtr. 2.*
h *Arria. 4. Plut. Alex. Gell. 6. c. 8.*
i *Plut. Alex. & de cla. mu. Zon. 10. 1.*
k *Zon. 10. 1.*
l *Plut. Marc. Aug. 1. de civit.*
m *Dio. 35. Xiphil.*
n *Polyb. 10. Liv. 26.*
o *Jov. 25. 28.*

violaretur, captis Hieroſolymis, & Conſtantinopoli. [a] Totila Gothus capta urbe, & hoc accurat, ne ulla vitiaretur, fœdaretur femina. Et de Beliſario narrant, quod, Alexandri exemplo, nec aſpexit bello captas. At de re aperta nimium multa, an non? Dicam aliquid adhuc ſequenti libro. Immo enim non ſunt hæc multa ad frenandum belli licentiam, militum libidinem: cui & ſcriptores nonnulli favent, quaſi nec exiſtenti contra jura armorum. [b] Adde igitur, quemadmodum Valerius Torquatus miſſus fuerit in exſilium, nec quoquam refragante, qui captivæ intulit ſtuprum. [c] Et Sertorius integram cohortem Romanam, infamem hoc flagitio, concidit, tantum abfuit, ut eam mulierem condemnaret, quæ militi violento oculos eruit. [d] Laudatum & Chiomaræ mulieris Galatæ hic facinus majus. An quiſquam mihi conſtituet etiamnum jus diverſum ex diverſis illaudatorum factis illaudatis? Sane, ſi occidere pueros, mulieres non licet, minus licet, afficere damno pudoris: [e] hoc enim majus damnum eſt: [f] quod etſi invitus nemo ſuſtinet vere: ſuſtinere tamen videtur, quod tantundem valet. Dic, ſi uxorem duceres, quæ paſſa iſtam calamitatem fuerit? Non hoc damnum inferre licet, etiam ſi damnum vitæ inferatur aliquando licite, quod dixi. Quæ mulier pugnat, cur contra non patiatur pugnari? [g] Quæ apta pugnare, ſuccedit in feudo ſicut maſculus. Sed cur pati contumeliam adeo inſignem, cauſſa nulla explicabitur. [h] Idem Gothus dimiſit feminas captas: etiam nec tulit, Symmachi filiam tractari male, qui ſtatuas Theodorici confregit, qui Symmachum patrem occidiſſet. [i] Apud Troglodytas feminæ dirimunt certamina, & prælia: & nefas ducitur, eas lædere ullo pacto. *Ullo pacto.* [k] Lædi ſe clamitabant Græcæ illæ, quarum viros bello captos faciebat capos Theobaldus Umbrorum dux. [l] Quod & Pharnaces (indignum) antea fecerat. Atque is ſic deſtitit Umber ab ea ſævitia. [m] Audi rem ſplendidiſſimam. Athenienſes cum in litteras incidiſſent uxoris Philippi, quæ ad maritum erant, eas nec reſignarunt, & ad hoſtem capitaliſſimum ferri permiſerunt, ne maritale ſecretum divulgarent, *præferendum rati fas commune propriæ ultioni*. Sed jam ſatis. [n] Diſputat nobiſcum Philo, & abſtinendum ſic ſcribit ab his, a quibus & nullum eſt periculum, factos & natura immunes ab ipſa militia, & alia id genus. [o] Diſputat Cardanus acriter contra Titum, qui uno ſpectaculo aliquot millia Judæorum, in quibus

a *Procop. 3. Goth.*
b *Plut. Pa. Ro. Gr.*
c *App. 1. civil.*
d *Plut. de cl. mul. Liv. 38.*
e *l. 8. quod me. ca.*
f *l. 1. de poſtu. l. 20. C. de aduls.*
g *Iſer. c. 1. qui fe. d. p.*
h *Procop. 3. Goth.*
i *Diod. 4.*
k *Alex. 7. par. 23. Sigo. 6. de re. Ita.*
l *Hirt. de be. Alex.*
m *Apul. apol. 2.*
n *Phi. de crea. pri.*
o *Card. enco. Nero.*

bus pueri, & mulieres, feris dilanianda expoſuit. [a] Quod & ante voluit eidem genti facere Ptolomæus. Erant (ait Cardanus) Judæi, erant rebelles, erant contumaces. Sed quid meruere boves, animal ſine fraude, doliſve? Decet, ſtirpem impiorum exſcindere, at inſontes occidere non licet, &c. [b] Exprobrat prophe-ta ſpecialiter Iſraeli, quod feminaſque, pueroſque duxerit in captivitatem de Juda. Scilicet inter Judæos non erat jus ſervitutis, tanto tamen minus ille ſexus, hæc ætas erat abducenda. Audiant Chriſtiani. Jure civili audimus, & ſexum, & ætatem captivari, nec ullum fuiſſe reſpectum religionis. Audio & ipſe, nec audeo improbare. Et audio tamen multo libentius rationes contrarias, quæ pro ſexu, ac pro ætate ſunt. Dixerim ſemper laudandum, ſi aut poteſtate temperatur, quod & jus civile in re multo leviſſima: [c] *Si tamen, cum poſſet, non fecit, laudandus eſt potius.* [d] Illa vulgo nota, *Non omne, quod licet, honeſtum eſt. Semper non ſolum, quod liceat, conſiderandum eſt, ſed & quod honeſtum eſt.* Quod vero de pueris dixi, idem & de his, qui defecti ætate ſunt, volo. [e] Eſt enim infirma utrorumque ætas, & jus ſæpe par. Sed ſic de ſenibus tamen, ut ex ſequenti ſermone intelligetur. [f] Nam ſæpe conſilio pollet, cui vim natura negavit, & plus valet umbra ſenis, quam enſis juvenis. Etiam nec armato parcitur ſeni, ut de Priamo audivimus, & de armatis feminis. Etiam nec ſeni arroganti, contumelioſo, ut ſcimus de Romanis illis ante veneratis Gallo victori, mox ferocientibus trucidatis. [g] Hæc & in pueris vera, qui aut multum a puberi ætate non abſint: aut quomodolibet profint contra hoſtes ſuis. [h] Neque enim ſpes ætatis habet eos facere audaciores impune: [i] *Furioſos excipi nequaquam dubium eſt*, ait Ulpianus alicubi, & ajo ego hic. [k] Et tamen furioſorum, dormientium licet vim propulſare, etiam cum eorum nece: quemadmodum & beſtias irruentes occidimus, jure ſemper licito deſenſionis: quicquid diſceptes, furioſos, dormientes, beſtias nec capaces eſſe injuriæ faciendæ, ut Bartolus, Baldus, alii hæc explanant.

a 3. *Macbab.* 5.

b *Mic.* 2.

c *l.* 1. *de pe. & co. re. ve.*

d *l.* 108. 158. *de reg. ju.*

e *l.* 3. *de Silan. l.* 122. *de leg.* 1.

f *Bal. l.* 5. *C. qui te. fa. poſ. c.* 9. *de vo.*

g *l.* 14. *de Silan.*

h *l.* 15. *de quæſt.*

i *l.* 3. *de Silan.*

k *Bal. l.* 1. *C. de un. vi. Dec. l. ut vim. Alex. l.* 3. *de adqu. poſſ.*

CAP.

CAP. XXII.

De agricolis, mercatoribus, peregrinis, aliis similibus.

a *Diod.* 3.
b *Suida.*
c *P. Æm.* 3.
d *Arria.* 7.
e *l.* 1. *de ed. l.* 2. *si q. i. v. n. i. l.* 3. *C. de def. ci.*
f *Bod.* 2. *dæm.*
g *Nov.* 129.
h *c.* 2. *de tre. & pa.*
i *c.* 1. 2. 3. 23. *q.* 8.
k *Rui.* 1. *conf.* 42. *Anet. c.* 8. *de prob. & no. c.* 9. *de vo.*
l *l.* 13. *de va. eat.*
m *Bal.* 5. *conf.* 439.
n *Zon.*
o *Exhil.* 1. *c.* 5. *p.* 26.
p 1. *Sam.* 19. *ubi Tr.*

QUid nunc de infirmiori poſſeſſione? [a] Indis receptum fuit, ut tuti agerent agricolæ. [b] Et parcebat agricolis Beliſarius. [c] Etiam Normandus quidam dux, quem prædonem volebant, agricolis vim fieri vetuit: & nihil minus quam prædo videbatur. [d] Ait autem Arrianus, creditus juriſconſultus, nefas eſſe agricolas capere, & fructus eorum devaſtare. [e] Videlicet innocens, & quieta ruſticitas peculiaris patrocinii, & defenſionis beneficio digna eſt, ut legislatores ajunt: & ruſticitati, ſicut ætati, & ſexui ſuccurri volunt. [f] Et ſi arbores ipſæ frugiferæ cædi vetantur in bello, quid frugiferis his fiet hominibus? Quod Bodini argumentum eſt. [g] Quid, quod legislator noſter privilegia adſervat Samaritanis, hominibus odioſis ſi agricolæ eſſent, nec a cultura ceſſarent? [h] Et in Lateranenſi quodam concilio caput hoc fuit, *Innovamus, ut presbyteri, monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur.* Inquit Concilium, *Ut presbyteri, monachi, converſi*, id eſt, homines religioſi, [i] viri pacis, alieni armorum, [k] incapaces feudi, aut nomine hoc, ſecundum veriorem, & receptiorem ſententiam, quia prohibitum ſit monacho, clericove pugnare, & per ſe, & per alium: & eorum arma non ſint, niſi orationes, & lacrymæ. Nec opem domino, ſi habent, hi ferunt vel gerenti juſte bellum. [l] Vacantes religioni ſic immunes alibi ſunt & ab armis. [m] Miles Dei factus, deſinit eſſe miles ſæculi, ait Baldus, & alia id genus. Et ergo quod de mulieribus tradidi, ſi iſti religioſi tractent arma, non eis parcetur. [n] Sed & dignum eſt Titi dictum ad ſacerdotes, qui obſtinatiſſime defenderunt templum Hieroſolymitanum, donec conflagrarit, *Veniæ tempus præteriiſſe, ſacerdotibus una cum templo eſſe pereundum.* Et, niſi igitur quid ſit ejuſmodi parcet, ira victoris victis hujuſmodi. [o] *Crudelis ſtrages*, proverbio dicta, cum non parcebatur aut lacris illis viris, acies præeuntibus. [p] Hoc

jus

jus apud omnes gentes receptum dicitur, ut tuti eſſent, qui in ſacris collegiis degerent. Atque ita nec nocent Philiſtæi collegio prophetarum. Sed an fieri religioſis his poteſt male, ſi in concionibus, ſi per expeditiones, ſi per labores belli verbis juvent ſuos, firment adverſum hoſtes? [a] Homines cujuſcunque ſexus, conditionisve, & uſui bello eſſe poſſunt vel conſilio, vel aliis modis, & ſic conſideratur in jure. Neque vis eſt ſolum in vulnerando. [b] Parem delinquentis, & ſuadentis culpam eſſe, de tibicine, ſe excuſante, quod nec eſſet ſtrenuus armis, ullius aut ſævo læſerit enſe latus, cecinit noſter Alciatus raptam de Æſopo fabulam: & immo iſtum peccare magis, qui clangore alios æris in arma ciet. [c] *Ea Alciati emblemata* (recitavero tantum teſtimonium Alciati laudum) *talia ſunt, ut cum quovis ingenio certare poſſint. Dulcia ſunt, pura ſunt, elegantia ſunt: ſed non ſine nervis; ſententiæ vero tales, ut etiam ad uſum civilis vitæ conferant.* Cæterum & cum his militiæ ſervis agi mitius conſuevit tamen. [d] Et definitum in jure eſt, ut mitius ille puniatur, qui conſuluit, ſuaſit, hortatus eſt: niſi, qui facit, non erat alias factuſus, nam hoc caſu ſuaſor pariter teneatur facienti. Quæ mihi videntur aptiſſima in quæſtione propoſita: & ſunt ſatis, ſi, quæ conſideravimus antea de dicendi libertate, etiam addimus. Nunc rurſus de ruſticis. [e] Sancitum jure itidem eſt, ne vel pignori ob debita civilia capiantur boves aratorii, aut aratorii ſervi, aut inſtrumenta aratoria. [f] Et Romæ fuit capitale, id eſt, pœna exſilii, ſi bovem quis aratorium occidiſſet. [g] Et id genus alia, etiam apud alios. Et alia privilegia agricolis data, & ruſticitati, & ſimplicitati. Quæ etſi reſpiciant jus civitatis: & hoc quoque oſtendunt tamen, eſſe agricolas, quibus quid indulgendum ſupra alios ſit. [h] Scio, ab aliis relatum, ſic tutos fuiſſe Indis agricolas, quod alii pugnarent, & eſſent agricolarum propugnatores. Dicam mox, & defendam agrorum vaſtationes. Sed quod jus nunc dicimus, & defendimus, id ea ſtat ratione: quoniam bellum armorum eſt contentio, quæ hic cum inermibus non eſt: ubi (ſ quod dicitur de pugna Marathonia) ex alia parte viri ad occidendum parati, ex altera pecudes ad moriendum paratæ fuerint. In pugna (k Joſephus dixerit) pœnas dederint, qui arma ceperint, inſontibus non nocendum. Ergo ſi inſontes non ſint iſti agricolæ, at ſint armati, eis nec parcetur. Non indulgetur

a *l. 19. de capt. l. 7. de vi. pri.*

b *Alc. embl. 173. Æſo. Tibicen.*

c *Scal. 6. poet. 6.*

d *Clar. §. fi. q. 88.*

e *l. 7. C. quæ res pi. obl.*

f *Cuja. 4. obſ. 20.*

g *Nov. 32. 33. 34. Ovid. Meta. ult.*

h *Str. 15.*

i *Oroſ. 2. c. 8.*

k *Joſeph. 12. ant. 3.*

verſutis hodie ruſticis, ut ajunt interpretes juris. Mercatoribus neque nocendum eſt, qui apud hoſtes deprehenduntur, etenim nec hoſtes iſti ſunt, ut nec alii peregrini. [a] Mercatores ſunt peregrini, & illis propterea etiam favetur. [b] Peregrinos neque repræſaliæ afflictant. [c] Et Imola ſic reſpondit, inventum apud hoſtes tractari quaſi hoſtem non poſſe: qui de rebus bellicis nihil curet. At hic de pluribus explicandum eſt. [d] Nam ſunt, qui dicunt, abrogatam uſu contrario legem illam concilii Lateranenſis. [e] Et aliqui cogunt eam ad mercatores, qui ad nundinas eant, & tranſeant, non morentur, non habitent. Ergo & de incolis, & de civibus adoptatis eſt videndum. Derogatum autem ego neſcio legi, & hoc videor ſcire, conſuetudinem iſtam contrariam non facile oſtendi poſſe. Sed neque mihi curæ lex concilii, at naturæ hic eſt, [f] cui derogari non valet: nec derogatum intelligitur, etſi legi ſcriptæ, idem ſtatuenti, derogatum dicamus. Pro ſecundo ajunt, eſſe civitatis partem hunc mercatorem, qui manet in civitate. Verum! id eſt falſiſſimum, niſi quid additur. [g] Videlicet dicuntur advenæ, ſive forenſes, qui vel habitent abſque animo contrahendi domicilium illic, ubi habitant. [h] Nec aliter incolæ fiunt, quam ſi domicilium, ac ſedem cum majori parte ſuarum fortunarum fixerint animo manendi perpetuo, & jam decennium manſerint. [i] Iſti proprieque cives appellari merentur. [k] Nam accuratam illam definitionem civis, qui particeps onerum, & honorum civitatis eſt, non hic ſequimur. [l] Incola de populo eſt. Et igitur jura exerceri hoſtium in incolas poſſe videntur. De civibus adoptatis videtur difficultas tamen. Et ſunt hinc, atque inde opiniones, ſi iſti vere, & proprie cives ſint. Et itaque ſi etiam in odioſis definitionibus intelligi eos oporteat. [m] Repræſalias contra Peruſinos conceſſas ad cives hos non porrigi, vult non nemo. [n] Privilegia Danis mercatoribus tributa, civibus in Dania factis non prodeſſe, ſenatus cenſuit Pariſienſis. [o] Et id deque mente plurium eſt interpretum. Sed breve facio. Mihi cives iſti videntur veri, & proprii cives, ut cum plurimis defendit contra alios Joannes Cephalus in reſponſo primo quarti voluminis. De quo has habes concluſiones. Proprie hos eſſe, & intelligi ubique cives, qui non ſecundum aliquid, & abſolute, & ſimpliciter creati cives ſunt. Et ſine dubio ſic eſſe, ſi dictum in creando ſit, ut pro originariis ad omnia eſſent: civesve eſſent in

a *Alex. 7. conſ. 130.*
b *Dec. conſ. 352.*
c *Imo. conſ. 51.*
d *Panor. c. 2. de tre. & pa.*
e *Bella. 5. conſtr. 3. c. 15.*
f *Inſtit. de jur. na.*
g *Sylva. conſ. 1.*
h *Alex. 1. conſ. 6. 5. 34. Alc. 2. Pare. 7.*
i *Boer. deciſ. 272.*
k *Bal. l. 9. C. de teſta.*
l *Dec. conſ. 318. 550. Ceph. 722.*
m *Crot. rubr. ſo. mat.*
n *Bod. 1. de rep. 5.*
o *Rom. conſ. 62. & ibi. Mandoſ.*

in omnia, & per omnia. Sic Cephalus, cui aſſentior: [a] etſi ad odium neget hos cives intelligi Angelus, Jaſon, Alciatus. Rem vero adhuc clariorem ait Cephalus, ſi & habitent iſti in loco, onera autem non ſuſtineri, nihil obeſſe. Quæ in tractatu nunc noſtro adfirmant, ut iſtisque fieri quaſi hoſtibus poſſit. Cæterum alia (ut idem diſtinguit) eſt quæſtio ad ipſam civitatem, quales iſti ad eam ſint: & concluſiones ſupradictæ obtineant: alia autem quæſtio, quæ eſt noſtra, quales iſti ſint ad alios, & nunc ad hoſtes civitatis, & nunc ſupradictæ concluſiones non obtineant, ſed diverſæ, quæ cives hos non agnoſcunt. Et ſic ſit dictum antea de repræſaliis, & de privilegiis. Etiam ne ſit belli jus contra iſtos cives, facit alia concluſio, quod verba, aut diſpoſitio de provincia, patriave, non hos tenent adſcititios, ſed tantum naturales & originarios loci. [b] Quam habet concluſionem, & communem notat, quum verba ſic ſunt, *perſona de civitate Mantuæ*, ut originarii ſoli comprehendantur, præceptor meus Eugenius in reſponſis. Et ergo ſi Hiſpanis bellum indixeris, contra Hiſpanienſes bellum non geres: [c] id eſt, qui aut incolatu ſunt Hiſpani. De incolis tamen contrarium ſcribebamus. Sane & de iſtis civibus videtur dicendum contrarium. Et neque in bellico hoc tractatu, cum conſideramus rem, non verba, quæ forte nec dicta ulla ſunt, ire in diſtinctiunculas iſtas oportet. Conſideramus hic, qui nos læſerint, lædant: quibus facere bellum oporteat, ſive illi cives ſint apud hoſtes, ſive ſint peregrini. Etiam qui ſe dant in corpus aliquod, iſti volunt proculdubio teneri cum corpore. Etiam in bello, [d] quia non eſt bellum de inſolitis civitati. Et neque in jure univerſali dicere licet, de hoc ſe, ſive de illo non cogitaſſe. Quid? an non defendere civitatem iſti habent? Ergo & pati alios contra ſe habent, qui offendant civitatem. Atque hæc probata concluſio eſt, ut omnia his adſcititiis dentur, quæ dare civitas poteſt: ergo & hoſtes dentur. Neque movet me argumentum repræſaliarum. [e] Nam etſi ab illarum jure ad jus belli omnes propemodum argumententur: [f] & Baldus ſcribit, minorem juſtitiam debitæ proportionis ſervari in bello: itaque repræſalias eſſe juſtiores, & eſſe tum licitas magis, cum licitum bellum eſt: tamen illud negarim audenter, repræſalias contra Perufinos conceſſas ad cives hos non porrigi. Et vero argumentum Joannis Croti nihil valet, quod ſicut non proſunt his privilegia

a *Alc. 1. conſ. 2.*

b *Eug. 1. conſ. 9.*

c *Soſip. lib. 1. Cujac. 24. obſ. 33.*

d *Ceph. conſ. 58.*

e *Covar. reg. pecca. p. 2. §. 10.*

f *Bal. l. 5. de juſt.*

alterius civitatis tributa civitati huic ipſorum novæ, ita nec obſint repræſaliæ, aut alia odia. Etenim reſpondeo, quod factum meum poteſt me obligare: ſed alios mihi non poteſt. Ergo quod allegor in civitatem, etiam obliger cum civitate, at non quæram privilegium, quod, qui dat, mihi nondum dat. Et non debet eſſe in poteſtate accipientis ampliare, inque alios derivare. Et quamquam non oporteat intelligi, privatam civitatem facultate creandi, & allegendi cives: non tamen hinc ſequitur, quod vellet Cephalus, & Livius antea in diſceptatione de Saguntinis, videri & his conſultum fœdere, cautum privilegio, ut dico in primo libro de armis Romanis. Non interdicitur adoptio: etſi adoptivi filii in feudis non ſuccedunt, nec faciunt deficere conditionem illam *Si ſine filiis*. Non interdicitur legitimatio: ut ut legitimatorum non melior ſit qualitas, quam adoptivorum. Et id genus alia. Non eſt vera illa Croti ſententia. [a] Tenuis ſuppellex hominis, & judicium modicum. Sic igitur expoſui, peregrinum, ſive mercatorem, ſive alium, quantumvis longo tempore apud hoſtes commorantem, non eſſe hoſtem: ſed eum eſſe hoſtem, qui civis effectus apud illos ſit, vel incolatu, vel allectione ſimpliciter. Ita autem ſervarique video. Et peregrinorum, qui ſunt in Hiſpania, non ſolent bona ab Anglis capi, non ab Hiſpanis bona peregrinorum, qui in Anglia ſunt. Et ita jus eſt, ſive alibi inveniantur bona, ſive in hoſtico. Neque enim ratio eſt, cur capta in hoſtico habeantur quaſi hoſtium, quæ hoſtium non ſunt, ſi non ſunt hoſtes, nec habentur, qui apud hoſtes manent. Quid enim locus facit? Et quantulocunque momento quis ſit in hoſtico, ſi illic apprehenditur, hoſtis erit? Cauſſa facit hoſtem, quia quis ſe hoſti aggregaverit. Hoſtis bene interficitur ubique. Res hoſtium bene capitur ubique. Dico ad ipſum hoſtem quod attinet, nam de territorio alieno alia erit quæſtio. [b] Hic tantum, quod captæ in alieno agro feræ, etiam domino aditum prohibente, adquirantur capientibus, ut recepta eſt ſententia contra Dynum, quia ſolus aditus ſit illicitus. [c] Alienum territorium (nunc dico) ſecuritatem præſtat: & itaque traditur, quod capta in alieno territorio non efficiantur capientium: [d] itaque reſtituenda ſint domino territorii repetenti, & ſint reſtituta. [e] Neque movet, quod aut principium fugæ factum ſit ubi licebat capere: nam mutato territorio, mutetur poteſtas. [f] Sic judicatum, ut Hiſpani, a Gallis hoſtibus fu-

a *Alb. 9. conſ. 129.*

b *Bar. Ang. Caſtr. l. 16. de ſe. ru. pr.* c *Ana. conſ. 21. Alc. l. 1. de ad. poſſ.* d *Bal. l. 2. C. de ſe. ſu. Guioc. 4.* e *Alex. 2. conſ. 24. Cor. 2. conſ. 259. Rom. 234. Cepb. 229.* f *Bodin. 1. De rep.*

fugientes in territorium Anglorum, non fierent hoſtium perſequentium. Et exemplum renovatum vidimus in Hiſpanis itidem fugientibus a claſſe Anglica hoſtica in litus Gallicum anno octavo, & octuageſimo. Neque enim permiſſi Anglis ſunt Hiſpani; & neque aliud relictum, quod in Hiſpania navi eſſet, eaque ab Anglis intrata per vim oppreſſa. Quæ notanda definitio. Et quia non ſic neceſſe ad generalem ire diſputationem de principio, vel fine attendendo: [a] de quo plures diſceptant. [b] Et quia territorium nihil tamen eſt aliud quam dominium, & in dominio privato capere (ut dixi) licet. Sed & in territorio fœderali licere capere, ſi fœderatus non vetet, iidem interpretes tradunt. Etiam nec puto grave delictum, in loco non licito hoſtes offendiſſe. [c] Et ſic dicunt quædam definitiones. Propoſita abſolvamus. Res non hoſtium non bene capitur ullibi. Non hoſtis non bene interficitur ullibi. [d] Ut valet argumentum a rebus ad perſonas, & contra. [e] Res religioſa non eſt, quod in loco religioſo eſt. [f] Inquit Ludovicus Romanus, quod privilegium loco conceſſum, competit cuique degenti in loco, civi, peregrino. Cæterum non eſt bellum contra loca: ut ſit de locis quærendum: ſed eſt contra gentem. Non ego dixerim hoſtem, qui civis non eſt: etſi conferat juſſus in ea, quæ pertinent ad bellum. Et ita quoque video obſervari. Scilicet in cauſſam facti decet inquirere, non in factum. Videndum igitur eſt peregrino, ne quid faciat ſponte, ut hoſtem juvet, faceret enim ſe ipſe hoſtem: non ſecus atque alius quilibet, qui hoſti quodvis auxilium afferret: de quo traditum in primo libro eſt. [g] Excommunicantur Lateranenſi concilio, & rebus ſpoliantur, & ſervi etiam fiunt capientium, qui deferebant Saracenis merces aptas ad impugnandos Chriſtianos, aut naves quoque ſuas Saracenis juvandis præbebant. [h] Hoſtis cenſendus, qui facit, quod hoſti placet. [i] Et in exercitu hoſtium eſt, qui exercitui hoſtium neceſſaria ad bellum adminiſtrat. Quod Juſtiniano reſpondit Amalaſuntha regina. Et regina Eliſabetha Hanſiaticis civitatibus, conquerentibus, naves ſuas a claſſe ſpoliatas Anglica contra fœdus, quo cavetur, ut illæ civitates tuto poſſent eſſe amicæ etiam hoſtibus Angliæ, & cum iis habere commercia: non eſſe hoc colere cum utriſque amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros: at immo hoc eſſe auxiliari hoſtibus: & cum hoſtibus adverſum alios facere. [k] Majeſtatis crimen

a *Ever. loco a vi. fi.*
b *Bart. l. 47. de jur. Bal. l. 10. C. eod.*
c *Ruin. 5. conſ. 1.*
d *l. 1. de collat.*
e *l. 4. de peculat.*
f *Rom. conſ. 234.*
g *c. 6. & 12. de Jud.*
h *Agath. lib. 3.*
i *Procop. 1. Goth.*
k *l. 4. ad le. Ju. ma. l. 40. de pœn. c*

men eſt, commeatu juvare hoſtes. Et id genus alia gravia ſunt: a Omnis, qui audaciorem reddit hoſtem, opem dicitur, & auxilium ferre hoſti. Sic naves Hanſiaticæ commeatum, alia ad paratum bellicum vehentes Hiſpano. Sed abſolvo de his, qui effectis cives hoſtium. Niſi ſimpliciter ſint tales, adde & niſi hoc volentes principaliter, non eſſe hoſtes. b Qui ſimpliciter Hiſpanus non eſt, is Hiſpanus non eſt. c Nec is in Hiſpanorum numero habendus eſt, qui inſigne a rege Hiſpaniarum gerit Hiſpanicum, etſi etiam gaudeat omnibus his, quibus veri gaudent Hiſpani, ut explicat, & reſpondit ex facto conſultus Romanus. Et nunquam in pœnis is venit, niſi exæquatus veris ſit Hiſpanis, quod idem auctor ſcribit. Et id eſt, quod antea dictum eſt, niſi Hiſpanus ſimpliciter effectus eſt. Addidi nunc, *& niſi principaliter hoc voluit, Hiſpanus effici*. Namque civis ille non eſt ſimpliciter civis, qui occaſionaliter fit civis: ut quia jura civitatis Hiſpanicæ conſequutus dicebatur, quod duxerit (hæc lex Hiſpaniæ) Hiſpanam uxorem; & quod non eſſet tamen quaſi & hoſtis Angliæ judicandus. d Repræſaliæ non ſunt contra nuptam Senis, quæ contra Senenſes ſunt. At nunc videamus ex adverſo de Hiſpano, qui in Hiſpania non ſit: hoc eſt de eo, qui ex gente hoſtium eſt, ſed apud hoſtes non eſt. e At repræſalias traditur, non ad illos extendi, qui ſe alio tranſtulerunt, eſſe enim domicilii potius ſpectandam cauſſam, quam originis, niſi tamen & in originis loco munera ſubeunt. Mihi tamen diſtinguendum hic aliter videtur quia nec videtur par ſemper ratio repræſaliarum, & belli, cum ſit hoc hoſtilitas animorum: illæ incolumi amicitia fiant. Et Hiſpanus igitur ſit, qui alibi quoque habitat extra Hiſpaniam; ſi alias non deſiit eſſe Hiſpanus. f Non mutatur origo, nec deſeritur patria facile. Incolatus, allectio addit civitatem civitati, non tollit priorem. Poteſt quis allectione civis eſſe variorum locorum: poteſt alibi civis eſſe allectione, & item alibi, atque alibi: & alibi item adoptione: & in pluribus item locis per domicilium: & alibi nativitate: & alibi origine. g Origo patris attenditur: dum eſt nativitas alibi. h Et domicilium haberi pluribus in locis poteſt. i Regula autem eſt communis, ut cauſſa attendatur, quæ nocet, Etſi de domicilio attendendo plura tradantur: & item alia de attendenda origine, aliis. k Subditi dicuntur non reſpectu originis, vel allectionis, ſed

a *Bal. l. 5. C. de accuſ.*
b *Bal. conſ. ſcbiſ. §. pe.*
c *Rom. conſ. 382. 383.*
d *Bal. 5. conſ. 185.*
e *Bal. l. 3. de off. adſeſſ. Decia 2. conſ. 71.*
f *Bod. 1. de rep. 5. Cephd. 451. 722.*
g *Cuja. 24. obſ. 33.*
h *l. 6. ad municip.*
i *Jaſ. l. 22. de adopt.*
k *Rot. 4. conſ. 120. Soc. 4. 79. Caſtr. 2. 80.*

ſed domicilii. Statutum, ſi ſimpliciter quem appellet Anglicum, domicilium ſignificat. [a] Si civitas punitur pro damnis datis, non abſentes, non alii puniuntur: quibus culpa imputari non poteſt. Et ſic alia de domicilio. [b] Quod non tamen contrahitur per mille (ſic loquuntur) annorum habitationem abſque animo habitandi perpetuo. Qui tamen animus in re dubia intelligitur per habitationem decennii. Sed civitas hæc incolatu quæſita, aliterve, perditur multo facilius, quam originaria, aut nativitatis. Perditur enim per omnem deſertionem; ut quia illinc translatum alio domicilium ſit. At civitas naturalis nunquam perditur, niſi in pœnam uno caſu, cum deſeritur periclitans. Quod itidem exponit Cephalus late. Et ita in eo, qui bello exorto degit apud hoſtes, reſpondit Eguinarius Baro: & ad τὰ πρῶτος reſcripſit. Nunc mihi unum hic ſupereſt de rebus, quæ non ſunt dominii hoſtium, ſed locatæ, pignoratæ, depoſitæ, commodatæ. Et videntur iſtæ quoque poſſe capi. [c] Quoniam bona hoſtium dicuntur omnia, etſi in dominio hoſtium non ſint, ut præclaram deciſionem Alciati appellat Cephalus. Imputet præterea ſibi, qui hoſti noſtro quidquam commiſit. Sed capientur tamen cum ſua cauſſa: niſi ſtante bello, aut ingruente tradita hoſti ſint. Quid enim ille in nos peccavit, qui olim quid tradidit homini non noſtro inimico? Tradens inimico, peccat, ſi quid eſt, quod bello ſerviat.

a *Rom. conſ.* 7.

b *Bar. l. 5. de injur.*

c *Alc. l. 4. de V. S.*

CAP. XXIII.

De vaſtitate, & incendiis.

QUando autem de perſonis expoſuimus adeo multa: age, nunc aliquid de ipſis hoſtium rebus plenius diſpiciamus. [d] Scribit autem Polybius, quod ſævire in hoſtes, & eorum caſtella, hortos, urbes, villas, naves, fructus devaſtare, aliaque his ſimilia facere, per quæ hoſtium vires debilitentur, confirmentur ſuæ, jura belli permittunt: ea vero deſtruere, quæ nec propriis rebus emolumenti aliquid afferunt, nec hoſtibus detrimenti, ut ſunt templa, porticus, ſtatuæ, aliaque hujuſmodi, rabioſi eſſe hominis, ac ſuventis plane: neque enim ad internecionem uſque pugnare cum hoſtibus, virum bonum decet, ſed quoad eorum, qui

d *Polyb. lib. 5.*

qui deliquerunt, malefacta purgata ſint, atque correcta. Quæ Polybius: etſi ab hoſtibus paſſi iſta internecina eſſemus: adeoque nunc malum malo reddere videremur, [a] Contra Philippum ſunt & illa apud Livium, quod etiam ſepulchra dirueret, & templa Deûm: nec divini, nec humani juris quidquam relinqueret: itaque Athenienſes, *Eſſe quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta, prædas hominum, pecorumque agi, miſera magis, quam indigna patienti eſſe. Sed cum diis infernis, cum ſuperis bellum nefarium: omnia ſepulchra diruta, omnium nudatos manes, nullius oſſa terra tegi.* [b] Et eadem Florus, *Philippus ultra jus victoriæ in templa, aras, ſepulchra ſæviit.* [c] Et idem Polybius contra Ætolos, quod & ſacra vaſtarent: nec belli modum ſervare ſcirent. [d] Sane eſt & in bello exceſſus modi, & manifeſtus injuſtus eſt. [e] Et injuſtum eſt, inque ore injuſti poſitum, etſi ſolens illud, *Arma non ſervant modum, nec temperari facile, nec reprimi poteſt ſtricti enſis ira.* [f] Cicero bellum hoc horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus ſit. [g] Etiam barbari ſic cenſent, prædam quidem in parte victoriæ computari ſolere: ſed ſegetes vaſtare, villas incendere, cætera id genus agere, ultimi eſſe odii, & furorem, ac rabiem verius, quam ultionem. Ceterum ſi paſſi hæc eſſemus ab hoſtibus, mihi Polybii definitio non placet. [h] Quia, malum pro malo reddere, juſtum eſt, & laudabile: ut inquit Ariſtoteles. Et damnum immo hoſti eſt in ruinis ornamentorum paratorum multo ſumtu: reparandorum non minori: Aut cur hæc illi non fiant, qui paria miſeriarum, & dolorum nobis ſpectacula prior fecit? [i] Inquit Baldus, *Vindicta eſt recontriſtatio offenſoris.* [k] Ait Pindarus, *Inexpertus belli, qui non intelligit, quod qui afficit alium malo, etiam, ut ferat, rationis eſt.* [l] Palatia regis Perſarum admirabilia funditus diruit Romanus Imperator: ut doceret, (ſic ajebat, & ſic ego adnoto rationem) quantum doloris Romani percepiſſent, ipſo Perſa Romanas urbes incendente. [m] *Par pari referre, ulciſci eſt, non contumeliam facere, contumeliam facit, qui animi gratia, non utilitatis, non vindictæ facit.* [n] Et de Ariſtotele, & de legibus Baldus, quod non incipit, qui ex ira facit, ſed qui ad iram provocavit, & quod princeps eſt culpæ, a quo incipit malitia, & quod, qui facit juſte, non offendit, ſed is, qui patitur juſte. Et id genus reliqua. [o]

Res

a *Liv. lib. 31.*
b *Flor. lib. 2.*
c *Polyb. 4.*
d *Bal. l. 5. de juſt.*
e *Sene. Her. fur.*
f *Cic. pro. do. ſu.*
g *Scander. 9.*
h *Ariſt. 1. rh. & 5. eth. Caſer. 6. de ſi. ce. 1.*
i *Bal. 3. conſ. 173.*
k *Pind. Nem. 4.*
l *Cedr. P. Diac. 18.*
m *3. rh. ad Her. & Ariſt. 2. rh.*
n *Bal. 2. conſ. 143. 195.*
o *1. Mac. 2. 5. 10.*

Retribuit retributionem gentibus, filiis moriens ait Macchabæicus. Et igitur ut deſtruerent aras gentilium: qui profanarunt templum, ſanctuarium, & legem. Et ſic Judas ſana incendit, altaria deſtruit, ſculptiles Deos igni comburit. Nec aliter Jonathas frater. [a] David etiam Philiſtæorum Deos in prælio captos exuſ. a 1. *Chr.* 14.
ſit. Quid ni? [b] Ipſi non multo antea Philiſtæi arcam Domini in b 1. *Sam.* 5.
prælio captam profanarunt, inductam in ædem Dagonis, non ſolum contrectatam manibus profaniſſimis. [c] Etiam locus, ubi c *Joſ.* 15.
capta idola Philiſtæorum intra fines Iſraelis: ubi hæc ferri non poterant. Crudeliſſimis item hoſtibus facinora immania ſine talionis, pœnæ æquiſſimæ, timore ſi relinquimus, ad ea illos quaſi invitamus. [d] Atque de talione Sex. Cæcilius Juriſconſultus. d *Gell. ult. c.* 1.
Quæ acerbitas, ſi idem fiat in te, quod tu in alio feceris? Et nos in libris de legationibus. [e]. Interim vero *nihil eſt amarius, quam id ipſum pati, quod feceris aliis*, ut ait Tertullianus. Et e *Tert. 2. adu. Mar.*
hoc igitur juſtum, & expedit. [f] Audi Florum de Thracibus, f *Flor. lib. 3.*
Non aliter cruentiſſimi hoſtium, quam Juis. moribus, domiti, quippe in captivos igne, ferroque ſævitum eſt. Jura belli non ſervanti nec ſerventur quidem. [g] Fruſtra legis implorat auxilium, qui g *c.* 14. *de in. jur.*
in legem committit. Bellum certe neque adverſus Deum, neque adverſus res ſacras, ſed eſt adverſus armatos. [h] Sic Alexander h *Suida.*
cavit, ne templa, ne luci Thebis violarentur exſciſis. [i] Sic de i *Eurip. Troa.*
Neptuni ore philoſophus ſcenicus, *Stultus, qui expugnata urbe templa, & tumulos, & ſacra mortuorum dat ſolitudini*. [k] Sic k *Æſchil. Per. Cic. 1. de le. Ver.* 3.
videntur nihil minus, quam magi, id eſt ſapientes, & religionum interpretes, qui auctores fuerunt Xerxi, ut Græciæ templa inflammaret. Et conſilium dederunt tamen ex ſua, & gentis Perſicæ religione: quæ neſas putabat, divinum numen, quaſi tectis, & parietibus concluſum coli. [l] Et quidem qui templa oderunt l *Dan. adu. B. 7. co.* 3. *c.* 6.
ob iſtiuſmodi rationes, & occaſiones, non ſunt reprehendendi: alii ſunt reprehendendi, qui odio, & contemtu omnis religionis templa violant: etiam ſi improba religio eorum, quorum templa violantur. Sed & omnes (excipio exceptum ſupra caſum) reprehendendi, qui aliorum templa violant: hoc eſt, quæ habituri ipſi non ſunt, ſed relicturi ſic ſunt hoſtibus violata. [m] Joſephus in antiquitatibus notat, alienæ non conviciandum religioni, ne & noſtræ re maledicatur ſanctiſſimæ per provocatos. [n] Iſti m *Phil. de monarch.*
ſunt gigantes, quia ita pugnaſſe cum diis dicantur, quod Deo- n *Philoſtr. lib.* 5.

rum ædes, ac templa violarunt, ut majori mago, Apollonio, placuiſſe narratur. [a] Romani religioſe evocare carmine longo ſoliti Deos ejus civitatis, quam ad oppugnandam cingebant: nefas exiſtimantes habere Deos captivos. Erat enim evocare, ab hoſtibus ad ſe invitare. [b] Et is fuit illorum mos inferre in civitatem ſuam ſemper Deos omnes victarum gentium: & ita ipſi colere illos deinceps, ut colebant alii prius, & coli dii volebant. Soli autem Deo Judæorum, vero Deo noſtro, id præſtitum non fuiſſe, docet Auguſtinus; quia Deus non vult verus, alios haberi ſecum Deos: & ergo Romani, ne amitterent multos, unum non admiſerunt victa Judæa, captis Hieroſolymis. Sed de templis. [c] Et Brutus ſacras ædes, quotquot potuit, ab incendio belli conſervavit. [d] Etiam immanis ille Tamerlanes templis pepercit. Hoc tamen ſic videtur aliquibus, ſi diverſæ non ſint religiones. [e] Franci parcebant (ait Agathias) templis; quia ejusdem nobiſcum religionis: Alemanni autem, qui aliter ſentiebant, ſacra diripiebant, vaſtabant. Cæterum vaſtationem nos non probavimus: direptionem & probaſſe videmur, & adprobabimus ſequenti plenius libro. Quid ergo in caſu alio, cum templa hoſtibus ſunt pro arcibus, & caſtellis? [f] De Hieroſolymitano Titum cum præcipuis ducibus deliberaſſe, narrant: atque alios cenſuiſſe, belli jure uti oportere, nec ulli rei parcendum eſſe: alios vero ſic diſtinxiſſe, ut ſi, Judæi de templo bellarent, combureretur, nec jam templum haberetur, ſed caſtellum. Priores jus ſequi videri volebant, forte an illud contrarietatis religionum? [g] Ut inviſiſſimam, odioſiſſimam fuiſſe Judaicam ſcimus omnibus. Secundi ſequuti certe ſunt bonam bellicam rationem: [h] quæ Venetiſque placuit contra Genuenſes in communitate religionis. Cum enim Genuenſes fanum occupaſſent Ptolemaidæ, & muniviſſent: Veneti fano, ut ab hoſtibus profanato, non pepercerunt. Ceterum Titus, etſi Judæi templo occupato repugnarent, ſe virorum loco res inanimatas ulturum, negat. Quæ ratio ad juſtitiam nulla eſt. Nam ultus fuiſſet hoſtes in templo vaſtando: & ad hoſtes per eam vaſtationem pervenire potuiſſet: & ita eosdem vincere. Altera ratio, quam afferebat, etiam nihil ad juſtitiam, tantum opus non ſe crematurum, cujus vaſtatio Romanis damno, conſervatio ornamento futura eſſet. [i] Sic Rhodii Demetrio, qui eos obſidebat, vaſtaturo extra urbem ædes, in quibus memoratiſſima

ima-

a *Macr. 3. Sat. 9.*

b *Prud. 2. con. Symm. Aug. 1. de co. eu.*

c *App. 4. civil.*

d *Jov. 14.*

e *Agath. 2.*

f *Zonara.*

g *Cic. pro Fla. Tac. 5. hiſt.*

h *P. Æmil. 7.*

i *Gell. 15. c. ult.*

imago manu Protogenis facta, pictoris illuſtris, *Quæ malum, ratio eſt, ut tu imaginem iſtam velis incendio ædium facto diſperdere? Nam ſi nos omnes ſuperaveris, & oppidum hoc totum cœperis, imagine quoque illa integra, & incolumi per victoriam potieris, ſin vero nos vincere obſidendo nequieris: petimus, conſideres, ne turpe tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe.* Et quidem Demetrius, ubi iſta audivit, pepercit imagini, & civitati. Noſtri hodierni hæc riſerint, nihil minus quam veri milites. Et non minus a cultu omni humanitatis alieni, quam a militari veterum ſcientia, & reliqua omni virtute, atque arte belli. Sed ſi tamen aditus ad victoriam facilior ſit per hæc deſtructa, ratio nec eſt parcendi. Quod modo de templo Hieroſolymitano dixi. Et quod ad Polybium addere etiam oportet, qui haud dubie & ſic ſenſit. [a] Etiam nec parcitur vivis imaginibus, cariſſimis pignoribus, expoſitis ad machinas, atque tormenta: unde terrerentur obſidentes ab verberanda urbe, & eis feriendis. Sed nos hic in eo ſumus contra Polybium, quod par pari rependi volumus. [b] Et itaque ſi Græci incenſis Sardibus cauſſam dederunt incendio templi Cybeles: tum Perſæ hoc prætextu juſte in Græcia poſt cremaverunt templa. [c] Et Iſocrates, & quiſquis alius, Perſis injuſte id exprobrat. Sed opere eſt pretium audire illum ad jus, quod regulariter eſſe volumus. *Quid*, inquit, *rerum omnium habemus, in quod barbari non animo ſint hoſtili? qui & ſimulacra Deorum, & templa ſpoliare, & comburere non dubitarunt? Quare laudandi ſunt Iones, quod diris eos exſecrationibus devoverunt, qui templa cremata inſtaurarent, aut iisdem fundamentis exædificarent: non quod deeſſet, unde ea reficerent; ſed ut monimenta poſteris eſſent barbarorum impietatis: & nemo fidem iis haberet, qui ad eum modum in templa Deum auſi graſſari: & qui non tantum noſtris corporibus, ſed & religioni bellum intulerunt.* Quæ juſte contra primos hujus vaſtitatis auctores. Huc mihi tu revoca, quæ ſimiles vaſtationes factæ narrantur. [d] Et quod Germanicus, cladem Varianam ulciſcendo, late ferro, flammis omnia vaſtat: profana ſimul, & ſacra; & celeberrimum Germanis templum Tanfanæ ſolo æquat. Quid faciant templa perfidis, perjuris, contemtoribus religionum? Sic Gallus quidam Hiſpano fertur reſpondiſſe, templa non oportuiſſe illi ſervari, qui oſtenderit, templa

a *Val.* 5. *c.* 1. *Sigo. de re. Ita.* 12. 13.

b *Herodo.* 5.

c *Iſocr. paneg.*

d *Tac. ann.* 1.

curare nihil. Sane autem ſi melioribus Dei templis, quæ ſunt ſancta, non pepercerint hoſtes: utique nec lapideis parcere templis olim neceſſe fuerit. Et illud quoque contra jus belli eſt, ſævire in hoſtes cauſſa religionis. Sic plures ſunt caſus, cum templis non parcitur: ſi hoſtes non ante peperceruntſi profanata jam ſunt ab hoſtibus: ſi ſunt impedimenta ad victoriam: ſi in ſimili caſu egerint hoſtes adverſum jura belli: ſi tantum diripiuntur, non vaſtantur: & cum ea vaſtantur, quæ vaſtantibus remanent. Quæ contra Polybium. Ex diverſo autem nec probandus videtur graviſſimus auctor: & quo vix alius judicio firmior eſt, nemo (a hæc Lipſius merito) uſu, atque experientia doctior, quod fructus devaſtari ſinit. b Nam lege Dei interdicitur, cædi frugiferas arbores, vel ad machinas bellicas. c Atque, inquit Joſephus, quod ſi vocem edere illæ arbores poſſent, ſimul ſi conclamarent, ſe, non belli cauſſam, inique ferre belli pœnam. d Mitiſſimam legem hanc Judæorum de terra hoſtili non perdenda, & de frugiferis non cædendis arboribus, alibi dicit. e Hanc legem in ſua civitate ſancit Socrates: & notat item mitiſſimam: & adfirmat digniſſimam, qua uterentur Græci invicem: qui ejuſdem quaſi patriæ cives non in eam inducerent populabundi vaſtitatem; & incendiis fræna laxarent: at ſic rationem irent, & ſic agerent, non quaſi ſemper flagraturum eſſet bellum, ſed aliquando reconciliatis animis pax fuerit reditura. Adverſum barbaros illa ſæva fierent: cum quibus a natura ſit bellum: inter Græcos, quaſi ejusdem civitatis homines, ſeditio eſſe poſſit, bellum non fiat. Et id genus alia ediſſerit Socrates, quæ aptiora Chriſtianis ſentimus. f Et eadem prorſus Philo: an de Platone ſuo ſic rapta? an de eodem utrique hauſta fonte: quem & hauſtum Platoni autumant? Iniquum, ait Philo, bellum, ſuſceptum adverſus homines, ſævire in res innoxias, frugiferas arbores: etiam habendam rationem futuri eſſe: cum hi hoſtes poſſint amici fieri: nec enim temere proverbium, *Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes: ita offendas inimicum, tanquam rediturus in gratiam.* Etiam ſi nec ulla ſperaretur pax, tamen nocere arbores nemini, aſt utiles eſſe. Probe. g Et quominus illud probes de ſuſpicione in amicitia: ita hoc probaveris magis de moderatione tota in inimicitia. Sed ſic tamen, ut h *tales ſint ſemper belli mores, quales ſunt hoſtes.* Itali, avorum noſtrorum memoria, gerere

a *Lipſ. 5. mil. R. 1.*
b *Deut. 20.*
c *Joſe. 4. ant. 8.*
d *Joſe. 2. con. App.*
e *Pla. 5. de rep.*
f *Phil. de char. & de cre. pri.*
g *Cic. de amic. Card. 2. de ſap.*
h *Jov. 1. Com. Pii 2. 5.*

rere inter ſe ſoliti bella incruenta: mox cruentiſſima experti per Gallos, & alios exteros. [a] Hoc de civili, & antiquo more etiam Dionyſius narrat: dum, ſic a Romanis, & Latinis priora ſolitum geri bella, exponit. [b] Sic vero M. Tullius, *Ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Ut enim cum civiliter contendimus, aliter ſi eſt inimicus, aliter ſi competitor: cum altero certamen honoris, & dignitatis, cum altero capitis, & famæ. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur: uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur*. Et de hoc quoque antea. Ego etiam de lege Judæorum cenſui aliquando, ut ſic eſſet, quia regionibus illis potituri, non aliena Judæi vaſtaſſent, ſed ſua. [c] *Nemo ſic vaſtat ſua*: dictum Polynici, regnum repetenti, & vaſtanti. [d] Ita Lacedæmonii neque villas Meſſeniorum demoliebantur, nec arbores ſuccidebant, ſed tantum agebant prædas: quoniam ſuum jam illum agrum cenſebant. [e] Et ita Crœſus ait, tuam, Cyre, urbem diripiunt: cum iſte victor, captis Sardibus, ejus urbis direptionem victo, & capto Crœſo oſtenderet, veluti per irriſionem captorum. [f] Et ita Timotheus jubet, fructibus parci, quibus fruerentur parta victoria. [g] Et ita Quinctius milites enixe movet ſuos, ut quaſi ſuæ jam ditionis rationem haberent ejus, quam tenebant. [h] Et ita Beliſarius ſuis ſævientibus capta Neapoli ſubditos jam necatis, inquit, non ſumitis vindictam de hoſtibus. Et ita ego olim de lege Dei. Sed videtur tamen ea generalis eſſe, nec illi tantum eſſe parti, quæ de regionibus datæ Judæis terræ eſt. Cæterum & rationem habet, propter quam liceat aliquo caſu & iſtas ſuccidere arbores frugiferas, ſi aliæ nullæ ſint in agro infrugiferæ: ut ait, *nam agreſtes arbores ſunt, quibus utaris*. Quid enim voluiſſet Deus, parci arboribus ſemper, qui voluit, expugnari urbes? Sed adhuc manet contra Polybium, & contra omnem non ex priſco ævo memoriam, quod extra hunc caſum vetat Deus hujuſmodi vaſtitates. Aut ea numquid eſt civilis lex ejus tantum reipublicæ? Non videtur: quia extra rempublicam loquitur. Et Curti verba ſunt, *Delebant incolæ urbem, hoſtes exſtinguebant incendium: adeo etiam naturæ jura bellum in contrarium mutat*. Rectius opinabimur, conſilium datum Judæis, non conſultum hoſtibus: *Si ex eis comedere potes*, dicit. Et ratio videtur. Et

[a] *Dionyſ. 3.*
[b] *Cic. 1. de. off.*
[c] *Sen. 4. Theb.*
[d] *Pauſ. 4.*
[e] *Herodo. 1.*
[f] *Polyæn.*
[g] *Plut. Flam. Liv. 32.*
[h] *Procop. 3. Goth.*

quæ

curare nihil. Sane autem ſi melioribus Dei templis, quæ ſunt ſancta, non pepercerint hoſtes: utique nec lapideis parcere templis olim neceſſe fuerit. Et illud quoque contra jus belli eſt, ſævire in hoſtes cauſſa religionis. Sic plures ſunt caſus, cum templis non parcitur: ſi hoſtes non ante peperçerunt: ſi profanata jam ſunt ab hoſtibus: ſi ſunt impedimenta ad victoriam: ſi in ſimili caſu egerint hoſtes adverſum jura belli: ſi tantum diripiuntur, non vaſtantur: & cum ea vaſtantur, quæ vaſtantibus remanent. Quæ contra Polybium. Ex diverſo autem nec probandus videtur graviſſimus auctor: & quo vix alius judicio firmior eſt, nemo (a hæc Lipſius merito) uſu, atque experientia doctior, quod fructus devaſtari ſinit. b Nam lege Dei interdicitur, cædi frugiferas arbores, vel ad machinas bellicas. c Atque, inquit Joſephus, quod ſi vocem edere illæ arbores poſſent, ſimul ſi conclamarent, ſe, non belli cauſſam, inique ferre belli pœnam. d Mitiſſimam legem hanc Judæorum de terra hoſtili non perdenda, & de frugiferis non cædendis arboribus, alibi dicit. e Hanc legem in ſua civitate ſancit Socrates: & notat item mitiſſimam: & adfirmat digniſſimam, qua uterentur Græci invicem: qui ejuſdem quaſi patriæ cives non in eam inducerent populabundi vaſtitatem; & incendiis fræna laxarent: at ſic rationem irent, & ſic agerent, non quaſi ſemper flagraturum eſſet bellum, ſed aliquando reconciliatis animis pax fuerit reditura. Adverſum barbaros illa ſæva fierent: cum quibus a natura ſit bellum: inter Græcos, quaſi ejusdem civitatis homines, ſeditio eſſe poſſit, bellum non fiat. Et id genus alia ediſſerit Socrates, quæ aptiora Chriſtianis ſentimus. f Et eadem prorſus Philo: an de Platone ſuo ſic rapta? an de eodem utrique hauſta fonte: quem & hauſtum Platoni autumant? Iniquum, ait Philo, bellum, ſuſceptum adverſus homines, ſævire in res innoxias, frugiferas arbores: etiam habendam rationem futuri eſſe: cum hi hoſtes poſſint amici fieri: nec enim temere proverbium, *Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes: ita offendas inimicum, tanquam rediturus in gratiam.* Etiam ſi nec ulla ſperaretur pax, tamen nocere arbores nemini, aſt utiles eſſe. Probe. g Et quominus illud probes de ſuſpicione in amicitia: ita hoc probaveris magis de moderatione tota in inimicitia. Sed ſic tamen, ut h *tales ſint ſemper belli mores, quales ſunt hoſtes.* Itali, avorum noſtrorum memoria, gerere

a *Lipſ. 5. mil. R. 1.*
b *Deut. 20.*
c *Joſe. 4. ant. 8.*
d *Joſe. 2. con. App.*
e *Pla. 5. de rep.*
f *Phil. de char. & de cre. pri.*
g *Cic. de amic. Card. 2. de ſap.*
h *Jov. 1. Com. Pii 2. 5.*

rere inter ſe ſoliti bella incruenta: mox cruentiſſima experti per Gallos, & alios exteros. [a] Hoc de civili, & antiquo more etiam Dionyſius narrat: dum, ſic a Romanis, & Latinis priora ſolitum geri bella, exponit. [b] Sic vero M. Tullius, *Ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Ut enim cum civiliter contendimus, aliter ſi eſt inimicus, aliter ſi competitor: cum altero certamen honoris, & dignitatis, cum altero capitis, & famæ. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur: uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur*. Et de hoc quoque antea. Ego etiam de lege Judæorum cenſui aliquando, ut ſic eſſet, quia regionibus illis potituri, non aliena Judæi vaſtaſſent, ſed ſua. [c] *Nemo ſic vaſtat ſua*: dictum Polynici, regnum repetenti, & vaſtanti. [d] Ita Lacedæmonii neque villas Meſſeniorum demoliebantur, nec arbores ſuccidebant, ſed tantum agebant prædas: quoniam ſuum jam illum agrum cenſebant. [e] Et ita Crœſus ait, tuam, Cyre, urbem diripiunt: cum iſte victor, captis Sardibus, ejus urbis direptionem victo, & capto Crœſo oſtenderet, veluti per irriſionem captorum. [f] Et ita Timotheus jubet, fructibus parci, quibus fruerentur parta victoria. [g] Et ita Quinctius milites enixe movet ſuos, ut quaſi ſuæ jam ditionis rationem haberent ejus, quam tenebant. [h] Et ita Beliſarius ſuis ſævientibus capta Neapoli: ſubditos jam necatis, inquit, non ſumitis vindictam de hoſtibus. Et ita ego olim de lege Dei. Sed videtur tamen ea generalis eſſe, nec illi tantum eſſe parti, quæ de regionibus datæ Judæis terræ eſt. Cæterum & rationem habet, propter quam liceat aliquo caſu & iſtas ſuccidere arbores frugiferas, ſi aliæ nullæ ſint in agro infrugiferæ: ut ait, *nam agreſtes arbores ſunt, quibus utaris*. Quid enim voluiſſet Deus, parci arboribus ſemper, qui voluit, expugnari urbes? Sed adhuc manet contra Polybium, & contra omnem non ex priſco ævo memoriam, quod extra hunc caſum vetat Deus hujuſmodi vaſtitates. Aut ea numquid eſt civilis lex ejus tantum reipublicæ? Non videtur: quia extra rempublicam loquitur. Et Curti verba ſunt, *Delebant incolæ urbem, hoſtes exſtinguebant incendium: adeo etiam naturæ jura bellum in contrarium mutat*. Rectius opinabimur, conſilium datum Judæis, non conſultum hoſtibus: *Si ex eis comedere potes*, dicit. Et ratio videtur. Et

[a] *Dionyſ. 3.*
[b] *Cic. 1. de. off.*
[c] *Senec. Theb.*
[d] *Pauſ. 4.*
[e] *Herodo. 1.*
[f] *Polyæn.*
[g] *Plut. Flam. Liv. 32.*
[h] *Procop. 3. Goth.*

quæ

quæ iſtam interpretationem ſuadet. Joſephus, qui nuncupat legem mitem, adderet nunc, ex rigore belli aliter fieri poſſe. [a] Et quidem iratior Moabitis Deus jubet alibi, omnem illis arborem bonam dejici, omnes fontes aquæ corrumpi, omnem denique poſſeſſionem bonam perdi, & omnem deſtrui civitatem. Tu ſemper flecte ad mitiora, & ad legem generalem.

a 2. reg. 3.

CAP. XXIV.

De cæſis ſepeliendis.

RES hoſtium an ſunt cadavera cæſorum. Hoſtes eſſe deſierunt, qui homines eſſe deſierunt. In ea autem ſævire, aut illa prohibere ſepultura, ſine dubio res eſt improba, & impia. [b] Nam *defuncti non bella gerunt*, Lucanus canit. Et itaque, *Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis*. Latini oratores ajunt, ut Æneas *corpora, per campos ferro quæ fuſa jacebant, Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ*: & quibus Æneas reſpondet, *Pacemne exanimis, & Martis ſorte peremtis Oratis? Equidem & vivis concedere vellem*. [c] Atque ita cenſet Pompejus ſanctiſſime, exſtincto Mithridate, ejus & inimicitiam regis exſtinctam eſſe, & regaliter eum regem ſepeliri curat. [d] *Finitur indignatio moderata tum homine*. [e] Quem odiſſe non poteſtis, inquit Cicero de mortuo. [f] *Paci non intulit iram, poſt acies odiis idem qui terminus armis*, ut laudat Theodoſium Claudianus: & ut leonem Ovidius, *Pugna ſuum finem, cum jacet boſtis, habet*. Illud tempus pacis. [g] Et mortuorum pax eſt ſepultura. [h] Et ſic traditum a noſtris eſt, licentiam offendendi finiri morte; itaque ſi quis offendi per jus poteſt, is jam mortuus offendi non poſſit tamen. [i] Hoc Theſeus Thebanis, qui nolebant Argivos ſepeliri, bello cæſos: quod ſi quid mali paſſi ab Argivis eſſent, eos jam mortuos eſſe: & Thebanos ultos hoſtes præclare. Sinerent igitur, mortuos, terræ debitos, terra condi. Multus eſt Euripides contra Thebanos in jure iſto ſepeliendorum hoſtium adſerendo. Communem, veterem dicit hanc legem. Et Thebanos polluere leges hominum, confundere legitima totius Græciæ, contumelia afficere leges Deorum. [k] Et in eodem Thebanorum caſu paria Sophocles: divinum hoc eſſe jus, & æternum naturæ, & uſitatum.

b *Virg.* 11.

c *Dio.* 37. *App. Mithr.*

d *Ennod. paneg.*

e *Cic. pro Clue.*

f *Cla. 4. conſ. Ho.*

g *Ser. Æneid.* 11.

h *Bal. l.* 10. *C. de his, qui, ut ind.*

i *Eurip. Suppl.*

k *Sophocl. Antig.*

Quæ

Quæ fortitudo eſt, enecare mortuum? ut Thireſiam Creonti dicentem inducit, & perſuadentem de hoc jure. [a] Etiam is poeta multus alibi in re iſta: inimicitias poſt mortem prorogare, impium. Deorum jura ſacrata violari: omne jus, fasque obteri, & ſimilia plura. Tu vero ſic conſidera, rem viſam dignam tragicis exſecrationibus: & proſequutos eam exſecrationibus duos ſummos tragicos late, pluries. Sed & alii poetæ ſic, *Ignominioſum, fauciare fugientem in prælio: & turpe ferire cadaver proſtratum.* Tirtæus, *Vivos punire, non mortuos, pium eſt. Et nec honeſtum eſt, mortuos viros conviciis proſcindere*, Archilochus. [b] Et ſic ſolitum in ſilicerniis defunctum laudari, quamvis improbum. [c] Atque de illa Thebanorum crudelitate, & improbitate, deque bello contra eos Theſæi, & Athenienſium ob iſtam cauſſam, etiam Iſocrates ſic tractat in locis pluribus, & legem de ſepeliendo apud univerſos receptam homines: & contumelioſiores in ſemet eſſe, qui prohibent, ſepeliri hoſtes, quam in hoſtes ipſos. [d] Adde poetam Latinum, *Bello cogendus, & armis in mores, hominemque Creon.* Et apud eumdem Theſæus, *Terrarum leges, & mundi fœdera mecum, Mecum defenſura*, &c. *Nam quis erit ſævire modus? bellavimus. eſto. Sed cecidere odia, & triſtes mors obruit iras*, &c. [e] Et Latinus alius contra alium Creontem, *Hominemque cruentus exſuit: & tenuem cæſis invidit arenam. Hoc facinus refugo damnavit ſole Micænas, Avertitque diem ſceleri*, &c. Ait, hoc odium eſſe, non pœnam. Aït, jura prodita, pietatem pollutam. Quid noſtros nunc Italos dico? [f] Arioſtus, qui & legum peritus, & morum, furorem dicit Creontis. Taſſus eruditiſſimus ſævitiam in terram, quæ nihil ſentit, ſævire in occiſos. Juſtum ergo, & pium Theſæi bellum. [g] Et defunctis opitulari, quam vivis, juſtius vivi enim præſidio ſibi eſſe poſſunt. Hæc honeſtiſſima cauſſa belli, ſive offenſionis, ſive defenſionis, de qua ſcripſi. [h] Lyſandro dedecori magno fuit, quod cæſos hoſtes terra condi non eſt paſſus. [i] Pauſanias autem, nec ut rependeret paria, non paſſus inſepultos jacere hoſtes, quod exiſtimaret, barbarum eſſe ſævire in mortuos. [k] Sic dicunt alii auctores, hoſtium ſepulturam curandam: & curam eſſe piam, neceſſariam. [l] Hoc eſt gentium, & humanitatis jus: ut de Chryſoſtomo, aliisque idem nobis docet doctiſſimus P. Faber. Sic de pluribus in omni genere doctrinæ ſcriptoribus audis, Græcis, Latinis, Italicis. Sic & Hebræi.

a *Sopbocl. Ata.*

b *Suida.*

c *Iſocr. Panat. Platæ. Panegy. Helen.*

d *Stat. ult. Theb.*

e *Claud. bel. Gt.*

f *Arioſt. can. 19. Taſ. 10.*

g *Ariſt. 30. probl. 9.*

h *Suida.*

i *Pauſ. 9.*

k *Pauſ. 1. Herodo. ult.*

l *Fab. a. ſem. 1.*

Hæc

a *Phi. adu. Flac.* b *Joſe. 4. 5. ant.* c *l. 6. C. de hæret.* d *l. 28. de pœ.* *l. 1. de ca. pu.* e *Bal. l. ult. C. dene. ge. & 1. conſ. 426.* f *D. de relig.* g *Leo. nov. 53.* h *Luc. 7.* i *Tac. ann. 6.* k *App.* l *Suida.* m *3. rh. ad Her.* n *Claud. 1. Stilic.*

[a] *Hæc in bello commercia, vel ſepelire hoſtes, vel ſuis repetentibus dare.* Sic Philo. [b] Naturæ jus violari; ipſam pollui divinitatem, & pœnam ultra omnem exigi rationem, ſi fiat aliter: ſic Joſephus. [c] Hæretici humaniter, & pie ſepeliuntur, Dei hoſtes. [d] Aut ſunt milites hoſtes quaſi famoſi latrones, de quibus non ſepeliendis lex eſt? At milites jus tractant, quibus non denegabitur, quod vel aliis punitorum cadaveribus lex concedit. [e] Nam privari ſepultura eſt maxima pœna. Et reipublicæ præterea expedit non minus humari mortuos, quam vivos conſervari. Quæ noſter Baldus. [f] Jus hoc eſt, ſpectatque ad religionem, cum qua non geritur bellum. Spectat ad naturam, ut audis, contra quam non geritur bellum. [g] Adde legislatorem, cognomento Philoſophum, *Naturæ communi dedecus fit, dum fit mortuis.* Spectat ad jus gentium: de quo, non adverſus quod, eſt bellum. [h] Adde hæc, quæ Lucanus contra Cæſarem, prohibentem ſepeliri cæſos in prælio Pharſalico, *Non illum Pœnus humator conſulis, & Libyca ſuccenſa lampade Cannæ compellunt, hominum ut ſervet in hoſtes.* [i] Et Tacitus de Tiberii immanitate ſuper corpora necatorum, *Interciderat ſortis humanæ commercium.* Spectat ſimul & ad belli jus, quod quærimus. [k] Adde de Appianò, *Hoc humanum, & ex belli jure, ſepelire hoſtes.* [l] Et ita, juris belli magiſtri, Romani non permittebant, hoſtes inſepultos jacere. Quid tamen Romanos nominamus? Audivimus de omnibus. Et non ergo dubitandum quin hoc jus ſit. Omnes & auctores ſic ſcribunt. [m] Addamus illa ſive Ciceronis, ſive Gallionis, ſive Cornificii, ſive cujus alterius, *Mortuis iratum eſſe neminem oportet. Et ſic Ulyſſes in Ajace Sophoclis: & ſic Æneas, Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis. Nam, quod malorum eſt extremum accidit illis jam, nec quidquam incommodi ſenſuri ſunt. Et ſic Apollo apud Homerum contra Achillem,*

Surdam fœdat humum, implacata concitus ira.

[n] Et contra Achillem illa quoque Claudiani,

Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Æneas: tractusque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit, vel queſtus Achilli.
Tu neque veſano raptas venalia curru
Funera: nec vanam corpus meditaris in unum
Sævitiam.

Et

Et cætera in laudem Stiliconis. [a] Contra Achillem, qui fata hominum in exanimo hoſte non vereretur, etiam ipſe inducitur Jupiter. [b] Contra Achillem & Plato eſt, aut verius contra Homerum, qui Achillem deæ, & Pelei filium, viri moderatiſſimi, & a ſapientiſſimo Chirone educatum, tanta perturbatione refertum induxerit: ut nec, niſi accepto pretio, Hectoris cadaver reddiderit. [c] Et vero iſtam illiberalitatem alii etiam vituperant. [d] Et ii defendere non audent, qui audent ſævitiam, quæ *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*, quaſi ſcilicet hæc affectus iræ, & heroum. Atque dicere tu præterea potes, meritum hæc Hectorem: [e] qui in Achille iſthæc, certe Achilli facere volebat in cadavere Patrocli, caput præcidere, ſudi affigere, cadaver trahere, canibus dare. Ecquid quoque ſi viventi, & videnti (*f* quod Ajax ait apud Sophoclem) hæc facta Hectori ſint ab Achille? [g] Achillis exemplo ab Alexandro Batin religatum ad currum, & per talos ſpirantis lora trajecta, & tractum, Curtius narrat. Hæc viventi fortaſſis fient non ſemper injuſte: ut de juſta aliquando ſævitia audivimus. Et de hoc ipſo ſtatim audiemus. Neque enim aut in altero deferam Homerum, quod facit, ut exanimumque auro corpus venderet Achilles. [h] Etſi huic id exprobret Caſſandra quoque vel maxime, quod fuerit cadaverum venditor. [i] Et Priamus, & Hecuba hanc conqueruntur indignitatem, vivosque multos filios ſuos ab Achille venditos. Nam & querelæ hoſtium hæ ſunt. [k] Et taceo, quod Phœnicis præceptoris, immo etiam Jovis monitu hæc venditionis in cadavere Hectoris fecit Achilles. [l] Et quod fere omnia accepta donaverit Hectoris ſorori Polyxenæ. Quæ tamen eluere Achilli maculam multam valent. Hoc dico, munera (faceſſat hinc jam nomen venditionis: [m] niſi illud tu capis in ſua generali recondita ſignificatione, qua & ipſa etiam continetur donatio) a Priamo allata munera capere Achillem debuiſſe, quaſi victoriæ, & honoris judicium. [n] Munus enim tale eſt. Et ſic reſpondere alios recte ad defenſionem Homeri, cenſeo. [o] *Placatur donis Jupiter*. Atque quod Plato etiam vituperet in Homerico Jove aliaque, & hoc quod muneribus placetur: [p] refutatus eſt ea ratione a viris ſapientibus, quod de diis non Platonis juſſa ſcribenda fuerint, ſed quæ vulgo ferebantur, & recepta erant. [q] Ait Plato, improbiores eſſe, qui credunt, ſacrificiis Deos placari, quam qui Deos

a *Auſo. Ilic.* 21.
b *Pla. 3. de rep.*
c *Plut. de vi. Alex.*
d *Taſſ. 1. de nobil.*
e *Hom. Ilia.* 17. 18.
f *Sophocl. Aja.*
g *Curt. 4.*
h *Licophr. Alex.*
i *Ilia. 22. 24.*
k *Ilia. 9. 24.*
l *Cedr.*
m *l. 29. de ſtatu l. Alc. 2. conſ. 19. Bal. l. 1. C. de re. perm.*
n *Ariſt. 1. rh.*
o *Ovid. 3. de ar.*
p *Mint. 1. poet.*
q *Pla. 12. de legi.*

negant, aut qui dicunt, eos curam rerum humanarum non gerere. Et plura iſthæc Platonis ſunt: quæ extra ſuam civitatem non ubique probentur: & de quibus non eſt in præſentia diſſerendum. [a] Pro Achille Homerico etiam illud dico, juſtum eſſe, barbaros vel ſubtili ingenio ſpoliare pecunia. [b] Etiam uſuram, avaritiæ extremum, admittit in hoſtem Ambroſius. [c] Et relatum in jus eſt canonicum: [d] quicquid Carolus Molineus ſcribit, ſententiam iſtam tribui Ambroſio non vere. [e] Baldus quoque contra hoſtem publicum ſic de Ambroſio tradit. Quid ni ita? Furari, rapere licet, & occidere: [f] ſi fœnerari, eſt occidere. [g] Addo poſtremum pro Homero, barbaros viſos Græcis ſervos natura, itaque potuerit Achilles quaſi pecudes vendere in ſervitutem vel ipſos Priamides. Sed audi. Nec fuit igitur injuſtum, [h] quod Achillis cadaver redditum Græcis nec fuit antea, quam reddidiſſent Græci totum, quod pro Hectoris fuit datum cadavere: [i] ut, iſtud redemtum ad pondus, ajunt. Et hoc eſt jus retaliationis, de cujus æquitate pluries dixi. Et hic forſitan poteſt unus eſſe caſus, ne mortui reddantur ſuis, neve ſepeliantur ab hoſtibus. [k] Scanderbegus ſic noluiſſet Turcas ſepeliri exſos, ſed veritus fœtores, pietatem hoſtibus non voluntariam dicitur impendiſſe, eoſque humaſſe. Nec puto tamen exerceri jus oportere talionis contra hos, qui jam non ſunt: contra naturæ legem, & humanitatis. De pretio rependi talio poteſt viventibus. Alioqui non mihi lectum, aut relatum, pro cadaveribus pretium eſſe dictum unquam. Poteſt & alius eſſe caſus non ſepeliendi hoſtem, ſi, [l] quod Thebani reſponderunt alio tempore, hoſtis in terra noſtra armatus repetat. [m] Romani neque legationes de pace audire volunt, dum Pyrrhus, dum Hannibal armati eſſent in terra Italica. Ceterum ferox ille populus, & contra quam fieri paſſim cernimus. Et neque iſta ſunt paria. Ut hunc caſum ſecundum minus probem: contra quem video item fieri ſemper. Thebani ſemper hic improbi. [n] Tertius caſus videtur ex Davidis facto, qui Goliathi caput ſuſpenſum habuit Hieroſolymis. Et videtur factum ad terrorem minuendum ſuis, aut ad notam ſingularem beneficii ſingularis Dei. Attamen & iſte caſus, qui a propheta Dei eſt, non mihi trahetur in regulam facile. Quartus videtur autem contra cadaver odioſiſſimi. [o] Et ſic Mezentius, odioſiſſimus tyrannus, hoc veretur: & itaque Æneam orat,

a *l. 2. C. de comm.*
b *Ambr. Th. 25.*
c *c. 12. 14. q. 4.*
d *Mol. Alex. 2. conſ. 1.*
e *Bal. 3. conſ. 440.*
f *Cic. 2. de off.*
g *Ariſt. 1. rh.*
h *Lycophr. Alex.*
i *Athen. 6.*
k *Scander. 9.*
l *Thucyd. 4.*
m *Dio. ecl. de legatio. Zon. 2.*
n *1. Sam. 17.*
o *Virg. 10.*

Unam

Unum hoc per, ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro,
Corpus humo patiare tegi, ſcio, acerba meorum
Circumſtare odia, hunc oro defende furorem.

Ait vere furorem, quem non veretur in Ænea, ſed in ſuis. Et iſte tamen caſus de tyranno ad civile ſpectat jus, non adhoc gentium bellicum. Quodque fieri a civibus poteſt contra tyrannum, non idem poteſt ab hoſte fieri contra hoſtem. Forte, quod fieri contra tyrannum poteſt, injuſtum dominum, idem poteſt fieri contra hoſtem injuſtum. Verum non mihi hic ſermo de injuſto hoſte, id eſt de eo, qui nequit hoſtis eſſe. Qui aliquando peccat hoſtis, is non propterea hoſtis non juſtus a me dicitur: & de hoc a me dicitur. Piratæ capti & infami affici morte poſſunt, & patibulis affigi inſepulti. Vix igitur ſupereſt caſus, in quo liceat facere cadaveribus hoſtium injuriam. Nam quod multi ſic deprecantur, ne abjiciantur inſepulti, & minitantur multi hoc hoſti: nihil jus faciendi probat. Multa, barbare quæ fiunt, homines deprecantur. Hoc barbarum, & ferum, & impoliti ævi primi immane, & contrario emendatum jure per expulſorem ferítatum Herculem conſtituto, [a] ut ajunt. Æneæ quidem, & ad ſupplicem ſunt illa,

a *Vir. 1. Aug. de civ.*

Iſthic nunc metuendæ jace, non te optima mater
Condet humo, patriove inferabit membra ſepulcro:
Alitibus liquere feris, aut gurgite merſum
Unda feret, piſceſque impaſti vulnera lambent.

Sed peremto Pallante, & in ardore pugnæ hæc heros. Mox enim,

Nunc ite: & miſeris ſupponite civibus ignem.

Multum vero intereſt, ſive miniteris, te aliquid facturum, ſive facias. [b] Sæpius minitari licet, cum facere non licet. Et qui minatur, aperte etiam oſtendit, ſe nihil mali velle facere; ſed incuſſo timore retrahere a malo. Etiam ſunt homines in minando ſæpenumero promtiores, quam in perficiendo. [c] Etiam principes graviora ſubjectis ſæpe minitantur, acuendi potius ſtudio, quam nocendi: ut plus terror corrigat, quam pœna conſumat. [d] *Expedit timeri pœnam*: propter quam oderunt peccare mali. Viventi ſic minitari pœna maxima eſt: ex illo humani cordis affectu erga carnem ſuam. [e] Et itaque ſi cognoſcant homines, aliquid poſt mortem ſuam ſuis corporibus, ſuorumque defunctorum deeſſe, quod in ſua cujuſque gente, vel patria poſcit ſollemnitas

b *Cl. Al. 1. ped. 8. Die. 38. l. 1. de Sila.*

c *Symma. 10. ep. 47. Caſſiod. 6. va. 1.*

d *l. 27. de pact.*

e *Aug. de cu. pro mor.*

ſepulturæ, contriſtantur, ut homines: & quod ad eos poſt mortem non pertinet, ante mortem ſuis corporibus timent. Ut hæc, & alia Auguſtinus. [a] Ridet Lucretius, & quiſquis ſimilis hæc. [b] At hi philoſophi, an philoſophi? naturæ obtratores. Quid tum poſtea, ſi cadaver nec ſentit, nec tuum eſt amplius? At fuit tamen. At nunc ſenſus eſt tibi viventi earum incommoditatum, quas paſſurum ſit cadaver tuum. Iccirco veri, ac ſani poetæ ſuas perſonas pingunt, cujuſmodi expoſitæ ſunt a natura: non quales ferrei quidam fingunt. Neque etiam ſcio, an verum ſit, quod illi ita judicant: cum contrarium videam in naturæ ipſius penetralibus. Quæ Scaliger ille pater incomparabilis. [c] Nos & Deum audimus, naturæ conditorem, & cognitorem, ſic ſuis minitantem hoſtibus, futuros inſepultos. Ecquid eſt, quod viventes oblectemur tantopere a gloria, quæ poſt mortem nos manet? Certe nihil addit beatis, prodeſt damnatis nihil. [d] Sed ſive iſthæc a ſenſu poſt mortem abſutura ſunt, ſive ad aliquam animi partem pertinebunt: nunc quidem certe cogitatione quadam, ſpeque homines delectantur. Tenet etiam furioſos funeris cura. [e] Atque recitant, quod cum virgines aliquando Mileſiæ morbo quodam animi incognito, & immedicabili ruerent in dies crebrius, & ſuſpendio vitam finirent, non aliter ceſſaſſent ab eo furore, quam quod decretum fuerit, ut quæ corporibus ſuſpenſis demortuæ forent, omnes nudæ cum eodem laqueo efferentur. Et quod deterritæ ſic pudore ſolo fuerint funeris inhoneſti. [f] Et ſimile habet de plebe Romana Plinius. Iſthic tamen cautum libris Pontificialibus, ut, qui laqueo finiiſſet vitam, inſepultus abjiceretur. [g] Et ſcientiſſimus Magius hæc notat. Et exempla ſimul notat plurima eorum, qui honeſte cadere voluerunt: honeſte eſſe poſt mortem ſic cupierunt pudore, amore ſui corporis. Sic igitur pœna viventi per ſupradictas minas: quam vererique poteſt, qui neſciat, juſtam non eſſe: aut ſciat, injuſtaque hæc fieri aliquando ab hoſte. Sed exercenda ſævitia in cadaver jam non eſt. Eſt hæc juſtitiæ ſpecies circa defunctos. [h] Et religioſa eis valde tributa ſunt jura. [i] An & hoc dicimus, animasque mortuorum iſthæc curare? Et propterea dici, mortuum offendi, vexari? mortuo injuriam fieri! [k] Aut non ita eſt. Et mortuus ipſe non offenditur vere: ſed civitas offenditur in mortuo, & natura communis. Et itaque ſepulcri violati actio ad ultionem magis eſſe cenſeatur. Aut offenditur mortuusque ex eo jure, quod de-

a *Lucr.* 3.
b *Scalig.* 3. *poet.* 20.
c *Iſa.* 14. *Jer.* 8.
d *Cic. pro Arch.*
e *Gell.* 15. *c.* 20.
f *Plin.* 36. *c.* 16.
g *Mag.* 2. *Miſc. ult.*
h *Laer. Plat. Cic. Leg. Leo. nov.* 53.
i *Valent. nov.* 5. *l.* 8. 38. 39. *de relig. l.* 1. *de injur. l.* 3. *de ſe. vi. Bal.* 4. *conſ.* 387. *Alc.* §. *Cato. Aven.*
k *Eccl.* 9. *ubi Hiero. Bal. l.* 5. *de juſt. Ceph.* 341. *l.* 6. *de ſep. viv.*

debebatur vivo, ut poſt mortem poſſent quieſcere ipſius cineres. Sic defunctus offenditur: cujus viventis voluntas non obſervatur. Quid ſic dicitur offendi, quia veluti vivo fiat injuria? [a] Nec Deo injuriam ſacrilegus facere poteſt: ſed tamen punitur, quia tanquam Deo fecit: ut ſcribit Seneca. Quid ſi, quia caris defuncti ſic dicatur injuria fieri? [b] Sane ſi his fit injuria, cineri dolor, atque oſſibus inuri dicitur. De quo & monuimus libro ſuperiore. Verum placet illud maxime, quod de læſa natura, & tota humanitate explanavi. [c] *Etſi cadavera furta non ſentiant, ab omni tamen pietate alienus eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur.* Atque hæc jam ſatis. Sed non omittenda tamen Platonis illa. [d] *Nonne illiberale videtur, & ſordidæ avaritiæ, & muliebris, atque humilis ingenii, cadaver ſpoliare, & mortui corpus pro hoſte habere; cum jam hoſtis evolarit, eo relicto inſtrumento, quo pugnabat? Cenſeas illos qui hæc agant, a canibus quidquam differre: qui adverſus jactos lapides excandeſcunt: eum vero, qui lapidem jecerit, non attingunt.* [e] Dixit Pacuvius, *Nam canis quando eſt percuſſa lapide, non tam illum appetit, qui ſe icit, quam illum cum ipſum lapidem, quo ipſa icta eſt, petit.* [f] Et Alciatus habet de hoc in emblematis: aitque vindictam, cum alius peccat, alius plectitur. Stultitia aliis credit canis. Plato, nec ſpoliandos mortuos cenſet. At id non injuſtum eſt, ut ſordidum ſit. Hoc tu tolle, qui Themiſtocles non es; inquit militi Themiſtocles de eo, quod in fuga hoſtibus cecideraſ. Etiam quod Plato admittit fere cum barbaris ſævire mortuis, non mihi placet. Non admitto aut cum barbariſſimis feritatem hanc, [g] *Humanæ conditionis memor ſepelit*: ut in lege eſt. *Aliud homini, aliud humanitati convenit*: ut erat apud Varronem. Hic de humanitate res eſt: nam homo abiit. *Victoria quærenda item eſt, non victoriæ ſatietas.* [h] Vincere bonum eſt: ſupervincere, odioſum. Numquid recitem plura? Eſt quidem differentia aliqua continenda inter Chriſtianos, & barbaros. [i] Et ſic viri optimi prædicant, qui ſoliti & cum ſuis bellare Chriſtianis, & cum Turcis, ſævitia in Chriſtianos abſtinendum, cum quibus jura ſunt belli, & quæritur pax amicitiaque. [k] Idem quod & vetus Romanus contra Gallos dux: *Quid ſtat miles? Non cum Latino, Sabinoque hoſte res eſt, quem victum armis ſocium ex hoſte facias, in belluas ſtrinximus ferrum, bauriendus, aut dandus*

eſt

a *Sen. 7. de benef.*

b *Cic. Ver. 3.*

c *Caſſio. 6. va. 8.*

d *Pla. 5. de rep.*

e *Pacu. apud Non.*

f *Alc. emb. 170.*

g *L. 27. de cond. inſt.*

h *P. Diac. 11.*

i *Scander. 3.*

k *Liv. 7.*

eſt ſanguis. Sed hæc jam, & diximus antea: neque hic tamen vera ſunt. Tu, ſumme Deus, barbariem, feritatem, inexaturabilem hoſtilitatem procul amove bonus. [a] Bos, & leo comedant paleas, nequaquam feritatem bos diſcat, ſed leo manſuetudinem doceatur. Nequaquam diſcant a barbaris Chriſtiani tui barbaras bellandi rationes, ſed iſtas humaniores a tuis barbari doceantur.

a *Eſa.* 11. *Hier. ep.* 8.

FINIS LIBRI SECUNDI.

ALBERICI GENTILIS

DE JURE BELLI

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De belli fine, & pace.

Actenus vero de jure cum ſuſcipiendi, tum gerendi bellum expoſuimus: ut una ſuperſit nunc diſputatio, quæ jus doceat finiendi. [a] Et quidem belli finis pax eſt, ad quam contendere omnes oportet. [b] *Ita bellum* (ait Cicero) *ſuſpiciatur, ut nihil aliud quam pax quæſita videatur.* [c] Et Auguſtinus, atque canones, *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax adquiratur.* [d] Sic & victoria finis artis imperatoriæ Ariſtoteli: cum ea honeſtatem habet, & juſtitiam, quæ pax eſt. [e] Et qui bellaces ſunt maxime, appetunt hoc quoque: aut fieri, inſociabiles, monſtra merito cenſebuntur: quandoquidem nec ullum vitium ita contra naturam eſt, ut naturæ etiam deleat extrema veſtigia. [f] Sic

a *Ariſt. 7. polit.*
b *Cic. 2. de off.*
c *c.3.23. q.1.*
d *Caſar. 2. de ſi. ce. 7.*
e *Aug. 19. de civ.*
f *Procop. 2. Perſ.*

Sic legati Romani dicunt regi Perſarum, quod ſi nunquam conveniretur in pacem, id eſſet, hominum vitam in ferarum commutare. [a] Sic Jupiter (quæ conficta a viris ſapientiſſimis ad nos inſtruendum potenter) Gradivo Marti ſuccenſet, bella ſemper volenti. Et alia de poetis hic contra bellum notat etiam Polybius. [b] Et ergo ille, quiſquis eſt, apud Senecam, *Si æterna ſemper odia mortales agant; nec cœptus unquam cedat ex animis furor: ſed arma felix teneat, infelix paret: nihil relinquent bella, Pacem reduci velle, victori expedit, victo neceſſe eſt.* [c] Et Minerva inquit, *Laudo iras placabiles*. Sed hæc innumera de auctoribus omnibus. [d] Hinc vero inductus trophæorum mos materiæ non duraturæ: ut qui quidem bello vicciſſent, hi trophæum ſtatuerent, victoriæ declarandæ teſtimonium præſens: ceterum via non præcluderetur redeundi in gratiam, dum alterius partis laus, alterius infamia conſecrata longævo aliquo emolumento foret. [e] Et qui primi trophæum lapideum, & æneum ſtatuerunt, illi victuperati, etiam & acculati ſunt. [f] Et laudati Romani, laudati Macedones: quibus mos, nec ullum conſtituere. Laudatus Alexander, qui nec de Perſis, nec de Indis erexerit. Atque certa hæc prima definitio eſt. [g] Erant autem trophæa ſacra: ut non everterentur nec ab hoſtibus quidem, de quibus erecta erant, ut ſic plurimi adnotarunt. [h] Pax porro a conditionum pactione appelletur: ſi Feſto credimus, & Ulpiano, nam Iſidorus contra a pace pactum deducit: & quaſi ex pace factum interpretatur; atque inter partes eſſe ex pace convenientem ſcripturam, legibus, ac moribus comprobatam. [i] Et ergo de omni conventione dicitur pax: ſed de bellica tamen præcipue, eaque, quæ bello finem facit, aut etiam aditum obſtruit. Verum definitur ab Auguſtino pax generaliter, ut ſit concordia ordinata. Et ordo recta rerum diſtributio. [k] Quæ juſtitiæ natura eſt & aliis, & juriſconſultis noſtris. Nos igitur hic pacem definiemus compoſitionem belli ordinatam. [l] Baldus plenam ſedationem diſcordiarum dixit: nam pacem non poſſe fieri remanente bello. Quod verum eſt: & poſtea late dicetur a nobis. Sed & hoc habet definitio noſtra: & hoc amplius explicat de juſtitia, quam quærimus in iſta hie ſedatione, & ordinem, & tributionem cuique ſui. Atque de hoc ordine, ſive recta diſtributione nunc dicimus, quod eam aut unus facit victor, aut pars utraque ſimul, & quod utrobique cum præ-

a *Phi. de legatio. Hom. li. 5.*
b *Sene. 2. Her. fu.*
c *Eurip. Tro.*
d *Diod. 13. Nicet. Bald.*
e *Cic. 2. de inv. Plut. probl. R. 37.*
f *Flor. 3. Pauſ. 9.*
g *Vitruv. 2. c. 8. Dio 42. Plut. Cæſ.*
h *l. 1. de pact. ubi Cuja. c. 11. de V. S.*
i *Decia. 3. conſ. 217.*
k *Pla. 1. de rep. Ariſt. 5. etb. 10. de juſt.*
l *Bal. l. 1. de pact. & 3. conſ. 173.*

præterita, tum etiam futura conſiderari ſolent, & quidem debent. [a] Id quod totius illo pater ſapientiæ Homerus docuit: & graviſſimus auctor Plutarchus obſervavit. [b] Sed & noſter ille omniſcius, & omnifiniens Baldus expoſuit in reſponſis. Præterita ultionem reſpiciunt, futura pacis conſtitutæ firmitatem: Immo vero hanc firmitatem reſpiciunt etiam præterita: ut ex ſequentibus apparebit. Sed tradendum de utriſque eſt ſeparatim.

a *Plut. probl. R. 62.*
b *Bal. 2. conſ. 193.*

CAP. II.

De ultione victoris.

[c] ET vero quemadmodum traditum a noſtris eſt, non decere judicem paci componendæ prius incumbere, quam punita delicta ſint: ita hic de ultione juſta proſpiciendum fuerit ante, ut ſucciſis belli omnis quaſi radicibus pax haberi certior poſſit. Juſtum autem eſſe ulciſci, jam conſtat. Ceterum illud quæritur, quæ ea ſit ultio, quam cenſere juſtam poſſimus. [d] Nam quidam reſpondent ſimpliciter, juſtum, quod vis armorum in impotentiores agit. Et ut alibi eſt, *Nullum jus armis potentius eſt, quiſquis enim viribus potior eſt, æquiora ſemper & facere, & dicere putatur.* Et ut alii, juſtum, quod potentiori utile eſt. Et ſimilia, quæ notavi, & improbavi alibi. [e] Quemadmodum & Plutarchus improbat Pindari verſum,

c *Bal. l. 1. de no. op. nu. Alex. l. 18. C. de tranſ.*
d *Dio. 49. Suida Str. 1.*
e *Plut. de aud. po.*

Hoſtem decet, hoſtis perdere omnia.

Sane enim ſupervacua eſt omnis diſputatio, ſi juſtum in armis eſt, & in voluntate victoris, & in hoc uno verbo Pindari. Sed non ita eſt. [f] Nam victoriæ natura ipſius eſt inſatiabilis, ut apud Dionem exponit Mithridates vere: Et itaque pax eſſet nunquam. Et itaque internecinum foret bellum, & contra naturam: ſi voluntas regeret victoris omnia, & victi omnia perdi poſſent. [g] Qui bella gerunt, finem non ſtatuunt ipſam victoriam, nec ut imperio ſuo cuncta ſubjiciant: at omnes propterea bella gerunt, quod ſequi inde cernunt vel jucundum, vel utile, vel honeſtum, ut inquit Polybius, tantum abeſt, ut hæc perditio probari cuiquam poſſit. Niſi velis, efferatos eſſe quoſdam, qui in perdendo conſtituant jucundum ſibi. Sed alia eſt adhibenda regula hic. Et Polybius Romanorum geſta ita examinat aliter. Ego illam cru-

f *Dio. 35.*
g *Polyb. 3.*

delitatem neque contra barbaros receperim: [a] quicquid diversum scripserit Plato, & vilius Aristoteles sit Alexandro suadere. *Est ulciscendi, & puniendi modus*, inquit Cicero [b]. Et sequor igitur Alexandri consilium; & probaverim judicium Strabonis, & Plutarchi magis: qui, barbaros inter & Græcos tanto discrimine non distinguendum, voluerunt: sed, quasi rempublicam unam censentes orbem universum, omnes homines populares, municipesque, & veluti unius armenti compascuo in agro compascentis corpus existimarunt. [c] *Est autem*, ut scribit in epistola nobilissima ad fratrem Cicero, *non modo ejus, qui sociis, & civibus, sed etiam ejus, qui servis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis utilitatique servire. Etiam Afris, Hispanis, Gallis, immanibus, ac barbaris nationibus, eorumque commodis, & utilitati, salutique consulere humanitatis est.* Nec me movet de sententia, quod barbari ipsi non tales sint contra nos, [d] qui nec a rebus naturæ contrariis per ullum aut metum, aut per ullam reverentiam deterrentur. Quoniam Plutarchus docte & illud confutat verbum, *Improbos contra armat improbitas probe*: & ulcisci injustitiam, eamque imitari, injustum esse respondet. [e] Quod & Dio, ut aliorum improbitate fieri improbi neque contra eos ipsos debeamus improbos. [f] Atque eadem Polybius: quod qui mente præditi sunt, cum hostem ulcisci statuunt, non id primum spectant, quid merito ille patiatur, sed magis, quid ipsos facere deceat. [g] Ita ut de conviciatoribus non quid audire inimici debeant, sed quid nos propter modestiam dicere conveniat. Quod non unus. [h] Et quod populus Romanus majorque Africanus observasse factis traditur cum Carthaginensibus. Age, conferamus huc aliquas etiamnum sententias, ut se offerent. [i] *Æquum esset, huic culpæ talionem reponi: sed ego arbitror, imitanda non esse, quæ doleas*, Symmachus. [k] *Nec unquam committet virtus, ut, vitia dum compescuit, imitetur ipsa, tam imitationem alienæ culpæ innocentiam vocaveris male*, Seneca philosophus; item & rhetor: poeta autem illa generaliora, *Noscere hoc primum decet, quid facere victor debeat, quid victus pati*. [l] *Non quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo*, M. Tullius. [m] *Non quia tu dignus, sed quia mitis ego*: heroina apud Ovidium. [n] *Etsi maxime dignæ videntur, cum quibus sic agatur: ipsa tamen res fuit indigna, quæ fieret; est locus misericordiæ, veniæ, officio*, &c. Demosthenes in causa

a *Pla. Menex.*
b *Str. 1. Plut. de vi. Alex.*
c *Cic. 1. ad Q. F. 1.*
d *Nicet. Baldui.*
e *Plut. Dio.*
f *Polyb. 12.*
g *Joſe. de vi. ſua.*
h *Polyb. 15. Sall. Catil.*
i *Sym. 5. ep. 13.*
k *Sen. 2. de ir. 1. contr. & Troa. 2.*
l *Cic. Verr. 3.*
m *Ovid. ep. Hypſipyle.*
n *Demo. adv. Andr. Ter. 5. Eun. 2.*

ſa meretricularum, de quibus & ſe ipſa ſic illa, *Nam ſi ego digna hac contumelia ſum maxime: at tu indignus, qui faceres tamen*. [a] Et Caſtor, & Pollux Oreſti de matre cæſa, *Juſta quidem hæc exſolvit: ſed tu interim haud juſte feciſti, nec Phœbus conſuluit ſapienter tibi*, apud Euripidem. [b] Quem hic ita laudat Clemens Alexandrinus, *Euripides Socratica ſchola vere dignus, reſpiciens ad veritatem, & ſpectatores deſpicieus, Apollinem arguit in os, quod matrem interfici voluit a filio*. Ego de eo facto alibi. [c] *Non quid ille ſua meruiſſet culpa, verum quid Syracuſani populi poſcerent jura, quid mores, quid antiqua inſtituta docerent, videndum eſt*, ut alibi eſt. [d] Et Auguſtinus L. Antonio, *Cum libere te, & tuos mihi dedas, demta mihi ira conſiderandum eſt, non quid vos commeriti, ſed quid me deceat*. Aut numquid plura? [e] Moyſes, qui unus ſatis: injuſtos dicebat Edomæos eſſe, ſed ſe decere tamen agere mitius, & non oportere intueri, quid illi eſſent promeriti, at id, quod ſe deceret, & Judæos ſuos. Et igitur non quid victor poſſit, & quid victoria velit, ſed & quid deceat utramque perſonam victoris, & victi; victoris vero in primis ſuam, & rem etiam ipſam quid deceat, quæ geritur, conſiderandum hic eſt. Omnia autem dirigenda ſunt in finem: qui pacis utilitas. *Quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas*, inquit Auguſtinus. [f] *Mala eſt vincendi cura, ſi non id etiam curatur, ut victoria bono ſit*, ait Clemens Alexandrinus, qui geſta Perſarum in Græcia ſic vituperat. Admitto illud, ut durius agi cum barbaris poſſit. Nam cum barbaris violentia eſt affabilitate potentior. [g] Et ſic Romani (Strabo ſcribit) prioribus ſæculis, adverſum nationes agreſtiores belligerantes, ſuavitatis diſciplina nequaquam indigebant: ſed ex quo contra manſuetiores bella tractare cœperunt, benigne agendo cuncta ſuo ſubdidere imperio. [h] Ita Ambroſius, *Vehementioribus hoſtibus, & inſidiis, & his, qui amplius læſerint, vehementior refertur ultio, ut Madianitis, qui per mulieres ſuas peccare fecerunt, nullum Moyſes ſuperſtitem paſſus*. Et nos de his etiam antea, & de ſeveriore ratione agendi cum ejuſmodi hoſtibus. Neque vero contradico mihi: licet fecerim juſtam ſævitiam omnem adverſus hos ſæviſſimos hoſtes: Nam illud ſic fuit ante victoriam, ut vincas, iſtud nunc adferimus, cum parta victoria eſt. Atque differentia hæc talis eſt, quales inter tormenta, & pœnam notatur ab Auguſtino ſapienter. [i]

a *Eurip. Elec.*

b *Cl. A. ad gen.*

c *Diod. 11.*

d *App. 5. civil.*

e *Phi. de vi. Moy.*

f *Cl. A. ſtr. 1.*

g *Stra. 9.*

h *Ambr. 1. de off. 29.*

i *Aug. ep. 159.*

Inquirendi, quam puniendi neceſſitas major eſt: ad hoc enim & mitiſſimi homines facinus occultatum diligenter, atque inſtanter examinant, ut inveniant, quibus parcant. Hæc & Virgilius inſinuavit laudibus Romanorum, [a]

a *Virg.6.*

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem:
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Edidit ſcilicet præcepta iſthæc duo, debellandi unum, parcendi alterum, utrumque vero regendi, ac imperandi ratione concluſit: adque pacem, ſuum belli finem diſpoſuit. [b] Alios fregit, alios fecit manſuetos Cæſar in Gallia. [c] *Et nihil aliud eſt victoria, quam ſubjectio repugnantium, quod cum factum erit, pax erit.* Itidem Auguſtinus. Qui ſuperbi ſunt, hi juſte debellantur. Ut ad juſtitiam idem Virgilius hoc refert, [d]

b *Dio.40.*
c *Aug.19. de civ.*
d *Virg.1. Æneid.*

Juſtitiaque dedit, gentes frenare ſuperbas.

[e] Et aliquis notat noſtrum. Hos ut debelles, agas duriter. Debellati jam ſuperbi non ſunt. Et, quod dixi, tui ſunt. Nunc fines quæruntur bellorum, non bella tractantur. [f] *Et bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur*: rex aliquis apud Tacitum: *Ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hoſtem, tanta beneficentia adverſus ſupplices utendum*: apud eumdem imperator Romanus. [g] Hungarorum (hi erant moribusque religioneque barbariſſimi) valida urbe capta per Carolum Magnum, ad quam Galli plurimi cecidere, tamen & parcitur ſupplicibus. Sed & de his dictum antea quoque eſt. Quid igitur ſupereſt, niſi ut concluſio, & regula omnis ultionis oſtendatur? [h] *Vis una, & intima medulla virtutum omnium modus. Tene medium, ſi non vis perdere modum, medium ſedes modi, & modus virtus. Temperantia eſt illud, Ne quid nimis.* Hæc Bernardus ad Eugenium Papam. [i] *Eſt pœnæ modus, ſicut rerum reliquarum, & quædam mediocritas.* Sic Cicero. Qui item modum indicat, & moderationem, ſi nihil fiet diſſolutum, nihil crudele. Neque vero cohibenda ſemper, aut hic eſt ira. [k] Nam & ira eſt læpe bonarum actionum miniſtra, & juſtitiam affert. [l] Etiam parcere non manſuetudinis ſemper, ſed interdum & vitii eſt, & ignaviæ. Parcendum ſubjectis, dixit Virgilius. [m] Et hoc eſt, cum qui laceſſierit, eumdem pœnitet injuriæ ſuæ, & talem efficit nunc ultio, ut ne quid tale poſtea commiſſere habeat. Quæ Cicero, & vere

e *Fab. 2. Sem. 2.*
f *Tac. ann. 12.*
g *Bonf. 1. Ung. 9.*
h *Ber. 1. 2. de conſid.*
i *Cic. 15. ep. ad Bru.*
k *Baſil. ho. 20. co. iraſc.*
l *Chryſoſt. ho. 12. op. imp. & Pſal. 131.*
m *Cic. 1. de of.*

vere quidem, addens tertiumque, ut cæteri etiam ſint ad injuriam tardiores. Eleganter & Ennodius in Panegyrico Theoderici de hoſte ſic victo, *Nec exſtinctus, ne periret monumentis: nec intactus, ſed proſtratus, ne viveret arrogantiæ.* [a] Eſt quidem aliud pœna, quæ reſpicit patientem, & aliud ultio, quæ reſpicit facientem: ceterum & utrumque conſideramus jam, ſive pœnam dicimus, ſive ultionem. Et pergimus igitur dicere, quod quæ ſunt communes pœnarum regulæ, eædem in modo ultionis conſtituendo valebunt. Atque illæ ſunt, ſolatium affecti injuria, ſecuritas a punito, & a reliquis in poſterum, & ne quid lucri faciat peccator: quas ſingulari quadam ratione explicavi. Securitas valde quæritur: nam (ut hic dicitur) facta infecta fieri nequeunt. [b] Atque Cæſar egregie non adeo præteritorum gerebat itaque curam, quam ut in poſterum poſſet tutus eſſe, quare feceritque multis gratiam offenſarum graviſſimarum, aut levi admodum fuerit vindicta contentus: cum crederet, illos ſibi temperaturos a maleficio: contra autem, ſecuritatis ſuæ cauſſa multos acerbius, quam res ferebat, eſt ultus, ut alios ſupplicii gravitate abſterreret. Et hoc non tamen egregie. [c] Nam meritum excedere ultio nunquam debet; at pro menſura cujuſque delicti debet conſtitui. [d] Ultio in eo eſſe debet, in quo & peccatum eſt. Non debet niſi peccati auctores afficere: ut de hoc non ſemel notavimus. Pœnæ interdictæ reſpectu quodam naturæ locum nec habere deberent hic. Nos privatam diſputationem tribuimus his, quæ per jus civile interdictæ ſunt: & quæ mihi etiam naturæ reſpectu interdictæ videntur: ut manus abſciſſio utriuſque, & pedis. [e] Etiam de una ſic Paullus ille Æmilius, nobiliſſimus ſcriptor, *Licentia belli potius, quam humanitatis jure, præciſis dextris captos dimiſit.* [f] M. Tullius quoque ait crudele, & improbat, quod Athenienſes præciderent Æginetis vel pollices. [g] Idem & Plutarchus, & Ælianus: qui aliaque barbara Athenienſium recitat. Viſum illud utile (inquit Cicero) adverſum validos claſſe, & nimis propinquos: *ſed nihil, quod crudele, utile*: certe juſtum non eſt, quod crudele eſt. [h] Etiam qui plus æquo vult ſibi proſpicere, aut prodeſſe, is injuriam facere dicitur: quia excedit modum. [i] Interciduntur, pollice perdito, reliqui digiti omnes, qui abſque ejus ope nihil agunt: quod vir ſummus Andreas Veſalius, & de eo Æginetarum malo tradit

a *Ariſt. 1. rhet.*

b *Dio. 38.*

c *Jaſ. l. ult. C. de ju. emph. Pla. 11. de leg. Leo. 61. 62. 66*

d *l. 31. de falſ. aut. omnes C. 10. de ſucc. Cic. 3. de leg. Tert. ult. adv. Marc.*

e *P. Æmil. 5.*

f *Cic. 3. de off.*

g *Ælian. 2. Plut. Lyſa.*

h *Bal. l. 3. de div. re.*

i *Veſal. 1. anat. 27.*

dit. Ille pollet digitus: unde & pollex dictus: immo ille digitus manus eſt: & ſic Græcis appellatur. At auctori ſententiæ ejus tam atrocis, capto mox a Lyſandro, exprobratum hoc maxime in os fuit. Retaliatum fuit Athenienſibus, & os fœdatum.

a *Plut. Nic.* [a] Etiam equi ſigno compuncti in fronte alibi. Sic perſequitur Nemeſis injuſtos. Eſt vero & pœna hæc injuſta: ut dixi in illa

b *Zonara.* diſputatione. [b] Baſilius barbariſſimus, qui captivis quindecim millibus Bulgaris oculos effodit, ſingulis tantum centuriis uno

c *Guic.3.* relicto monoculo, qui alios domum reduceret. [c] Etiam Guicciardinus, hiſtoricus ille nobilis, & juriſconſultus laudatus, crudelia hæc accuſat: & in ore legati Florentini ponit, *Juſtitiam fundamentum eſſe virtutum omnium: neque ab ea diſcedendum cauſſa utilitatis*: quod & plus quam manifeſtum eſt. Et ſi durante bello hæc nequeunt fieri, multo fient minus finito bello, parta victoria. Quid iſtæ ſibi volunt pœnæ deformatrices naturæ? Monſtra non vult natura, at a pœnis iſtis monſtra ſtatuuntur. [d]

d *c.4. 23.q.1.* Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impœcatus atque implacabilis animus libido dominandi culpantur hic: & contra ſunt

e *Aug.5. de civ.26.* pœnarum regulas. [e] Hæc ſunt, quæ bellum finitum, nec finitum efficiunt. Quod Auguſtinus vituperat late. [f] *Leo eum, qui telum miſerit, ſed tamen non vulneraverit, correptum, raptatumque ſternit, nec vulnerat.* [g] *Ferarum, nec generoſarum quidem, præmordere, & urgere projectos: elephantes, leonesque tranſeunt, quem impulerunt. Non decet regem ſæva, nec inexorabilis ira.* [h] Sic

f *Plin.8. c.16. Ariſt. 9. hiſt. 44.*

g *Sene. 1. de cle.*

h *Val.4. 01.*

i *Hoſp.3. ep. ad Ja. Mo.* Seneca. [i] Diſcendum hic a viris illis eſt laudatiſſimis: qui irati vindictam aut de noxiis ſervis capere ipſi noluerunt, at mandarunt aliis. [k] *Diſcite* (ait egregius Hoſpitalius contra matres

k *l.11. de pœn. l.16.ad leg.Jul.pec.* non lactantes: ego autem uno tantum mutato verbo hic apto)

Diſcite virtutem propriam; ſi veſtra voluntas
Hanc refugit, nec quidquam hominis, niſi nomen habetis,
Et faciem, propriam virtutem diſcite reges
A brutis, avibusque, immani a ſtirpe ferarum:
Aut illis hominis potius concedite nomen.
Vosque feras, quales eſtis, ſic ferte vocari.

An dixi ſatis? [l] Pro qualitate perſonæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, vel ſeverius, vel clementius ſtatuitur de pœnis: ita ut neque ſeveritatis, neque clementiæ gloria affectetur tamen. Et id genus alia. Atque vix eſt, ut hic certius

tius conſtitui quicquam poſſit: ſi non ipſæ certæ ſpecies proponantur, de quibus reſpondeamus. Quod immenſum proſequi: nec cujuſquam eſt artis. Quæ tamen tractari ſæpius ſolent, de eis fuerit diſpiciendum.

CAP. III.

De ſumtibus, & damnis belli.

SUmtus belli victor recuperat jure, & damna, quæ paſſus eſt. [a] Quod dicunt hiſtorici, qui referre temporum judicia videntur. [b] *Pro impenſis in bellum factis quindecim millia talentum Euboicorum dabitis: in conditionibus pacis cum Antiocho*: novem, opinor, coronatorum milliones. Et alia ſunt exempla. [c] Noſtri autem interpretes juris, ad fori diſceptationes quod attinet, ſic tradunt, ut victus victori cum in civilibus, tum in criminalibus, ſumtus refundat, ſi & injuſtam habuit cauſſam litigandi: præſertim ſi is victus ſit, qui litem movit; qui & potuit, & debuit ſe melius adparare. Quod ſi autem litigaſſe juſte videbitur victus, condemnatio neque fit. Juſta cauſſa reum exculat, & actorem quoque. [d] Attamen contra actorem facit & Polybii illud, quod priores in lædendo ſuſtinent culpam omnium. [e] Sed & contra omnem victum dicitur, *Eventus belli, velut æquus judex, unde jus ſtabat, ei victoriam dedit*. [f] *Æquitati ſemper ſolere jungi victoriam*. [g] Negabat id quidem Pius II., quoniam & Judæi, & Chriſtiani ſæpe bellis victi ceciderint. Quæ inepta eſt ratio. Et Chriſtiani enim, & Judæi ſæpiſſime digni fuere, qui vincerentur, & quidem a barbaris, impiisque. Neque vero religio bona juſtificat opera mala. Et pluries non ob religionem, at ob humanas cauſſas bella noſtri ſuſceperunt, geſſerunt injuſte. [h] Deum a Romanis ſtetiſſe ſic Joſephus, aut quiſquis alius apud eum. [i] Habes Judæos diſerte damnatos, perque Prophetæ vocem. Et ego tamen ſic puto, contingere nec raro, ut deteriores ſuperent eos, qui ſunt etiam in cauſſa meliores. [k] Quod & Plutarchus ſcribit. [l] Sic ſcilicet videmus etiam in civilibus, & tribunalium diſceptationibus ſuccumbere ſæpe, partem, inopia probationum, potentia adverſarii, ſordibus judicantis, aliter. Ut in diſceptatione violenta idem contingere, & ſane facilius poſſit. [m] Scribit Baldus, ſuccubuiſſe Francos Anglis in lite regni, forte ex cauſſa, quæ in mente

a *Juſti.* 33.
b *Liv.* 37.
c *Bar. l.* 17. *de adult. Dec. conſ.* 241. 360.
d *Polyb.* 9.
e *Liv.*
f *Amm.* 23.
g *Comm. Pii* 2. *lib.* 5.
h *Joſe.* 2. *de bel.*
i *Iſer.* 21. 27.
k *Plut. de contrib. tr.*
l *l. 1. de appel. Bal. l.* 25. *de ſta. bo.*
m *Bal. l.* 1. *de ſtat.*

mente fuit divina, non ex illa, quæ clara pro Francis: & de qua litigabatur. Ceterum neque nodus hic eſt. Etenim injuſta litigandi cauſſa, ut poſſit cenſeri aliqualiter, nunquam evinci tamen poteſt a victoria adverſarii, cum ſtare utrumque poſſit ſimul, aut victi omnes damnarentur ſumtibus litis. Quid? Non docuimus, non monuimus pluries, bellum juſte geri utrinque poſſe? Quid ergo? An ita hic etiam diſtinguemus, ut tum ſumtus belli victor recuperet jure, cum neque juſta victo fuit bellandi cauſſa? An conſtituemus, ut recuperet ſemper? Sic receptum videtur. [a] Atque juſta tum nec excuſat cauſſa civiliter litigandi, cum eſt promiſſum, & conventum inter partes, ut ſumtus litis victus rependeret. Et idem ſi ſtatuto id eſſet cautum. [b] Quamquam in hoc poſteriore caſu varient noſtrorum interpretum opiniones. Sed hic adde, quod victor eſt, qui in noſtro bellicæ litis argumento ſtatuere de juſta, & ipſius ſua litigandi cauſſa habet. Ergo vix eam pronunciabit juſtam victi, quin ſuam victoris pronunciet injuſtam. Et id itaque non faciet. Et quamvis juſtum eſſe bellum utrinque poſſit: non id tamen videri parti utrique poteſt. Quoniam tamen induit nunc victor judicis perſonam æqui, non ſuſtinet ſolam partis: utique debet, quantum poteſt, ad æquitatis regulam flectere ſe, & cum juribus ſuis aſſerere etiam jura partis: inque iſto judicio, quod exercet ultionis ſupra partem victam, temperamentum ex utraque perſona adhibebit. [c] Inquit de quibuſdam accuſatoribus, & judicibus Cicero, *Funguntur officio, defendunt ſuos, faciunt, quod viri fortiſſimi ſolent: læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti. Sed veſtræ ſapientiæ tamen eſt, judices, non ſi cauſſa juſta eſt viris fortibus oppugnandi M. Cælium, ideo vobis quoque cauſſam putare eſſe juſtam, alieno dolori potius, quam veſtræ fidei conſulendi.* Judicem nunc agit victor. Et ſui, bellum gerentis juſte cauſſam videt, non illi juſto dolori, ſed fidei præſenti habet conſulere. Sic Minos juſtiſſimus, [d] *Non tamen immerito Minos ſedet arbiter orci, victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.* [e] Ait Cicero, *Amici perſonam deponat, qui induit judicis.* Et nos, *Inimici perſonam deponat, qui induit judicis*, quando & inimicitia nec manet nunc, hoſtibus debellatis. Et ſic igitur quæ ſunt definitiones in privatis cauſſis, ad ſumtus litis damnantes partem victam, ea erunt & in his publicis, & nullæ erunt æquiores. Sumtus autem

a *Alex. 2. conſ. 37. 4. 34. 5. 183. Alc. 8. 25.*
b *Mol. d. Alex. 183.*
c *Cic. pro Cæl.*
d *Prop. 3. eleg. 18.*
e *Cic. 3. de off.*

autem, damnaque, & intereſſe in tantum debentur, cum debentur tamen, ut quamvis ſit compoſita pax, neque illorum ſit facta mentio, debeantur tamen, & præſtanda ſint. [a] Quæ noſtrorum eſt ſententia interpretum. De qua ego quærendum amplius putem in tractatu iſto. Sed & iidem definierunt, quod attinet ad privata, quod etſi remiſſa generaliter damna ſint, remiſſi ſint ſumtus, non ideo a privatis, quæ ipſi paſſi ſunt, non repetentur. [b] Id tamen verum eſſe negat Joannes Bodinus. Et tu dubitare ſic potes. [c] Quoniam pro pace componenda non unum contra juris regulas conſtitutum eſt. [d] In pace enim utilitas maxima a lite recedere. [e] Qua ratione & in favorem tranſactionis multa inducta per jus civile. [f] Et tranſactio dicitur tertia contractus ſpecies ſemilucrativi. [g] Et non eum lædi, qui inimicitias fugit, tradit alius præceptor meus honoratiſſimus Sfortia Oddus. Cum id genus pluribus. [h] Pro bono pacis arbitratores poſſunt ſe extendere ad rem non comprehenſam in compromiſſo. [i] Beneficium invito hic confertur: & privati homines compelluntur ad pacem, etiam & publici quodam modo, ut antea dixi. Ne autem congeram plura, hoc ipſum, de quo agimus, ſingularis juris eſt, bona privatorum pacis cauſſa dari a republica poſſe, aut principe. [k] Et ita vulgo tradunt. Remitti ex iſta occaſione poſſe a principe & injurias, & damna ſubditorum. [l] Et hos conqueri deinceps nunquam poſſe, nec civiliter, nec criminaliter. [m] Ipſe ſcilicet princeps obligetur, ſuis iſthæc reſtaurare: quæ juris gentium eis tollit cum cauſſa, juris civilis ſine cauſſa. [n] Philippus Decius & hoc docet amplius, dationes iſtas, & remiſſiones factas a principe de rebus privatorum lata excipi interpretatione oportere. [o] Qua in re forte adverſatur Alexander, qui ex facto conſultus, ſi pace inter Farneſium facta & Urſinum, *cum fine, refutatione, quietatione, pacto de ulterius non petendo, vel exigendo, de & pro omnibus, ſingulis damnis, intereſſe, expenſis, injuriis*; Urſinus repetere adhuc poſſit caſtra a Farneſio occupata, reſpondit, poſſe. Et eam affert rationem, quod nullo verbo remiſſum jus vindicandi ſit: [p] aliud quippe ſit damnum, aliud rapina, & furtum, & illa occupatio Farneſii, a qua item aliud eſt intereſſe, item & expenſæ, & injuriæ: atque injuriam qui remittat, is remiſiſſe non dicatur ex injuria damnum. Et qui remittat injurias, expulſiones, devaſtationes, non propterea remiſiſſe dicetur damna,

a *Jaſ. l. 1. de pact.*
b *Bod. 3. de rep. 8.*
c *Rom. conſ. 126. Alc. 1. 1. & 5. 131.*
d *Alex. 5. conſ. 94.*
e *l. 39. ubi no. C. de tranſ.*
f *Bal. l. 16. C. de fi. inſtr.*
g *Odd. 2. de in int. re. 85.*
h *Ceph. conſ. 121.*
i *Chaſſ. 5. cat. 24.*
k *Rom. conſ. 310. Alex. 1. 136. 2. 190. Alc. 5. 132. Ceph. 40. Duar. l. 5. de pact.*
l *Alex. 6. conſ. 151.*
m *Ceph. conſ. 133.*
n *Dec. conſ. 352. 602.*
o *Alex. 2. 168.*
p *Alex. l. 3. da. inf.*

& intereſſe: itaque nec jus vindicandi dominium. Ut hæc omnia exſequitur in reſponſis ille juris interpres maximus. Quæ tamen mihi extra ſubtilitatem juris in propoſito noſtro non probantur. Immo etiam damnum ab ademtione, & quaſi deminutione patrimonii dictum eſt. [a] Et furtum ſignificari poſſe aliquo modo, etſi non ſtricto, ac proprio, etiam confitentur interpretes. [b] Etiam nomine intereſſe venire fructus, uſuras, alimenta, res ipſas principales. Addit in caſu Alexander ſuo, caſtra illa a Farneſio occupata, feudalia fuiſſe, quæ non ſine pœna alienentur: igitur nec venerint in generali obligatione. Ego autem nunc dico primum, pleraque bella eſſe quidem inter ſummos principes, & de rebus non feudalibus; tamen & inter hos etiam eſſe, qui habent ſuperiorem: & de his quoque rebus, quæ jure feudi poſſidentur. Et de his eſt Alexandri reſponſum & perſonis, & rebus. Nos vero vidimus de perſonis in primo libro non ſemel. De rebus id dico ſecundum, pati dominum non habere, ſibi alium fieri feudatarium. Sed ipſe feudatarius tamen nihil magis poteſt, quam ſi equum commodatum acceptum amiſiſſet in prælio. Etiam de his rebus tradidi in ſecundo libro, ad finem capitis vigeſimiſecundi. Atque ita mihi videtur cum Alexandro. Sed de privatorum bonis quod differebam, [c] an ergo adquiſita ſunt, quia poſſunt adquiri? [d] an ſequitur ſtatim, data eſſe, quia dari potuerunt? Etiam probabilis, & probata cauſſa deſideratur, ut fieri hoc ipſum valeat, ut idem Decius docet. At putem tandem, tradita, atque relicta. Quandoquidem bellis compoſitis judicia privatorum iſtiuſmodi relata nunquam, aut audita ſunt. Et quæ in bello mala contingunt, ea ſunt privatorum non minus frequentia, quam publici. [e] Hic illud verificatur, *Quicquid delirant reges*. Hoſtis nec a publico hoſtico, nec a privato capit injuſte. Si certe. [f] Verum Baldus tamen ſic, remitti publicum jus facilius, quam privatum, non officere principum conventiones privatis: niſi illæ ſint de univerſis, & hæc, quæ de principibus notantur, convenire quoque ducibus belli, quibus & poteſtas data ſit. Quæ Baldi nec adverſantur concluſioni noſtræ, eſt namque pax conventio de univerſis. Quod ſi tamen viſum aliter ſit aut illi, aut aliis, nos in caſu adhuc ſequimur ipſos, cum quid privatis extra bellum debetur. [g] Atque ita quidem Ancharanus, quod ſi conventum ſit, ut decedatur omnibus, quæ in bello occupata ſunt, non his ſit de-

ce-

a *Mol. d. Alex. 168.*
b *Alc. 8. conſ. 37.*
c *l. 34. de adq. po.*
d *Cepb. conſ. 23.*
e *Cepb. conſ. 58.*
f *Bal. l. 4. C. de ſe. fu.*
g *Anch. conſ. 203. Dec. 61. Cepb. 451. Cruv. 6.*

cedendum, quæ privati poſſidebant privato jure. Ita Decius, alii dicunt, non reperiri jure cautum, ut, ob bellum ſæviens inter duos principes, ſubditi invicem non teneantur ſolvere ſua debita, & idem igitur videri de eo poterit, quod extra cauſſam belli debebatur publico. Cur enim publicum a privato hic diſtinguere-tur? Non de iſto debito comprehenſum in pace videtur: [a] pax enim non ſpectat ad ea, de quibus bellum non fuit. Iſthæc incorporalia nec capta, quæſita hoſti in bello cenſebuntur: ut ita retineri poſſint. Ut mox ſum expoſiturus. [b] Etiam nec illa intelligentur remiſſa, atque relicta, quæ ablata legatis fuiſſent: ut ita Baldus reſpondit. Et ergo idem de reliquis dicemus nos, quæ per jus belli fieri in bello nequeunt. Lata porta abeundi a pacto paciſ. Cum fiant ſane multa in bello, quæ de jure belli non ſunt. Et quæ ſi poſſent repeti pace facta, redeundi in bellum occaſio eſſe poſſet. Cui obſtrui debet, eique qui antea æquiori tempore in conventionibus pacis iſthæc diſſimulavit.

a *Bal. 2 conſ.* 195.

b *Bal. 4. conſ.* 107.

CAP. IV.

Tributis, & agris multari victos.

PRæter ſumtus, & alia, ſi quæ dixi, etiam tributa victor, ſtipendia victis imponit juſte. [c] Scilicet tributa reipublicæ nervi ſunt: quos debilitare hoſtibus victis, confirmare ſibi victori expedit. [d] *Jure victoriæ tributum vobis addidimus*, inquit ad Gallos dux Romanus. [e] Et vero exteris victis hæc injungere Romani ſoliti. [f] Et Juſtinianus noſter Zanis victis tributa indici jubet, ut ſe victos agnoſcerent. [g] Atque eadem in cenſu ratio eſt alterius legislatoris. Cenſus & ſervitutem oſtentat. Et ergo Judæi, qui ſe liberos volebant, de cenſu Cæſari non dando diſceptabant. Sed & tributum, & ſtipendium, & vectigal ſic ſervitutem demonſtrant. [h] *Agri tributo onuſti, hominum capita ſtipendio cenſa, notæ ſunt captivitatis*, ait Tertullianus. [i] Civitatem ſanctam ſic deplorat Jeremias, quæ de principe facta ſub tributum. [k] Sic Hannibal dictus a conſule vectigal, ſtipendiarius, ac ſervus. [l] Servi iſti dicti & a Cicerone. *Antiochus inſervientium regum ditiſſimus* dictus a Tacito. [m] Vectigalia, ſervitutes, vel ad inſtar ſervitutum, ait Baldus. [n] Eſt certe in omnibus præ-

c *l. 1. de quæſt.*

d *Tac. 4. hiſt.*

e *App. 2. civil.*

f *Agath. 4.*

g *c. 2. de cenſ. Joſe. 18. ant. Euſeb. 1. hiſt. 3. Matth. 22.*

h *Tertul. a. polog.*

i *Jer. lam. 1.*

k *Liv. 21.*

l *Tac. 2. hiſt.*

m *Bal. 3. conſ. 370.*

n *Cic. Verr. 3. agr. 2. ubi Ma. Oroſ. 5. c. 1.*

Digitized by Google

mium victoriæ, pœna belli: ut M. itidem Tullius habet, pretium pacis, ut ait Oroſius: vinculum pacis, monumentum belli: ut, agri parte a victoribus poſſeſſa, defectionem victi non facile cogitent: & ut exſtet belli, quo victi illi ſunt, memoria. Sic victis conſulitur, atque victoribus, quod hic fieri oportet.

a *Juſtin.* 1. Sic ego probem Ninum; [a] qui primus dicitur bello parta retinuiſſe; b *Oroſ.* 1. c. 1. cum priores contenti victoria, imperio abſtinuiſſent. [b] Quamquam & tria illa amplius annorum millia, ab Adamo uſque

c *Juſtin.* 2. ad Ninum ignorata omnibus, aut omiſſa ſunt hiſtoriographis. [c] Uſque ad Ninum per annos mille, & quingentos Scythæ antea Aſiam vectigalem habuerunt, tamen ut ita moditum tributum ſolebant illi imponere magis in titulum imperii, quam in victoriæ præmium. Sed certe & hoc præmium juſtum, & conſilium reliquum.

d *Cic.* 1. *ad Q. F.* 1. [d] *Difficile eſt quidem ea, quæ commodis, utilitate, & prope natura diverſa ſunt, voluntate conjungere. Sed quod acerbiſſimum victis eſt, quod ſint vectigales, id non ita videri acerbum debet: ſi forſitan fuerunt etiam antea tales, quam in jus, & ditionem præſentis victoris conceſſiſſent. Et illud ſemper cogitare habent, nullam a victore neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abeſſe poſſe, ſi hoc imperio non tenerentur: id autem imperium cum retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo partę aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimant, atque otium.* [e] Agro itaque mulctare victos, ſollemne

e *App. l. civ. Ulp. tit.* 19. *Baldu.* 12. *Tab.* Romanis, & juſtum. Extra Italiam conſtituere nec mancipi omnia, quod eſt, non ita illa victis relinquere, ut non retinerent ipſi victores Romani ſimul dominium primum. [f] Ut vero

f *Aug.* 4. *de civ. Alc.* 5. *conſ.* 132. *Bald. l. Barbarius lect.* 3. *Cov. reg. pec. p.* 2. §. 11. damnata eſt dominandi libido: & bella imperii cauſſa proferendi latrocinia grandia reputata ſint Auguſtino: quæque olim occupatio bonorum licita erat, facta mox rerum diviſione deſierit eſſe licita: belli tamen titulo non minus, quam alio quovis & agros, & res alias quasvis poſſe quæri, indubitatum eſt. [g] *Res hoſtium belli jure auferuntur*, ſcribit Clemens Alexandrinus. [h] *Sunt privata* (ait Cicero) *nonnulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut bello, ut qui victoria potiti ſunt*, &c. [i] Sic & lege Dei ſunt tributa, & adquiſitiones. [k] Et Jacobus dat Joſepho terram, quam de Emoræo armis cœpit. [l] Et itaque ferendus non eſt Lucanus, qui orbis terrarum prædonem appellat Alexandrum. Si is enim juſte bella movit,

g *Cl. A. ſtr.* 1.
h *Cic.* 1. *de off.*
i *Deut.* 20.
k *Geneſ.* 48.
l *Luc.* 10.

geſſit

gessit, finivit juste, etiam potuit regna hostium occupare victor. [a] Ita ineptusque Lucani patruus Seneca, qui & alia, & hoc notat in Alexandro, quod latro fuerit: neque cum Hercule (ut cupiebat) fuerit ulla ratione conferendus; quando nihil sibi vicerit Hercules, at orbem terrarum transierit non concupiscendo, sed vindicando. Inepti, inquam, isti Hispanici, neque ex Hispanico præsenti stomacho: qui non Alexandri unius, sed omnium gentium, & omnium temporum imperia, tenuibus nata initiis, aucta per rem bellicam, condemnarunt. Romanorum imperium a casis pastorum venit. [b] Et virtute factum audimus. Verum in re nec obscura, nec controversa diutius hæreo. Et fuit tamen dicendum hic aliquid: [c] quoniam ista occupatio aliena naturæ; & æquitati etiam hodie visa aliquibus est. Si inter privatos (ajunt) non hæc licent, quo pacto æqua inter principes erunt? respondeo, æqua inter principes; qui sic suæ consulunt victoriæ, & securitati: infirmioribus factis hostibus, se ipsis factis firmioribus, ut illi in posterum minus audeant, possintve; & ipsi minus habeant vereri pericula eadem. Quæ ratio ad privatos non pertinet: qui defensorem, ultorem habent semper magistratum. Addunt, hic jam per bellum sumta supplicia esse de sceleratis. Quod nihil est ad securitatem, & ad alteram ultionis partem, quæ in futurum porrigitur. Ecquid quoque cum victi non intulerunt cladium minus, quam acceperunt? Secundo Punico bello, immo etiam primo plura victores passi, quam victi. [d] Primo amiserunt Romani quinqueremes septingentas: Carthaginenses quingentas. [e] In secundo unus Hannibal, inque Italia una delevit oppida quadringenta, stravit trecenta virorum millia. Et Pœnis nulla fuisset ad extremum pœna? Homines jam non licet occidere. Privatis quoque auferri bona in pœnam solent per leges: & sæpe his deferri, quibus peccatum est. [f] Sic stat (ait Philo) infortunium duplex, ut hostis sua perdat, quæ victori simul adquirantur hosti. [g] Alciatus quoque negat, capta bello inter Christianos fieri capientium, quia hoc civile, & plus quam civile bellum sit: & theologos, sive mataeologos potius quosdam tradere contrarium, & in conscientiæ foro, ubi magis ea fuerat adquisitio deneganda. Sed mihi ratio Alciati vana videtur per supradicta, & improbabilis sane opinio. Sit itaque conclusio constitutissima, ut quæri de hostibus possit. Ut tamen servetur hic ju-

[a] *Sene. 1. de benef.*

[b] *c.14. 28. q.1.*

[c] *Nat.Co.12.*

[d] *Polyb. 1.*

[e] *App. Pu. & Ann.*

[f] *Phi. de exsecr.*

[g] *Alc. l. 118. de V. S.*

juſtitia, & æquitas. Non omnia faciet victor ſua, quæ per vim, & per victoriam poteſt, [a] *Quanto plus licet, tam libeat minus*, inquit ſententia Sapientis. Et facit omnia pro arbitrio boni viri. Quod pro rerum varietate variabitur. Securitati ſi conſulet, tum erit bene ſatis, cum abfuerit metus. [b] Nec vero dicitur excedi modus inculpatæ tutelæ, ſi quid fit, quod periculum amovet. [c] Quanquam nec quæritur in tractatu juris gentium, aut principum de iſto modo. Si damna ſint ſarcienda: ne quid quæras amplius. [d] Et in defenſivo bello damna tantum ſumtusque quæri oportere volunt. Quæ itidem Alciati ſententia diſplicet. [e] Arioviſtus autem aſpere nimis & de agris, & de vectigalibus, *Jus eſſe belli, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent*. Romani pro varietate eorum, quos viciſſent, ita iſthæc omnia conſtituebant: quod dico ſecundo de Romanis armis. [f] In tributis illud juſtitiæ ſummæ, quod a ſingulis exigerent res in locis viles: a Siculis triticum, a Corſis ceram, &c. atque graviſſimum, & vituperatum, vetitumque contrarium.

a *Auſo. ſe. ſap.*
b *Soc. 3. conſ. 68.*
c *Jaſ. l. ut vim. Cov. reg. pecc. p. 2. §. 9.*
d *Alc. 5. conſ. 132.*
e *Cæſ. 1. Gall.*
f *Tac. Aug. Treb. Ba.*

CAP. V.

Victoris adquiſitio univerſalis.

ACcedit ea nunc diſceptatio, ſi jus eſt victoris univerſale: an vero in his tantum rebus, quas pede premit, manu tenet. [g] Et habet Hotomanus in illuſtribus quæſtionibus, & concludit, non univerſale, ſed particulare eſſe: ut emtoris, alteriuſque ſucceſſoris particularis eſt. [h] Et ſcribit ſane Celſus juriſconſultus, exercitum eam tantummodo partem obtinere, quam intraverit. [i] Ea pars profecto eſt inſidentis exercitus: & itaque jus illic dicit dux exercitus. Hotomanus ait, totum hoc jus in manu, & occupatione, & captivitate poſitum. [k] Ergo quod in quæſtione notat Quinctilianus, id definit Hotomanus ſecure, Theſſalos non honoratos ab Alexandro, ſed deriſos: qui illis chirographum quoddam donaverat Thebanorum: cum jus exigendi pecuniam, quod chirographo conſignatum erat, in manu victoris non fuerit. Verum id eſt tractandum cautius. [l] Et quæſtio in hoc genere etiam Dyrrachinis fuit cum homine quodam, quem Ciceroni commendat per litteras Brutus, *Pecuniam debitam, non eſt dubium: neque*

g *Hot. ill. q. 5.*
h *l. 18. de adqu. po.*
i *Bal. l. uli. de juſt.*
k *Quinct. 5. c. 10.*
l *Cic. ad Bru. 6.*

que Dyrrachini inficiantur: sed sibi donatum æs alienum a Cæsare dicunt. Sed Alexander videri Thebanorum universalis successor potuit: quoniam eversæ Thebæ, [a] & itaque mortem passæ erant. [b] Nam Bodinus haud recte reprehendit jurisconsultum, qui dixerit, civitatem esse desiisse Carthaginem, passam aratrum, & eversam funditus: etenim urbs desierit, non civitas, inquit Bodinus: [c] qui tamen agnoscit, periisse Thebanorum rempublicam. Quid ni hoc? Capta non modo urbs fuit, sed & civitas. Igitur & civitas esse desiit: si civitas ([d] quod proverbio negatur) captivorum non est. [e] Capta urbe Athenarum a Persis, quam consilio Themistoclis cives deseruerunt, concedentes in urbem ligneam, in classem, desiisse civitas Athenienſium non dicetur. Capta urbe Roma a Gallis olim, & in cineres redacta, non desiit Romana civitas, quæ in Capitolio, aut apud Camillum erat. [f] Constat autem, civitates posse desinere esse. [g] Et demolitione murorum, & ædificiorum facta per auctoritatem principis exstingui omnia jura civitatis. Fuit Alexander princeps, ac dominus non urbis modo, sed & civitatis quam redegerat sub se universam. [h] Exædificata rursum civitas non eadem est, quæ fuerat. Et quamvis magis credatur retinere tamen jura priora: id obtinetque magis quasi per subrogationem in prioris destructæ locum. Et neque hoc, ut quæsita aliis recuperet. [i] Cum ergo Alexander cœperit omnia Thebanorum, successor universalis fuit, non singularis. [k] Et ex hoc jure est, quod Alcibiades bona devictorum Chalcedonensium dedi sibi petiit a Bithynis, qui ea servabant. [l] Et Romani etiam corpora regum, Demetrii, & Mithridatis, & alios victos profugos ab eis, ad quos profugerunt. Atque sic est sane in victore universali. [m] Quicquid aliique Galli doctores idem, quod Hotomanus, docuerint, ex æquitate, & jure naturæ Thessalis quæsitum nihil, sed jure tantum belli, cui æquitas naturalis antestet. Etenim hæc ratio istorum nihil est. [n] Et Gallus alius doctor melius, dici non posse, quin omnia Thebanorum in dominium venerint Alexandri: & hic potuerit creditum illud exigere, & arbitrari se, ita Amphictyonas judicasse pro Thessalis: postquam id a Quinctiliano prætermissum est &c. In victore autem particulari obtinet definitio contraria, ut tantum illic quæsierit, quantum cœperit. [o] Sic ibi sit tantum territorium exercitus, ubi est exercitus, quia ibi tantum terret. [p] Itaque

a *l.21.qui. mo.ma.am.*
b *Bod.m. de rep.*
c *Bod.4. de rep.*
d *Conva. 2. comm. 3.*
e *Plut. Them.*
f *Bal.3.conf. 367.*
g *Alex.1. conf.43.Bal. 3.311. 4.322.*
h *Ang. l.98. de solut.Bal. d. 321. Alex. d. 43. & 2. 193.*
i *Bal. 2.conf. 202.*
k *Xenoph. 1. Græc.*
l *Liv. 7. 22. Plut. Luc. App.Mithri. Dio.39. Cæs. 4.Gall.*
m *Papo.lib.5 tit.6.arr.1.*
n *P.Ærod. 1. decr.9.*
o *Panor. 2. conf. 62. Bal. l. 3. de off. prof. & conf. 378. lib.3.*
p *Curt. 4. 5. Just.12.*

que ridet Darium Alexander in pacis conditionibus concedentem ea, quæ tum armis tenebantur ab hoſte. [a] Ita indignatus Hannibal venalem fuiſſe agrum Romæ, quem ipſe cum exercitu inſidebat. [b] Et Braſidas Lacedæmonius ait, Bæotum agrum non eſſe, quem itidem tenerent Lacedæmonii armis. Ex his autem definiri alia poſſe videtur quæſtio, ſi qui alium vincit, & ejus redigat omnia ſub poteſtatem, is & jura victi vindicare mox poſſit adverſus alios, adverſus quos victus vindicabat antea, aut juſte poterat vindicare. [c] Et Romani ſic cenſebant, Alba victa ſe in Latio jus idem habere oportere, quod habebant Albani antea. [d] Sane a ſubmiſſione capitis ſequitur ſubmiſſio membrorum, & rerum, quia ſerviente capite membra ſervire neceſſe ſit. [e] Et civitas quæ de principe in principem tranſierit, cenſetur cum omnibus ſuis qualitatibus tranſiiſſe. Etiam feudatarii recognoſcere victorem debent. Et ſic igitur non bene civitates, [f] quæ Mædorum tributariæ fuerant, mutato in Perſas imperio, etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, a Cyro defecere. Reliqua de fœderibus Latinorum, Albanorum, Romanorum poſtea dico.

a *Liv.26.*

b *Thucyd.* 4.

c *Dionyſ.*3.

d *Bal.l.*2.*ff. de adopt.*

e *Anch.conſ.* 197. *Alc.* 4. 15.17.5.132.

f *Juſtin.*1.

CAP. VI.

Victos ornamentis ſpoliare.

Victos præterea ſpoliare ornamentis licet, [g] *Signa, & ornamenta*, inquit Cicero, *ex urbe hoſtium, vi, & virtute capta, belli lege, atque imperatorio jure ſuſtulit.* [h] Et translaticium a priſcis temporibus, ſigna etiam & deorum donaria capere. Et barbarorum, & Græcorum exempla jam longo tempore confirmata, ut ſcribit Pauſanias: qui Auguſtumque tuetur, qui notari videbatur, quod cepiſſet. [i] Camillus, ille juris, & æquitatis bellicæ ſervantiſſimus, Junonem Veiis avexit. Marcellus plura ab Syracuſis, & Mummius plura ex Achaja abſtulit templorum ornamenta. [k] Contra tamen de idolis clamitat Labanus apud Joſephum. Sed pro ſua cauſſa ille clamitabat. Et forte etiam tum ita fuit, cum longe eſſent moderatiores in negotio hoc bellico, ut antea monui. [l] Et in quadam Philippica adhuc notat Demoſthenes pulchre. [m] Quanquam & in facto Marcelli iſthæc improbaſſe omnia, nec per malam rationem, videtur Fabius Ma-

g *Cic.Verr.*3.

h *Pauſ.*8.

i *Liv.*4.*Plu. Marc. Zon.*

k *Joſe.*1.*antiq.*

l *Dem. Phi.* 3.

m *Plut.Fab.*

Maximus, quoniam hoc eſſet triumphare de diis. Ipſe Fabius, capto Tarento, noluit, ſigna moveri: at Deos ſuos Tarentinis iratos cenſuit relinquendos. Sed quod dicit de diis triumphatis, id nunc conſiderandum eſt. Nam & movit aliquos. [a] Et Livius de Marcello hic adverſa neſcio quæ videtur dicere, *Marcellus, captis Syracuſis, cum cætera in Sicilia tanta fide, atque integritate compoſuiſſet, ut non modo ſuam gloriam, ſed etiam majeſtatem populi Romani augeret: ornamenta urbis, ſigna, tabulasque, quibus abundabant Syracuſæ, Romam devexit. Hoſtium quidem illa ſpolia, & parta belli jure: ceterum inde primum initium Græcarum artium opera, licentiaque hinc ſacra, profanaque omnia vulgo ſpoliandi factum eſt.* Jus belli ait. Sed licentiam notat, rejicitque Livius. [b] Eſt Dio in hanc eamdem ſententiam: nam ait, Cleopatram omnia etiam ſacra templorum ſuſtuliſſe, ac Romanis prædam ſine ipſorum ſcelere aliquo advexiſſe: qui extra templa invenerint omnia. Quaſi ſi Romani de templis rapuiſſent, ſcelere nonnullo fuiſſent attaminati. [c] Eſt & ab hac parte Seneca, cujus illa audis, *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* [d] Eſt & Cicero, qui alicubi & hoc in civilis belli mala refert, quod & ſpoliati dii fuiſſent. Sunt alia, quæ ſcripſi, cum egi de ſupplicibus, & de incendiis. Neque enim mirum eſt, ſi quæ in bello accidunt per varia tempora ea nos, & per diverſos notemus aliquando locos. Ecce igitur rurſus de templis, & ſacris. [e] Epheſini jura templi a victoribus omnibus, barbaris, Græcis, Romanis, conſervata ſemper legis apud Tacitum. [f] Joſephus autem quaſi legem Dei ponit, ne externa ſpolientur fana; ne ſacra illinc donaria auferantur. [g] Sed an eſt ad Dei legem, quia contaminati idololatria fuiſſent Judæi, an illo zelo, ne ſic & in domum Dei provocarentur externi? Aut quæ ratio fuerit apta juri bellico hoſtium? [h] Nam juriſconſulti noſtri definiunt pro priori ſententia: & ajunt, quod captis ab hoſte locis deſinant omnia eſſe ſacra, & religioſa. [i] Itaque recuperata etiam de hoſtibus Romani duxerunt expianda. Mihi ita dicendum videtur, quod ſi hæc, quæ Deo habentur ſacra, exiiſſe cenſemus commercium hominum, quia in nullius bonis cenſeantur, & negotium cum Deo contrahet victor, ea rapiendo: nec habeat victus, cur jura, quæ non ſunt ſua, ſibi quæritet violata. [k] Nam illa Ciceronis, imitantis dolorem Siculorum, ſeſe jam ne Deos quidem habere, quo-

a *Liv.* 25.
b *Dio.* 15.
c *Senec. ep.* 88.
d *Dio* 44.
e *Tac. ann.* 3
f *Joſeph. 4. antiq.*
g *Deut.* 7.
h *l.* 36. *de relig. l.* 4. *de ſep. viol. l.* 83. 137. *de V. O.*
i *Fab.* 2. *Sem.* 4.
k *Aſcon. divinat.*

rum abſtuliſſet Verres ſimulacra, oxymora, & inania dicit Aſconius. Alioqui juſta foret accuſatio contra victores raptores, ſi peractis Deorum ſtatuis ipſi etiam dii perderentur. Neque enim licet victoribus, perdere victis jura Dei, aut naturæ. Etiam & cum eſt ea religio victi falſa, ut ſic putet oxymora, parcere victo decet. Quod ſi in commercio etiamnum ſunt iſta: tum quæ erant devictorum, victores accipiunt juſte. [a] Nec vero exiiſſe commercium videntur, ſi juris publici eſſe exiſtimantur, & aliquando alienantur, & non dicuntur Deo ſacra, quaſi dedicentur Deo ita, ut fiant ejus, aut magis ejus, quam ante; ſed ut uſibus ad cultum Dei pertinentibus ſerviant, & his quidem ſuis conſecrantium, non alienis. Et ergo ſacra hoſtibus non ſunt, & traduci in alios ſuos uſus a conſecrantibus poſſunt. [b] Pericles ſtatuas ſacras conflari pro ſalute reipublicæ voluit, quæ finito bello reſtituerentur. Romani habuere omnia in laxiori commercio: unde & laxus eſt, & latus Tertulliani tractus ridiculorum. Athenienſes, etiam dona, quæ ab aliis Delphos mittebantur, capere Iphicratem juſſere, ut eſſet, de quo militibus ſatisfieret. Hoc tamen alienorum defendi non poteſt. [c] De ſuis idem ſtatuit Pompejus, ſenatusque: & fecit Cæſar, & Romæ, & alibi. Et differuit egregie Soderinus Confalonerius Florentiæ: ea capere ſacra licere, quibus uteremur nos tuendo. Videlicet defenſio ſege naturæ, & Dei, & conſenſu omnium nationum, orta cum orbe, & cum orbe duratura: cui nullæ civiles, aut canonicæ poſſent derogare. Et ſic ſentit vir ſapientiſſimus, per humanas conſtitutiones, cogitationesve eſſe illam bonorum Deo ſeparatorum, ſepoſitorum. [d] *In ſacro quid facit aurum?* Quid? etiam Hieronymus roget. Tantum abeſt, ut Deus velit, eſſe ſua, quæ ſibi faciunt homines. [e] Nunc adde, quod in formula deditionis habebant Romani & focos, & aras, & profana, & ſacra, & humana, & divina omnia: ut ſunt exempla collecta a Briſſonio. Sic juſtum jus iſtud videtur, ut capere & hæc hoſtium valeamus. [f] Et tamen non ignoro, quæ contra raptores templi Hieroſolymitani in ſcripturis ſanctis leguntur. Sed ea ſunt, quia Deus ſibi ipſe elegit & domum, & quæ in domo. Et illi raptores etiam ſic vulnerunt Deum Judæorum, Deum verum afficere contumelia. Quod bellum cum Deo eſt, de quo non tracto: ſed tantum de jure hominum: quod hic non læditur. Quid ergo in communione religionis? [g] Reſponden-

a *l. 1. de juſti. Donel. 4. com. 1. l. 17. C. de ſa. eccl. Ambr. 2. de off. 27. Tac. ann. 1.*

b *Thucyd. 2. Diod. 12. 16. Tertul. apolog.*

c *Dio. 41. 42. 43. Guicc. 10.*

d *Perſ. ſaty. 2. Hier. ep. 28.*

e *Briſſo. 4. de form.*

f *Daniel. 5.*

g *Aſin. l. 36. de relig.*

dent, noſtri interpretes, inter Chriſtianos non deſinere ſacrum eſſe locum ab hoſtibus captum. Ceterum manet tamen, quod de commercio dixi. [a] Etenim, ut nunc, legenti Genuenſes annales, ob oculos mihi incurrit, etiam eſt commercium reliquiarum ſanctorum corporum defunctorum, & ſimilium aliarum rerum ſacrarum. Plurimum ille auctor meminit. Etiam de bello Veneto relata, & partita publico, privatis quaſi aliam prædam. [b] Legimus alia alibi: & ipſam Chriſti coronam a Balduino imperatore Conſtantinopolitano oppigneratam regi Franco. At id indignati tamen Græci, & negantes, quod quærimus, rerum iſtarum commercium eſſe. Sane vero non concludunt exempla pro commercio: ſi commercium non eſt: [c] quoniam religio manet, etſi eam contemnamus. Et tamen ſive eſt commercium, ſive commercium non eſt, ad jus hominum quod ſpectat ego concluſerim licita hæc eſſe victori. Atque in communione religionis ea fecerunt Romani ſemper. [d] His quippe in ſacris omnia conveniebant cum Græcis: [e] *etiam Hannibal eoſdem Deos colebat cum Romanis*. [f] Quid tum ſi non omnibus relinqui poterat diis? Si ſacra externa, id eſt rationes Deorum colendorum externæ non recipiebantur? Erat adhuc religio communis tamen. Et in illa communione nec a ſacris abſtinebant victores. Ceterum ut hoc jus eſt, quantum quidem ipſe puto, tamen malim ſequi pudorem, & honeſtatem, & a jure licito abſtinere. [g] Male audiunt, etſi ab hoſte, qui templa Romana ſpoliarunt non ita dudum. [h] Sed, & qui hoſtis non eſt, illos condemnat. Etiam & videri religiones contrariæ poterant, non modo non communes. Scilicet communio nominis non facit communionem rei. In quo nec videtur eſſe communio tamen. [i] Si illi volunt ejuſmodi nomine nuncupari, quod iſti cenſent abominationem, & contrarium nomini Dei ſui. Non videtur ulla communio. [k] Et utrinque ſic contenditur. Scilicet in verbis articulorum convenire, id non ſit in articulis convenire: quoniam nec ſint articuli in verbis, & verborum ſono, ſed in ſenſu, & intellectu, in quibus diſſenſus latiſſimus ſit. Ego iterum dixero, malle me ab iſtis temperare. [l] Quem miles Clodovæi Francus, nondum Chriſtiana ea gente, de templo Gallorum Chriſtianorum rapuerat calicem, & religioni alienæ reſtituendum negabat, legimus reſtitutum, deque conſenſu optimatium. Eadem Romæ juſſu Alarici. [m] Sed Cicero de eo, quod Pompejus nihil in templo attigit

a *Juſti. anna. Ge. 4.*

b *P. Æmil. 7.*

c *l. 30. de ad. po.*

d *Dion. 7.*
e *Ambr. ca. Sy. ep. 2.*
f *Ulp. tit. 22.*

g *Guicc. lib. 18.*
h *B. coll. Mompel.*

i *Hoſ. ep. 79.*

k *Bell. 5. cont. 3. c. 9. Zul. ep. 8.*

l *P. Æmil. 2. Caſſio. uli. va. 20.*

m *Cic. pro Flac. Tac. 5. hiſt.*

tigit Hierosolymitano (quod ingressus jure victoriæ tamen, ut ait Tacitus) sapienter illum fecisse, ne locum obtrectatoribus daret maledicendi: non enim religionem, & Judæorum, & hostium, impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse. [a] Egregie alio in loco: *Marcellus cum tam præclaram urbem vi, copiisque cepisset, non putavit, ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præsertim nihil periculi ostenderetur, delere & extinguere: itaque ædificiis omnibus, publicis, & privatis, sacris, & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset: in ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis: victoriæ putabat esse, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi esse possent: humanitatis, non plane spoliare urbem, præsertim quam conservare voluisset: in hac partitione ornatus non plus victoria Marcelli populo Romano appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit.*

[a] Cic. 4. ac. Ve. 2.

CAP. VII.

Urbes diripi, dirui.

DE aliis rebus non sacris nulla dubitatio est, quin rapi a victore possint. Et de aliis tamen si moderate idem constituitur, bene fuerit. Scilicet considerare semper decet causam suscepti belli, & ad eam actiones belli omnes, quantum pote est, cogere. [b] Sic Theseus (quem cum dico, Euripidem intelligi magis volo) cum posset irruere in urbem Thebas, victis Thebanis prælio, repressit suos, quia non veniisset expugnatum urbem, sed repetitum cadavera. [c] Sic habiti, culti pro diis, qui Athenis captis receperunt suum, animadverterunt in unum, atque alterum, mali & injuriæ auctorem ceteris hominibus, & rebus pepercerunt. Ceterum de jure prosequamur. [d] Captæ quidem diripiuntur urbes, deditæ non diripiuntur. Sive tamen sint vi, sive operibus ([e] quam & audimus distinctionem) expugnatæ, nihil hic refert. [f] Etiam venduntur captæ urbes. Mœnia & diruuntur captarum urbium, & ipsæ urbes integræ. [g] Abhorret lex civilis tamen illam ædificiorum demolitionem. [h] Mœnia Athenarum diremerunt Spartani. Spartæ diruta per concilium Achæorum. Hierosolymorum jussu Pompei. [i] Et hæc plura narrat P. Faber: & ad notam ignominiæ

[b] Eurip. Suppl.
[c] Cant. Lycophr.
[d] Liv. 37.
[e] Liv. 5. 10.
[f] Plin. 4.
[g] Alc. 5. conf. 138.
[h] Thucyd. 1. Liv. 38. Tac. 5. hist.
[i] Fabr. Sem. 8.

niæ facta refert. [a] Partem murorum Giſcalæ Titus jure poſſeſſionis deſtrui voluit. [b] Atila mœnia diruit Argentinæ, quæ ſibi acceſſum occluſit, atque voluit, eam deinceps appellari Polyodopolim: quaſi multis acceſſibilem viis. Alii hoc idem fecerunt, & facere conſueverunt ex aliis cauſſis. [c] Triumphantibus (inquit Plutarchus) permittitur, ut partem muri demoliantur: quaſi non eſſet magnus murorum uſus urbibus cum viris vincendi gnaris. [d] Etiam rex Iſraelis captæ Hieroſolymæ mœnium partem diruit: eaque urbem curru invehitur. Invehitur per mœnia dediti Mediolani Fridericus. [e] Captæ Neapolis rex Alphonſus, per antiquorum (ut ait hiſtoria) imitationem. [f] Et per captæ Mirandulæ Julius pontifex Romanus: an quia ipſæ portæ (quod ſcribit Guicciardinus) dirutæ erant? an quia viro ſacerrimo aditus profanus, qui eſt per portas, non conveniret, per muros ſanctos deberetur? [g] Sic victoribus olim ſolleminium certaminum fiebat. An voluit, dignus majorum hæres, ſuper aſpidem, & baſiliſcum? Hactenus. Ignominiæ pœnam pono ego cum Fabro. [h] Etiam & cum eruditiſſimo Torrentio, qui alicubi ad Suetonium notat eadem Fabri. Ceterum ſi ignominiæ juſtus locus non ſit, puta, quia non rebellis, non perfida civitas fuit: ad alias tum eundum cauſſas erit, ut hoc fieri poſſit. Nam ſi ſine juſta cauſſa fiet, ſine juſtitia fiet. [i] Ex cauſſa urbes integræ everſæ. [k] Neque ullum male geſti principatus eſt ſignum, ſi acrius in aliquos eorum, qui bello nos petierunt, animadvertimus: ait ad rem præſentem Iſocrates, & quod Athenienſibus objiciebatur, Meliorum, & Sicyoniorum defendit excidium. Si qui alii (addit) in iiſdem negotiis majore clementia eſſent uſi, jure vituperaremur nos: ſi vero nec unquam hoc factum eſt, & fieri nequit, ut tanta urbium multitudo ſine animadverſionis ſeveritate in officio contineatur: nonne laudandi ſumus, qui male tractatis quam pauciſſimis imperium quam diutiſſime tenuerimus? Sic probat ille factum, & juſtam tradit cauſſam faciendi, cauſſam imperii firmandi, ac retinendi, quæ eſt juſtiſſima, ut ſtatim dico. [l] Thebæ ſubverſæ de conſilio totius Græciæ: quoniam partem Perſarum ſequutæ eſſent, & hæc fuit pluſquam juſtiſſima. Cum barbaro, naturali hoſte, & communi contra communis patriæ corpus conjurarunt. Quid omnes memorem? idem nominat aliquot P. Faber. [m] Mentionem Livius facit Albæ, Pometiæ, Corbionis, Cortuoſæ, Contenebræ,

Sa-

a *Joſeph. 4. bel.*
b *Bonf. 2. Ung. 2.*
c *Plut. 2. Symp. 5.*
d *Zona. Sigon. 13. de re. Ita.*
e *Juſt. anno Ge. 1.*
f *Guicc. 9.*
g *Cam. 7. probl. 8.*
h *Tor. Suet. Gal.*
i *Iſocr. panegyr.*
k *Diod. 17.*
l *Liv. 2. 2. 4. 6. 7. 24. 31. 38.*

Satrapi, Antipatriæ, Phaleriæ, aliarum. [a] Nota Carthago, quæ & aratrum passa, sollemni Romanorum more. [b] Nota Hierusalem, & ejus templum aratum *ad ignominiam* gentis oppressæ. [c] *Sion ut ager arabitur*: propheta prædixerat. [d] Sed & exsecrationibus exceptæ urbes eversæ. [e] Notæ urbes, quas ipsi Judæi exscidernnt, quibusque salem, more eorum sollemni, superseminarunt. Numantia præterea nota, & Corinthus, & aliæ multæ. [f] P. Æmilius in Epiro duas & septuaginta, & Gracchus centum quinquaginta, an trecentas? quales, quales fuerint, evertit Celtiberorum urbes. Et jus hoc bellicum nec incognitum, quod ex diversis idem fiat caussis. [g] Sed hic valde considerandum, ait Cicero, ne quid temere, ne quid crudeliter fiat, & magnanimi esse viri, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta, atque honesta retinere: nec audiendos, qui graviter irascendum inimicis putant. Sed prohibenda immo ira in puniendo sit: neque enim laudaturos Peripateticos iracundiam aliter, aut dicturos, utiliter a natura datam. *Parta victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, ut majores nostri. Tusculanos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam accepe-runt: at Carthaginem, & Numantiam funditus sustulerunt. Nol-lem Corinthum: sed credo, illos secutos opportunitatem loci maxi-me, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* [h] Sic de loco Carthagini mutando dictum. [i] Et Cæsar tamen Carthaginem, atque Corinthum restituit vel contra interdictum, & exsecrationem: ne loca, quæ non male merita (ut aliique [k] dicunt) paterentur propter habitatores male meritos. Sed & locus male meritus dicitur, qui facit male merentes habitatores. [l] Invenias enim, ut plurimum non solum hominum formas, sed & mores regionis naturam imitari, & ingenia hominum terræ ingeniis respondere: & magnum esse locorum, ad ferendum meliores, pejoresve homines, discrimen. [m] Elegantissime idem Cicero de agro Campano, quemadmodum ille locus paucis diebus effecerit missos Roma colonos superbissimos, & Campani supercilii, & regii spiritus. Habet illa pulcherrima, *non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis re-bus, quæ ob ipsa natura loci, & a vitæ consuetudine suppeditan-tur, quibus alimur, & vivimus.* Addit de Carthaginensibus, quæ hic item recitem aptissime, *Carthaginenses fraudolenti & men-*

[a] *l. 21. qui. mo. us. am.*
[b] *c. 7. dist. 76.*
[c] *Mic. 3.*
[d] *Str. 13.*
[e] *Jud. 9. Jose. ant. 3. 7.*
[f] *Flor. 2. Str. 3. 7.*
[g] *Cic. 2. de off.*
[h] *App. Pun.*
[i] *Dio. 43.*
[k] *Hieron. ep. 17.*
[l] *Hipp. de aer. Gale. quod a. m. Arist. 7. pol. Pla. 5. de legi.*
[m] *Cic. agr. 2.*

uendaces, non genere, ſed natura loci: quod propter portus ſuos multis, & variis mercatorum, & advenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quæſtus vocabantur. [a] Eadem apud Livium diſſerit conſul Manlius: & pluribus prolatis exemplis aſſerit, *Sicut in frugibus, pecudibusque non tantum ſeminâ ad ſervandam indolem valent, quantum terræ proprietasque, cælique, ſub quo aluntur, mutat*, &c. Sed hac de re quis dubitet? [b] *Rheti ex Hetruſcis oriundi: quos loca ipſa efferaverunt.* [c] Et de Gallogræcis: *Ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant; ſic illa Gallorum genuina feritas Aſiatica amœnitate mollita eſt.* [d] Scio illa contraria apud eumdem auctorem, *Nec terra mutata mutavit genus, aut mores.* de Græcis in Aſia coloniis. Et de Maſſilienſibus, *eos non efferarunt indomitæ circumfuſæ gentes: Natura inſita velut ingenio terræ vinci nequit.* Atque ait iſte circumfuſas: tu autem adde, & intra mœnia concluſas: [e] quod de Strabone cognoſcis. Ceterum ut reſiſtat terræ aliquandiu genus invectum: & diſciplina obſiſtat naturæ plurimum: ſuperat tamen tandem terra, atque natura, quæ res immobiles ſunt mutabilibus illis aliis validiores. Certè dubium non eſt, quin poſſit locus valde ad homines efformandum, ut inquit Plato, & experientiſſimus Hippocrates, & reliqui. *Ipſa Maſſilia traxit aliquantum ab accolis animorum*, ut eſt apud Livium. [f] Et in jure Canonico, *Plerumque dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus.* Sic juſſum, Carthaginem longe eſſe a mari. Sic Ligures tranſportati. [g] Sic Aſtures in plano deducti. [h] Et ſic Ptolomæus, translatum hominem ad aliud clima mutare naturam ex parte, non ex toto, quia in principio acceperit ſortem corporis ſui. Sic igitur ex toto mutantur, qui & nativitatem in iſto alio climate ſortiuntur. Ergo ſic mihi juſtat bellicum, etiam diruta Corinthus in ultionem legatorum. Quam approbavi cauſſam alibi. *Sequutos opportunitatem loci maxime*, non hanc ſolam cauſſam putat Cicero. Numantia diruta, ad quam annis viginti pugnatum: tantum cladium, tantum ignominiarum acceptum: quæque minutula urbs auſa Romanorum hoſtes protegere, & victos, & repetitos. Sic eradicanda fuit ſuperbiæ ſedes infamis, & tollendum infamiæ monumentum. Diruta Carthago metu. Audi de utraque Paterculum, [i] *Exciſa Carthagine, ac Numantia ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis* Scipio. [k] Cur neget Florus, oppreſſos Numantinos juſte,

a *Liv. 38.*
b *Liv. 5.*
c *Flor. 2.*
d *Liv. 37.*
e *Str. 3.*
f *c. 9. diſt. 82.*
g *Flor. 4.*
h *Servius Æn. 6.*
i *Patere. 2.*
k *Flor. 3.*

mium victoriæ, pœna belli: ut M. itidem Tullius habet, pretium pacis, ut ait Oroſius: vinculum pacis, monumentum belli: ut, agri parte a victoribus poſſeſſa, defectionem victi non facile cogitent: & ut exſtet belli, quo victi illi ſunt, memoria. Sic victis conſulitur, atque victoribus, quod hic fieri oportet.

a *Juſtin.* 1. Sic ego probem Ninum; [a] qui primus dicitur bello parta retinuiſſe; cum priores contenti victoria, imperio abſtinuiſſent. [b]

b *Oroſ.* 1. c. 1. Quamquam & tria illa amplius annorum millia, ab Adamo uſque

c *Juſtin.* 2. ad Ninum ignorata omnibus, aut omiſſa ſunt hiſtoriographis. [c] Uſque ad Ninum per annos mille, & quingentos Scythæ antea Aſiam vectigalem habuerunt, tamen ut ita modicum tributum ſolebant illi imponere magis in titulum imperii, quam in victoriæ præmium. Sed certe & hoc præmium juſtum, & conſilium reliquum.

d *Cic.* 1. *ad Q. F.* 1. [d] *Difficile eſt quidem ea, quæ commodis, utilitate, & prope natura diverſa ſunt, voluntate conjungere. Sed quod acerbiſſimum victis eſt, quod ſint vectigales, id non ita videri acerbum debet: ſi forſitan fuerunt etiam antea tales, quam in jus, & ditionem præſentis victoris conceſſiſſent. Et illud ſemper cogitare habent, nullam a victore neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abeſſe poſſe, ſi hoc imperio non tenerentur: id autem imperium cum retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo partę aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimant, atque otium.*

e *App.* 1. *civ. Dig.* 1. 19. *Baldu.* 12. *Tab.* [e] Agro itaque mulctare victos, ſollemne Romanis, & juſtum. Extra Italiam conſtituere nec mancipi omnia, quod eſt, non ita illa victis relinquere, ut non retinerent ipſi victores Romani ſimul dominium primum.

f *Aug.* 4. *de civ. Alc.* 5. *conſ.* 132. *Bald.* 1. *Barbarius lect.* 3. *Cov. reg. pec.* p. 2. §. 11. [f] Ut vero damnata eſt dominandi libido: & bella imperii cauſſa proferendi latrocinia grandia reputata ſint Auguſtino: quæque olim occupatio bonorum licita erat, facta mox rerum diviſione deſierit eſſe licita: belli tamen titulo non minus, quam alio quovis & agros, & res alias quasvis poſſe quæri, indubitatum eſt.

g *Cl. A. ſtr.* 1. h *Cic.* 1. *de off.* [g] *Res hoſtium belli jure auferuntur*, ſcribit Clemens Alexandrinus. [h] *Sunt privata* (ait Cicero) *nonnulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut bello, ut qui victoria potiti ſunt*, &c.

i *Deut.* 20. [i] Sic & lege Dei ſunt tributa, & adquiſitiones.

k *Geneſ.* 48. [k] Et Jacobus dat Joſepho terram, quam de Emoræo armis cœpit.

l *Luc.* 10. [l] Et itaque ferendus non eſt Lucanus, qui orbis terrarum prædonem appellat Alexandrum. Si is enim juſte bella movit,

geſſit

geſſit, finivit juſte, etiam potuit regna hoſtium occupare victor. [a] Ita ineptusque Lucani patruus Seneca, qui & alia, & hoc notat in Alexandro, quod latro fuerit: neque cum Hercule (ut cupiebat) fuerit ulla ratione conferendus; quando nihil ſibi vicerit Hercules, at orbem terrarum tranſierit non concupiſcendo, ſed vindicando. Inepti, inquam, iſti Hiſpanici, neque ex Hiſpanico præſenti ſtomacho: qui non Alexandri unius, ſed omnium gentium, & omnium temporum imperia, tenuibus nata initiis, aucta per rem bellicam, condemnarunt. Romanorum imperium a caſis paſtorum venit. [b] Et virtute factum audimus. Verum in re nec obſcura, nec controverſa diutius hæreo. Et fuit tamen dicendum hic aliquid: [c] quoniam iſta occupatio aliena naturæ, & æquitati etiam hodie viſa aliquibus eſt. Si inter privatos (ajunt) non hæc licent, quo pacto æqua inter principes erunt? reſpondeo, æqua inter principes; qui ſic ſuæ conſulunt victoriæ, & ſecuritati: infirmioribus factis hoſtibus, ſe ipſis factis firmioribus, ut illi in poſterum minus audeant, poſſintve: & ipſi minus habeant vereri pericula eadem. Quæ ratio ad privatos non pertinet: qui defenſorem, ultorem habent ſemper magiſtratum. Addunt, hic jam per bellum ſumta ſupplicia eſſe de ſceleratis. Quod nihil eſt ad ſecuritatem, & ad alteram ultionis partem, quæ in futurum porrigitur. Ecquid quoque cum victi non intulerunt cladium minus, quam acceperunt? Secundo Punico bello, immo etiam primo plura victores paſſi, quam victi. [d] Primo amiſerunt Romani quinqueremes ſeptingentas: Carthaginenſes quingentas. [e] In ſecundo unus Hannibal, inque Italia una delevit oppida quadringenta, ſtravit trecenta virorum millia. Et Pœnis nulla fuiſſet ad extremum pœna? Homines jam non licet occidere. Privatis quoque auferri bona in pœnam ſolent per leges: & ſæpe his deferri, quibus peccatum eſt. [f] Sic ſtat (ait Philo) infortunium duplex, ut hoſtis ſua perdat, quæ victori ſimul adquirantur hoſti. [g] Alciatus quoque negat, capta bello inter Chriſtianos fieri capientium, quia hoc civile, & plus quam civile bellum ſit: & theologos, ſive matæologos potius quoldam tradere contrarium, & in conſcientiæ foro, ubi magis ea fuerat adquiſitio deneganda. Sed mihi ratio Alciati vana videtur per ſupradicta, & improbabilis ſane opinio. Sit itaque concluſio conſtitutiſſima, ut quæri de hoſtibus poſſit. Ut tamen ſervetur hic ju-

a *Sene. 1. de benef.*

b *c.14. 28. q.1.*

c *Nat.Co.12.*

d *Polyb. 1.*

e *App. Pu. & Ann.*

f *Phi. de ex. ſecr.*

g *Alc. l. 218. de V. S.*

juſtitia, & æquitas. Non omnia faciet victor ſua, quæ per vim, & per victoriam poteſt, [a] *Quanto plus licet, tam libeat minus*, inquit ſententia Sapientis. Et facit omnia pro arbitrio boni viri. Quod pro rerum varietate variabitur. Securitati ſi conſulet, tum erit bene ſatis, cum abfuerit metus, [b] Nec vero dicitur excedi modus inculpatæ tutelæ, ſi quid fit, quod periculum amovet, [c] Quanquam nec quæritur in tractatu juris gentium, aut principum de iſto modo. Si damna ſint farcienda: ne quid quæras amplius, [d] Et in defenſivo bello damna tantum ſumtusque quæri oportere volunt, Quæ itidem Alciati ſententia diſplicet. [e] Arioviſtus autem aſpere nimis & de agris, & de vectigalibus. *Jus eſſe belli, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent*. Romani pro varietate eorum, quos viciſſent, ita iſthæc omnia conſtituebant: quod dico ſecundo de Romanis armis. [f] In tributis illud juſtitiæ ſummæ, quod a ſingulis exigerent res in locis viles: a Siculis triticum, a Corſis ceram, &c. atque graviſſimum, & vituperatum, vetitumque contrarium.

a *Arſo. ſe. ſap.*

b *Soc. 3. conſ. 68.*

c *Jaſ. l. ut vim. Cov. reg. pecc. p. 2. §. 9.*

d *Alc. 5. conſ. 132.*

e *Cæſ. 1. Gall.*

f *Tac. Aug. Treb. Ba.*

CAP. V.

Victoris adquiſitio univerſalis.

ACcedit ea nunc diſceptatio, ſi jus eſt victoris univerſale: an vero in his tantum rebus, quas pede premit, manu tenet. [g] Et habet Hotomanus in illuſtribus quæſtionibus, & concludit, non univerſale, ſed particulare eſſe; ut emtoris, alteriuſque ſucceſſoris particularis eſt. [h] Et ſcribit ſane Celſus juriſconſultus, exercitum eam tantummodo partem obtinere, quam intraverit. [i] Ea pars profecto eſt inſidentis exercitus: & itaque jus illic dicit dux exercitus. Hotomanus ait, totum hoc jus in manu, & occupatione, & captivitate poſitum. [k] Ergo quod in quæſtione notat Quinctilianus, id definit Hotomanus ſecure, Theſſalos non honoratos ab Alexandro, ſed deriſos: qui illis chirographum quoddam donaverat Thebanorum: cum jus exigendi pecuniam, quod chirographo conſignatum erat, in manu victoris non fuerit. Verum id eſt tractandum cautius. [l] Et quæſtio in hoc genere etiam Dyrrachinis fuit cum homine quodam, quem Ciceroni commendat per litteras Brutus, *Pecuniam debitam, non eſt dubium: neque*

g *Hot. ill. q. 5.*

h *l. 18. de adqu. po.*

i *Bal. l. ult. de juſt.*

k *Quinct. 5. c. 10.*

l *Cic. ad Bru. 6.*

que Dyrrachini inficiantur: sed sibi donatum æs alienum a Cæsare dicunt. Sed Alexander videri Thebanorum universalis successor potuit: quoniam eversæ Thebæ, [a] & itaque mortem passæ erant. [b] Nam Bodinus haud recte reprehendit jurisconsultum, qui dixerit, civitatem esse desiisse Carthaginem, passam aratrum, & eversam funditus: etenim urbs desierit, non civitas, inquit Bodinus: [c] qui tamen agnoscit, periisse Thebanorum rempublicam. Quid ni hoc? Capta non modo urbs fuit, sed & civitas. Igitur & civitas esse desiit: si civitas ([d] quod proverbio negatur) captivorum non est. [e] Capta urbe Athenarum a Persis, quam consilio Themistoclis cives deseruerunt, concedentes in urbem ligneam, in classem, desiisse civitas Athenienstum non dicetur. Capta urbe Roma a Gallis olim, & in cineres redacta, non desiit Romana civitas, quæ in Capitolio, aut apud Camillum erat. [f] Constat autem, civitates posse desinere esse. [g] Et demolitione murorum, & ædificiorum facta per auctoritatem principis extingui omnia jura civitatis. Fuit Alexander princeps, ac dominus non urbis modo, sed & civitatis, quam redegerat sub se universam. [h] Exædificata rursum civitas non eadem est, quæ fuerat. Et quamvis magis credatur retinere tamen jura priora: id obtinetque magis quasi per subrogationem in prioris destructæ locum. Et neque hoc, ut quæsita aliis recuperet. [i] Cum ergo Alexander cœperit omnia Thebanorum, successor universalis fuit, non singularis. [k] Et ex hoc jure est, quod Alcibiades bona devictorum Chalcedonensium dedi sibi petiit a Bithynis, qui ea servabant. [l] Et Romani etiam corpora regum, Demetrii, & Mithridatis, & alios victos profugos ab eis, ad quos profugerunt. Atque sic est sane in victore universali. [m] Quicquid aliique Galli doctores idem, quod Hotomanus, docuerint, ex æquitate, & jure naturæ Thessalis quæsitum nihil, sed jure tantum belli, cui æquitas naturalis antestet. Etenim hæc ratio istorum nihil est. [n] Et Gallus alius doctor melius, dici non posse, quin omnia Thebanorum in dominium venerint Alexandri: & hic potuerit creditum illud exigere, & arbitrari se, ita Amphictyonas judicasse pro Thessalis: postquam id a Quinctiliano prætermissum est &c. In victore autem particulari obtinet definitio contraria, ut tantum ille quæsierit, quantum cœperit. [o] Sic ibi sit tantum territorium exercitus, ubi est exercitus, quia ibi tantum terret. [p] Itaque

a *l. 21. qui. municip.*
b *Bod. de rep.*
c *Bod. 4. de rep.*
d *Comm. 2. comm. 3.*
e *Plut. Them.*
f *Bal. 3. cons. 367.*
g *Alex. 1. cons. 33. Bal. 3. 311. 4. 322.*
h *Ang. l. 98. de solut. Bal. d. 321. Alex. d. 43. & 2. 193.*
i *Bal. 2. cons. 202.*
k *Xenoph. 4. Græc.*
l *Liv. 7. 22. Plut. Luc. App. Mithr. Dio. 39. Cæs. 4. Gall.*
m *Papo. lib. 5 tit. 6. arr. 1.*
n *P. Ærod. 1. decr. 9.*
o *Panor. 2. cons. 62. Bal. l. 3. de off. præs. & cons. 378. lib. 5.*
p *Curt. 4. 5. Just. 11.*

que ridet Darium Alexander in pacis conditionibus concedentem ea, quæ tum armis tenebantur ab hoste. [a] Ita indignatus Hannibal venalem fuisse agrum Romæ, quem ipse cum exercitu insidebat. [b] Et Brasidas Lacedæmonius ait, Bæotum agrum non esse, quem itidem tenerent Lacedæmonii armis. Ex his autem definiri alia posse videtur quæstio, si qui alium vincit, & ejus redigat omnia sub potestatem, is & jura victi vindicare mox possit adversus alios, adversus quos victus vindicabat antea, aut juste poterat vindicare. [c] Et Romani sic censebant, Alba victa se in Latio jus idem habere oportere, quod habebant Albani antea. [d] Sane a submissione capitis sequitur submissio membrorum, & rerum, quia serviente capite membra servire necesse sit. [e] Et civitas quæ de principe in principem transierit, censetur cum omnibus suis qualitatibus transisse. Etiam feudatarii recognoscere victorem debent. Et sic igitur non bene civitates, [f] quæ Mædorum tributariæ fuerant, mutato in Persas imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecere. Reliqua de fœderibus Latinorum, Albanorum, Romanorum postea dico.

a *Liv.26.*

b *Thucyd. 4.*

c *Dionys.3.*

d *Bal.l.2.15. de adopt.*

e *Anch.cons. 197. Alc. 4. 35.17.5.132.*

f *Justin.1.*

CAP. VI.

Victos ornamentis spoliare.

Victos præterea spoliare ornamentis licet, [g] *Signa, & ornamenta*, inquit Cicero, *ex urbe hostium, vi, & virtute capta; belli lege, atque imperatorio jure sustulit*. [h] Et translaticium a priscis temporibus, signa etiam & deorum donaria capere. Et barbarorum, & Græcorum exempla jam longo tempore confirmata, ut scribit Pausanias: qui Augustumque tuetur, qui notari videbatur, quod cepisset. [i] Camillus, ille juris, & æquitatis bellicæ servantissimus, Junonem Veiis avexit. Marcellus plura ab Syracusis, & Mummius plura ex Achaja abstulit templorum ornamenta. [k] Contra tamen de idolis clamitat Labanus apud Josephum. Sed pro sua caussa ille clamitabat. Et forte etiam tum ita fuit, cum longe essent moderatiores in negotio hoc bellico, ut antea monui. [l] Et in quadam Philippica adhuc notat Demosthenes pulchre. [m] Quanquam & in facto Marcelli isthæc improbasse omnia, nec per malam rationem, videtur Fabius Ma-

g *Cic.Verr.3.*

h *Paus.8.*

i *Liv.4.Plu. Marc. Zon.*

k *Jose.1.antiq.*

l *Dem. Phi. 3.*

m *Plut.Fab.*

Maximus, quoniam hoc esset triumphare de diis. Ipse Fabius, capto Tarento, noluit, signa moveri: at Deos suos Tarentinis iratos censuit relinquendos. Sed quod dicit de diis triumphatis, id nunc considerandum est. Nam & movit aliquos. [a] Et Livius de Marcello hic adversa nescio quæ videtur dicere, *Marcellus, captis Syracusis, cum cætera in Sicilia tanta fide, atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam majestatem populi Romani augeret: ornamenta urbis, signa, tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit. Hostium quidem illa spolia, & parta belli jure: ceterum inde primum initium Græcarum artium opera, licentiaque hinc sacra, profanaque omnia vulgo spoliandi factum est.* Jus belli ait. Sed licentiam notat, rejicitque Livius. [b] Est Dio in hanc eamdem sententiam: nam ait, Cleopatram omnia etiam sacra templorum sustuliſſe, ac Romanis prædam sine ipsorum scelere aliquo advexisse: qui extra templa invenerint omnia. Quasi si Romani de templis rapuissent, scelere nonnullo fuissent attaminati. [c] Est & ab hac parte Seneca, cujus illa audis, *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* [d] Est & Cicero, qui alicubi & hoc in civilis belli mala refert, quod & spoliati dii fuissent. Sunt alia, quæ scripsi, cum egi de supplicibus, & de incendiis. Neque enim mirum est, si quæ in bello accidunt per varia tempora ea nos, & per diversos notemus aliquando locos. Ecce igitur rursus de templis, & sacris. [e] Ephesini jura templi a victoribus omnibus, barbaris, Græcis, Romanis, conservata semper legis apud Tacitum. [f] Josephus autem quasi legem Dei ponit, ne externa spolientur fana; ne sacra illinc donaria auferantur. [g] Sed an est ad Dei legem? quia contaminati idololatria fuissent Judæi, an illo zelo, ne sic & in domum Dei provocarentur externi? Aut quæ ratio fuerit apta juri bellico hostium? [h] Nam jurisconsulti nostri definiunt pro priori sententia: & ajunt, quod captis ab hoste locis desinant omnia esse sacra, & religiosa. [i] Itaque recuperata etiam de hostibus Romani duxerunt expianda. Mihi ita dicendum videtur, quod si hæc, quæ Deo habentur sacra, exiisse censemus commercium hominum, quia in nullius bonis censeantur, & negotium cum Deo contrahet victor, ea rapiendo: nec habeat victus, cur jura, quæ non sunt sua, sibi quæritet violata. [k] Nam illa Ciceronis, imitantis dolorem Siculorum, sese jam ne Deos quidem habere, quo-

a *Liv.* 25.
b *Dio.* 15.
c *Senec. ep.* 88.
d *Dio* 44.
e *Tac. ann.* 3
f *Joseph.* 4. *antiq.*
g *Deut.* 7.
h *l.* 36. *de relig. l.* 4. *de sep. viol. l.* 83. 137. *de V. O.*
i *Fab.* 2. *Sem.* 4.
k *Aſcon. divinat.*

rum abſtuliſſet Verres ſimulacra, oxymora, & inania dicit Aſconius. Alioqui juſta foret accuſatio contra victores raptores, ſi perditis Deorum ſtatuis ipſi etiam dii perderentur. Neque enim licet victoribus, perdere victis jura Dei, aut naturæ. Etiam & cum eſt ea religio victi falſa, ut ſic putet oxymora, parcere victo decet. Quod ſi in commercio etiamnum ſunt iſta: tum quæ erant devictorum, victores accipiunt juſte. [a] Nec vero exiiſſe commercium videntur, ſi juris publici eſſe exiſtimantur, & aliquando alienantur, & non dicuntur Deo ſacra, quaſi dedicentur Deo ita, ut fiant ejus, aut magis ejus, quam ante; ſed ut uſibus ad cultum Dei pertinentibus ſerviant, & his quidem ſuis conſecrantium, non alienis. Et ergo ſacra hoſtibus non ſunt, & traduci in alios ſuos uſus a conſecrantibus poſſunt. [b] Pericles ſtatuas ſacras conflari pro ſalute reipublicæ voluit, quæ finito bello reſtituerentur. Romani habuere omnia in laxiori commercio: unde & laxus eſt, & latus Tertulliani tractus ridiculorum. Athenienſes, etiam dona, quæ ab aliis Delphos mittebantur, capere Iphicratem juſſere, ut eſſet, de quo militibus ſatisfieret. Hoc tamen alienorum defendi non poteſt. [c] De ſuis idem ſtatuit Pompejus, ſenatusque: & fecit Cæſar, & Romæ, & alibi. Et diſſeruit egregie Soderinus Confalonerius Florentiæ: ea capere ſacra licere, quibus uteremur nos tuendo. Videlicet defenſio lege naturæ, & Dei, & conſenſu omnium nationum, orta cum orbe, & cum orbe duratura: cui nullæ civiles, aut canonicæ poſſent derogare. Et ſic ſentit vir ſapientiſſimus, per humanas conſtitutiones, cogitationesve eſſe illam bonorum Deo ſeparatorum, ſepoſitorum. [d] *In ſacro quid facit aurum?* Quid? etiam Hieronymus roget. Tantum abeſt, ut Deus velit, eſſe ſua, quæ ſibi faciunt homines. [e] Nunc adde, quod in formula deditionis habebant Romani & focos, & aras, & profana, & ſacra, & humana, & divina omnia: ut ſunt exempla collecta a Briſſonio. Sic juſtum jus iſtud videtur, ut capere & hæc hoſtium valeamus. [f] Et tamen non ignoro, quæ contra raptores templi Hieroſolymitani in ſcripturis ſanctis leguntur. Sed ea ſunt, quia Deus ſibi ipſe elegit & domum, & quæ in domo. Et illi raptores etiam ſic vulnerunt Deum Judæorum, Deum verum afficere contumelia. Quod bellum cum Deo eſt, de quo non tracto: ſed tantum de jure hominum: quod hic non læditur. Quid ergo in communione religionis? [g] Reſponden-

a *l. 1. de juſti. Duar. 4. com. 1. l. 17. C. de ſa. eccl. Ambr. 2. de off. 27. Tac. ann. 1.*

b *Thucyd. 2. Diod. 12. 16. Tertul. apolog.*

c *Dio. 41. 42. 43. Guicc. 10.*

d *Perſ. ſat. 2. Hier. ep. 28.*

e *Briſſo. 4. de form.*

f *Daniel. 5.*

g *Aſſu. l. 36. de relig.*

dent noſtri interpretes, inter Chriſtianos non deſinere ſacrum eſſe locum ab hoſtibus captum. Ceterum manet tamen, quod de commercio dixi. [a] Etenim, ut nunc, legenti Genuenſes annales, ob oculos mihi incurrit, etiam eſt commercium reliquiarum ſanctorum corporum defunctorum, & ſimilium aliarum rerum ſacrarum. Plurimum ille auctor meminit. Etiam de bello Veneto relata, & partita publico, privatis quaſi aliam prædam. [b] Legimus alia alibi: & ipſam Chriſti coronam a Balduino imperatore Conſtantinopolitano oppigneratam regi Franco. At id indignati tamen Græci, & negantes, quod quærimus, rerum iſtarum commercium eſſe. Sane vero non concludunt exempla pro commercio: ſi commercium non eſt: [c] quoniam religio manet, etſi eam contemnamus. Et tamen ſive eſt commercium, ſive commercium non eſt, ad jus hominum quod ſpectat ego concluſerim licita hæc eſſe victori. Atque in communione religionis ea fecerunt Romani ſemper. [d] His quippe in ſacris omnia conveniebant cum Græcis: [e] *etiam Hannibal eoſdem Deos colebat cum Romanis.* [f] Quid tum ſi non omnibus relinqui poterat diis? Si ſacra externa, id eſt rationes Deorum colendorum externæ non recipiebantur? Erat adhuc religio communis tamen. Et in illa communione nec a ſacris abſtinebant victores. Ceterum ut hoc jus eſt, quantum quidem ipſe puto, tamen malim ſequi pudorem, & honeſtatem, & a jure licito abſtinere. [g] Male audiunt, etſi ab hoſte, qui templa Romana ſpoliarunt non ita dudum. [h] Sed, & qui hoſtis non eſt, illos condemnat. Etiam & videri religiones contrariæ poterant, non modo non communes. Scilicet communio nominis non facit communionem rei. In quo nec videtur eſſe communio tamen. [i] Si illi volunt ejuſmodi nomine nuncupari, quod iſti cenſent abominationem, & contrarium nomini Dei ſui. Non videtur ulla communio. [k] Et utrinque ſic contenditur. Scilicet in verbis articulorum convenire, id non ſit in articulis convenire: quoniam nec ſint articuli in verbis, & verborum ſono, ſed in ſenſu, & intellectu, in quibus diſſenſus latiſſimus ſit. Ego iterum dixero, malle me ab iſtis temperare. [l] Quem miles Clodovæi Francus, nondum Chriſtiana ea gente, de templo Gallorum Chriſtianorum rapuerat calicem, & religioni alienæ reſtituendum negabat, legimus reſtitutum, deque conſenſu optimatium. Eadem Romæ juſſu, Alarici. [m] Sed Cicero de eo, quod Pompejus nihil in templo attigit

a *Juſti. anno Ge. 4.*

b *P. Æmil. 7.*

c *l. 30. de ad. po.*

d *Diony. 7.*
e *Ambr. ep. 2.*
f *Ulp. ſit. 22.*

g *Guicc. lib. 18.*
h *B. coll. Mompel.*

i *Heſ. ep. 79.*

k *Bell. 5. cont. 3. c. 19. Zul. ep. 4.*

l *P. Æmil. 2. Caſſio. ult. va. 20.*

m *Cic. pro Flac. Tac. 5. hiſt.*

tigit Hierosolymitano (quod ingressus jure victoriæ tamen, ut ait Tacitus) sapienter illum feciſſe, ne locum obtrectatoribus daret maledicendi: non enim religionem, & Judæorum, & hostium, impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse. [a] Egregie alio in loco: *Marcellus cum tam præclaram urbem vi, copiisque cepisset, non putavit, ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præsertim nihil periculi ostenderetur, delere & extinguere: itaque ædificiis omnibus, publicis, & privatis, sacris, & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset: in ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis: victoriæ putabat esse, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi esse possent: humanitatis, non plane spoliare urbem, præsertim quam conservare voluisset: in hac partitione ornatus non plus victoria Marcelli populo Romano appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit.*

a Cic. 4. ac. Ve. 2.

CAP. VII.

Urbes diripi, dirui.

DE aliis rebus non sacris nulla dubitatio est, quin rapi a victore possint. Et de aliis tamen si moderate idem constituitur, bene fuerit. Scilicet considerare semper decet causſam suscepti belli, & ad eam actiones belli omnes, quantum pote est, cogere. [b] Sic Theseus (quem cum dico, Euripidem intelligi magis volo) cum posset irruere in urbem Thebas, victis Thebanis prælio, repressit suos, quia non veniſſet expugnatum urbem, sed repetitum cadavera. [c] Sic habiti, culti pro diis, qui Athenis captis receperunt suum, animadverterunt in unum, atque alterum, mali & injuriæ auctorem ceteris hominibus, & rebus pepercerunt. Ceterum de jure prosequamur. [d] Captæ quidem diripiuntur urbes, deditæ non diripiuntur. Sive tamen sint vi, sive operibus ([e] quam & audimus distinctionem) expugnatæ, nihil hic refert. [f] Etiam venduntur captæ urbes. Mœnia & diruuntur captarum urbium, & ipsæ urbes integræ. [g] Abhorret lex civilis tamen illam ædificiorum demolitionem. [h] Mœnia Athenarum diremerunt Spartani. Spartæ diruta per concilium Achæorum. Hierosolymorum jussu Pompei. [i] Et hæc plura narrat P. Faber: & ad notam ignominiæ

b Eurip. Suppl.

c Cant. Lycophr.

d Liv. 37.

e Liv. 3. 10.

f Plin. 4.

g Alc. 5. conſ. 132.

h Thucyd. 1. Liv. 38. Tac. 5. hiſt.

i Fab. 2. Sem. 8.

niæ facta refert. [a] Partem murorum Giſcalæ Titus jure poſſeſſionis deſtrui voluit. [b] Atila mœnia diruit Argentinæ, quæ ſibi acceſſum occluſit, atque voluit, eam deinceps appellari Polyodopolim: quaſi multis acceſſibilem viis. Alii hoc idem fecerunt, & facere conſueverunt ex aliis cauſſis. [c] Triumphantibus (inquit Plutarchus) permittitur, ut partem muri demoliantur: quaſi non eſſet magnus murorum uſus urbibus cum viris vincendi gnaris. [d] Etiam rex Iſraelis captæ Hieroſolymæ mœnium partem diruit: eaque urbem curru invehitur. Invehitur per mœnia dediti Mediolani Fridericus. [e] Captæ Neapolis rex Alphonſus, per antiquorum (ut ait hiſtoria) imitationem. [f] Et per captæ Mirandulæ Julius pontifex Romanus: an quia ipſæ portæ (quod ſcribit Guicciardinus) dirutæ erant? an quia viro ſacerrimo aditus profanus, qui eſt per portas, non conveniret, per muros ſanctos deberetur? [g] Sic victoribus olim ſolleminium certaminum fiebat. An voluit, dignus majorum hæres, ſuper aſpidem, & baſiliſcum? Hactenus. Ignominiæ pœnam pono ego cum Fabro. [h] Etiam & cum eruditiſſimo Torrentio, qui alicubi ad Suetonium notat eadem Fabri. Ceterum ſi ignominiæ juſtus locus non ſit, puta, quia non rebellis, non perfida civitas fuit: ad alias tum eundum cauſſas erit, ut hoc fieri poſſit. Nam ſi ſine juſta cauſſa fiet, ſine juſtitia fiet. Ex cauſſa urbes integræ everſæ. [i] Neque ullum male geſti principatus eſt ſignum, ſi acrius in aliquos eorum, qui bello nos petierunt, animadvertimus: ait ad rem præſentem Iſocrates, & quod Athenienſibus objiciebatur, Meliorum, & Sicyoniorum defendit excidium. Si qui alii (addit) in iiſdem negotiis majore clementia eſſent uſi, jure vituperaremur nos: ſi vero nec unquam hoc factum eſt, & fieri nequit, ut tanta urbium multitudo ſine animadverſionis ſeveritate in officio contineatur: nonne laudandi ſumus, qui male tractatis quam pauciſſimis imperium quam diutiſſime tenuerimus? Sic probat ille factum, & juſtam tradit cauſſam faciendi, cauſſam imperii firmandi, ac retinendi, quæ eſt juſtiſſima, ut ſtatim dico. [k] Thebæ ſubverſæ de conſilio totius Græciæ: quoniam partem Perſarum ſequutæ eſſent, & hæc fuit pluſquam juſtiſſima. Cum barbaro, naturali hoſte, & communi contra communis patriæ corpus conjurarunt. Quid omnes memorem? idem nominat aliquot P. Faber. [l] Mentionem Livius facit Albæ, Pometiæ, Corbionis, Cortuoſæ, Contenebræ, Sa-

a *Joſeph. 4. bel.*
b *Bonf. 2. Ung. 2.*
c *Plut. 2. Symp. 5.*
d *Zona. Sigon. 3. de reg. Ita.*
e *Juſt. anno Ge. 1.*
f *Guicc. 9.*
g *Cam. 7. probl. 8.*
h *Tor. Suet. Gal.*
i *Iſocr. panegyr.*
k *Diod. 17.*
l *Liv. 1. 2. 3. 6. 7. 24. 31. 32.*

Satrapi, Antipatriæ, Phaleriæ, aliarum. [a] Nota Carthago, quæ & aratrum passa, sollemni Romanorum more. [b] Nota Hierusalem, & ejus templum aratum *ad ignominiam* gentis oppressæ. [c] *Sion ut ager arabitur*: propheta prædixerat. [d] Sed & exsecrationibus exceptæ urbes everſæ. [e] Notæ urbes, quas ipsi Judæi exscinderunt, quibusque salem, more eorum sollemni, superseminarunt. Numantia præterea nota, & Corinthus, & aliæ multæ. [f] P. Æmilius in Epiro duas & septuaginta, & Gracchus centum quinquaginta, an trecentas? quales, quales fuerint, evertit Celtiberorum urbes. Et jus hoc bellicum nec incognitum, quod ex diversis idem stat cautis. [g] Sed hic valde considerandum, ait Cicero, ne quid temere, ne quid crudeliter fiat, & magnanimi esse viri, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta, atque honesta retinere: nec audiendos, qui graviter irascendum inimicis putant. Sed prohibenda immo ira in puniendo sit: neque enim laudaturos Peripateticos iracundiam aliter, aut dicturos, utiliter a natura datam. *Parta victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, ut majores nostri. Tusculanos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem, & Numantiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum: sed credo, illos sequutos opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* [h] Sic de loco Carthagini mutando dictum. [i] Et Cæsar tamen Carthaginem, atque Corinthum restituit vel contra interdictum, & exsecrationem: ne loca, quæ non male merita (k ut aliique dicunt) paterentur propter habitatores male meritos. Sed & locus male meritus dicitur, qui facit male merentes habitatores. [l] Invenias enim, ut plurimum non solum hominum formas, sed & mores regionis naturam imitari, & ingenia hominum terræ ingeniis respondere: & magnum esse locorum, ad ferendum meliores, pejoresve homines, discrimen. [m] Elegantissime idem Cicero de agro Campano, quemadmodum ille locus paucis diebus effecerit missos Roma colonos superbissimos, & Campani supercilii, & regii spiritus. Habet illa pulcherrima, *non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci, & a vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur, & vivimus.* Addit de Carthaginensibus, quæ hic item recitem aptissime, *Carthaginenses fraudolenti & men-*

a *l. 21. qui. mo. us. am.*
b *c. 7. dist. 76.*
c *Mic. 3.*
d *Str. 13.*
e *Jud. 9. Jose. ant. 3. 7.*
f *Flor. 2. Str. 3. 7.*
g *Cic. 2. de off.*
h *App. Punic.*
i *Dio. 43.*
k *Hieron. ep. 17.*
l *Hipp. de aer. Gale. quod a. m. Aristo. 7. pol. Pla. 5. de legi.*
m *Cic. agr. 2.*

mendaces, non genere, sed natura loci: quod propter portus suos multis, & variis mercatorum, & advenarum sermonibus ad studium fallendi studio quæstus vocabantur. [a] Eadem apud Livium differit consul Manlius: & pluribus prolatis exemplis asserit, *Sicut in frugibus, pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terræ proprietasque cælique, sub quo aluntur, mutat*, &c. Sed hac de re quis dubitet? [b] *Rheti ex Hetruscis oriundi: quos loca ipsa efferaverunt.* [c] Et de Gallogræcis: *Ut frugum semina mutato solo degenerant; sic illa Gallorum genuina ferinas Asiatica amœnitate mollita est.* [d] Scio illa contraria apud eumdem auctorem, *Nec terra mutata mutavit genus, aut mores:* de Græcis in Asia coloniis. Et de Massilienſibus, eos *non efferarunt indomitæ circumfusæ gentes: Natura insita velut ingenio terræ vinci nequit.* Atque ait iste circumfusas: tu autem adde, & intra mœnia concluſas: [e] quod de Strabone cognoscis. Cetera ut reſistat terræ aliquandiu genus invectum: & disciplina obsistat naturæ plurimum: superat tamen tandem terra, atque natura, quæ res immobiles sunt mutabilibus illis aliis validiores. Certè dubium non est, quin possit locus valde ad homines efformandum, ut inquit Plato, & experientissimus Hippocrates, & reliqui. *Ipsa Massilia traxit aliquantum ab accolis animorum*, ut est apud Livium. [f] Et in jure Canonico, *Plerumque dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus.* Sic jussum, Carthaginem longe esse a mari. Sic Ligures transportati. [g] Sic Astures in plano deducti. [h] Et sic Ptolomæus, translatum hominem ad aliud clima mutare naturam ex parte, non ex toto; quia in principio acceperit sortem corporis sui. Sic igitur ex toto mutantur, qui & nativitatem in isto alio climate sortiuntur. Ergo sic mihi justum bellicum, etiam diruta Corinthus in ultionem legatorum, Quam approbavi causam alibi. *Sequutos opportunitatem loci maxime*, non hanc solam causam putat Cicero. Numantia diruta, ad quam annis viginti pugnatum: tantum cladium, tantum ignominiarum acceptum: quæque minutula urbs ausa Romanorum hostes protegere, & victos, & repetitos. Sic eradicanda fuit superbiæ sedes infamæ, & tollendum infamiæ monumentum. Diruta Carthago metu. Audi de utraque Paterculum, [i] *Excelsa Carthagine, ac Numantia ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis* Scipio. [k] Cur neget Florus, oppressos Numantinos juste,

[a] Liv. 38.
[b] Liv. 5.
[c] Flor. 2.
[d] Liv. 37.
[e] Str. 3.
[f] c. 9. dist. 81.
[g] Flor. 4.
[h] Servius Æn. 6.
[i] Paterc. 2.
[k] Flor. 3.

ſte, & Corinthios, etiam diſcutio in libris de armis Romanis; ubi & de Carthagine: Ad quam aptes illa quoque Ciceronis, quæ aliam notant cauſſam in propoſito quæſtionis noſtræ, [a] *Ut hoſtium urbes, nec omnium hoſtium, verum eorum quibuſcum acerbum bellum, inteſtinumque ſuſcepimus, non præda adducti, ſed odio, ſolemus exſcindere: quod in quos propter eorum crudelitatem inflammatæ mentes noſtræ fuerunt, cum horum etiam tectis, ac ſedibus reſidere aliquod bellum ſemper videtur.* Sed ut in pœnam hæc ſit vaſtatio urbium, an fiet etiam ad terrorem aliarum, aut ad famam nominis? Et non puto. Quamvis enim pœnæ omnes ad aliorum terrorem magis, quam ad criminis patrati tutelam eſſe dicuntur, niſi tamen & puniendi culpa ſubſit pro cauſſa, pœnam certe irrogari non oportet. Qua de re in aliqua diſputatione expono. [b] Et ſic Marcellus Megaram vi receptam diruit ad terrorem reliquorum, quæ defecerat ad Pœnos, [c] Corinthus diruta: *Ut hoc exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur.* [d] Ad nominis ſane famam non magis probes, quam quod factum eſt Dianæ templi incendium, aut quod reſponſum cuidam memoratur, ut, ſi viam quæreret inclareſcendi, illuſtrem aliquem interficeret virum. [e] Hæc laus quæſita olim Suevis, ut quam latiſſime a ſuis finibus agri vacarent; nam ea re ſignificaretur, magnum numerum civitatum ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. Hæc barbari facere conſueverunt feritate ingenita, cupiditate nocendi. [f] Erigere, ſervare, parcere, manſuetudinis eſt, & clementiæ, & moderationis: ut ſic Plutarchus contra Philippum, qui Olynthum ſubvertit, urbem maxime nobilem; & qualem (quod & dictum in illum regem) condere non potuiſſet. [g] Magnanime Agamemnon, *Equidem fatebor (pace dixiſſe hoc tua, Argiva tellus, licet) affigi Phrygas, vincique volui: ruere, & æquari ſolo etiam arguiſſem.* Si teneri captæ urbes non poſſunt: at poſſunt fieri hoſtiles rurſus, & poſſunt bellum renovare: hæ vel nudantur mœnibus, vel etiam ſubruuntur funditus. Proſpiciendum eſt futuro ſcilicet. [h] Atque ita Philo cenſet contra defectores a fœderibus, ut urbs eorum deleatur: ne denuo belli ſedes fiat hoſtibus: & ut exemplo finitimi terreantur: quando hominum genus, & ingenium ex alienis calamitatibus ſoleat modeſtiam diſcere. Quod ad metum eſt incutiendum, dicebam modo, & dixi in ſecundo libro de exſcidio Uſpenſium. [i] Ex eodem vero Ta-

a Cic. pro do. ſua.
b Liv. 24.
c Juſtin. 34.
d Dio. 42.
e Cæſ. 4. & 6.
f Plut. de cohib. ir. et quo. ſit mod.
g Sene. Troa. 2.
h Phi. de orca. pri.
i Tac. ann. 13.

Tacito ad id, ſi retineri urbs nequit, *Oppidani, portis ſponte pateſactis, ſe, ſuaque Romanis permiſere, quod ſalutem ipſis tulit: oppido ignis immiſſus, deletumque, & ſolo æquatum eſt: quia nec teneri ſine valido præſidio ob magnitudinem mœnium: nec id nobis virium erat, quod firmando præſidio, & capeſſendo bello divideretur: vel ſi integrum, & inſtauratum relinqueretur, nulla in eo utilitas, aut gloria, quod captum eſſet.* [a] Urbes, caſtella, quæ cuſtodiri propter amplitudinem nequeunt, ea fieri anguſtiora jubet lex civilis. Non etiam nos incendimus noſtra, ne hoſtibus valeant emolumento eſſe. [b] Hiſtoriæ ſunt plurimæ. Uno die amplius viginti urbes Biturigum ab ipſis Gallis, & quidem omnium conſenſu incenſas memorat Cæſar. Etiam hoc diſceptamus in libris de armis Romanis pro Hannibale, & contra Hannibalem: qui a Livio accuſatur crudelitatis, quod quas tueri urbes nequibat, eas vaſtatas hoſti relinqueret. [c] Quam obtendit Sertorius cauſſam, cur captam ante Pompei oculos urbem incenderet, ut ejus viri admiratoribus opprobrium ingereret: eam tu probes non victoria parta, firmataque, ſed bello durante: cum vere res geritur contra ducem adverſum. Quæ tamen dixi in ſuperiore libro de locis ignobilioribus, quæ auſa potentibus obſiſtere exercitibus, quemadmodum tractentur duriter, & ea dicta valent hic forſitan. [d] *Cumulat contumacia pœnam, ſicut minuit obſequium*: ut inquiunt auctores juris: & Joſephus monet late. [e] Ita Albæ dux Ancharanum incendit. Et quæ docui de vaſtitate, & incendiis, etiam afferri huc valent. Summa ſævitiæ cauſſa eſt rebellio: & ea maxime, quæ eſt a ditione. Nam cum iſtis non agitur quaſi cum hoſtibus. [f] Audi illa Baldi, *Facit victor voluntatem ſuam de deditis, non tamen adimere vitam eis debet, ſi erant ſimpliciter hoſtes, & non rebelles.* Videlicet deditio non levat rebellionem. [g] Et itaque Satricum dirutum, urbs rebellium, violantium fœdera. Etſi Livius illud non ſatis probet, ut & ſervi fieri iſti poſſent. Rebelles a ditione etiam durius tractabuntur pro legibus civitatis dominæ, aut principis. [h] Titus imperator per dies ſingulos crucifixit Judæos amplius quingentos, qui rebelles a ditione erant. Noto alibi de Capua. [i] De Veliternis civibus Romanis, & de Privernatibus rebellibus Livius, quod graviter in eos ſævitum eſt, & muri utrobique diruti ſunt. [k] Et de Tuſculo Valerius, *Crebris rebellationibus Tuſculani meriti, ut funditus urbem*

a *l. 2. C. de off. p. p. A.*

b *Cæſ. 7. Gall.*

c *Plut. Serto.*

d *l. 4. de pœn. l. 2. 31. 53. de re jud. l. 7. q. e. c. t. p. e. Joſe. 4. be*

e *Nat. Co. 10.*

f *Bal. rub. C. de La. li.*

g *Liv. 7.*

h *Joſe. 5. bel.*

i *Liv. 8.*

k *Val. 7.*

amitterent. [a] Et ita Josephus contra suos Judæos, *Qui semel subjectus est, & deinceps deficit, contumax magis servus, quam amator ostenditur libertatis.* [b] Judæi usque a Pompejo in ditione Romanorum exstitere. Et itaque rebelles per malam rebellionem post fuere. [c] Hi sunt, qui subditi contradicunt vel dicto, vel facto superioris: aut certe, qui principi, officialive ejus resistunt in pertinentibus ad imperii statum: & certissime, qui ferunt inimicis opem litteris, nuntiis, signis. Ut hæc ita constitutio Imperialis, & interpretes juris. Et de his rebellibus esse tractatus potest non brevis. Sed ego non hoc jus civitatis tracto. Cum interrogarer, si rebelles fuerint civitates, quæ Henrico IV. Galliarum hostes exstiterunt, non eum putantes jure regem, ei fidelitatem nunquam antea professæ: respondi, illas veluti peccato originis attineri: nati enim & sunt subditi ipso jure. Illud hic videndum est, an seditio aliqua, & tumultus, vel ipsa sit rebellio. [d] Ut sic *plebs Genuensis cognoscens factam rebellionem, quod seditio erat a principio*, &c. apud Guicciardinum. Et quod tu examines ex his, quæ in primo libro tradidi de malefactis privatorum. Idem videndum est, an passive ([e] sic loquuntur nostri) hostes fiant: excusantur enim qui quid faciunt inviti contra dominum, & rebellant, & socii sunt hostium, & hostibus subiiciuntur. [f] Etiam qui prodit patriam non odio principis principaliter, nec ut ei civitas auferatur, sed ad alium finem, non incidit in crimen majestatis. Sic aliæ causæ excusant: de quibus noto in Commentario ad legem Juliam majestatis. [g] Dignum vero, quod notetur pro subditis, illud Alciati est, id dictari æquitate, ut cum subditis agatur mitius, & non omnia resecentur ad vivum. [h] Etiam illud Fabii, quod si redire ad dominos, & priores fœderatos non liceret, his jam omnia insensa forent. [i] Pulchre autem de urbe Athenarum, quam Mithridates contra Romanos occupatam tenebat, ita Vellejus, *Oppressi armis Mithridatis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis: & amicos extra mœnia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Veri ignarus, si quis imputat Athenienſibus hoc rebellandi tempus.*

a *Joſe. 2. bel.*

b *Joſe. 1. bel. Tert. de pud. Amm. 14. Zon. Cedr.*

c *Extr. qui ſi. reb. Alex. 1. conſ. 103. Dec. 604. Alc. 5. 132.*

d *Guicc. 7.*

e *Bal. 3. conſ. 96. Cepb. 76. Crav. 6. Dec. 35. ubi Mol.*

f *Cepb. d. 66. 661. P. Æro. 2. decr. 9.*

g *Alc. 1. conſ. 4.*

h *Liv. 24.*

i *Paterc. 2.*

CAP.

CAP. VIII.

De ducibus hoſtium captis.

VErum dicamus aliquid nunc de jure, quod cum perſonis hoſtium captorum eſt victori: & præcipue de hoſtium ducibus. [a] Sane autem eſt regula, detrahere oportere ſeveritati, ut non fiat multorum ſtrages. [b] Hoc humanum, ſanctum, Chriſtianum eſt. [c] Non cum multitudine peccantium, ſed in peccata paucorum exercenda ſeveritas: ut inquit Auguſtinus. [d] *Nihil diſſolutum, nihil crudele: hujus rei moderatio facilis, ut in duces vehemens ſis, in milites liberalis:* Cicero. [e] *Necem paucorum, aut unius hominis calamitati publicæ majores noſtri ſemper anteponendam eſſe putaverunt:* Portius Latro. Etiam vix eſt, ut multitudo peccet graviter, quæ aut decepta peccat, aut plurimum impetu, & temeritate. [f] Eſt autem dimidiatum facinus, cui non acceſſit conſilium longum: & minus ergo dimidiato, cui nec acceſſit ullum. Populi mens in modum ſubitæ tempeſtatis concitata leviter eſt tractanda: ut ait Valerius. [g] Cædibus ſane ſævire in leviter noxios immanis eſt ferociæ. [h] Factionum itaque capita tantum puniri: quo parcatur multitudini, jubet lex, & notat Baldus: [i] & alius legislator primores gravius, multitudinem mitius punit. [k] Conſuetudo autem Romanorum hæc fuiſſe narratur, duces hoſtium necare. Quam & non tenuiſſe Pompejus, renovaſſe autem Conſtantinus, magnus uterque, dicuntur. [l] At Cyruſque igni deſtinat Crœſum. Meſſenii in tetro carcere necant Philopœmonem ducem Achæorum. Eumenes alibi addictus miſerrimo mortis generi, ut inedia conficeretur. Samius rex ſuſpenſus a Perſa. Ariarathes Cappadocum in crucem actus a Perdicca. Hercules in capto rege Euboicorum id dicitur feciſſe, quod in Metio Tullus. [m] Agag diſcerptus in fruſta a Samuele. Syrus rex, bello ab Aſſyrio captus, necatus. Notum & de regibus, quos captos ſuſpendit Joſue. Sed iſti & ipſorum civitates juſſu Dei perdebantur. [n] Quid nominem plures? Siphacem, Gentium, Perſeum, Jugurtham, Ariſtonicum, Artabaſdum, Mithridatem non illum nobilem, Ptolomeum quemdam, & Adiotorigem, & Radagaiſum, & alios principes a Romanis captos, necatos, confectos. Et habet aliam rationem ea conſuetudo: Sed

a *c.1.d.44.c.14.1.q.7. c.5. 9. q. 1. c. 24. 23. q.4. Felyc. dilectus, de ſimo.*
b *Decia. 3. conſ. 115.*
c *Aug.ep.64.*
d *Cic. ep. 7. Bru.*
e *Latr. decl. in Cati.*
f *Phi. de ſpe. leg.*
g *Phi. de crea. prin.*
h *Nov. de proc. Ca. Bal. 3. conſ. 367. & C. de monop.*
i *c.4. de cl. exc.*
k *Cic. Ver. ult. Joſ. bell. ult. Zon. to. 2. App. Mitr. paneg. Coſt.*
l *Herodo. 1. Liv. 39. Plut. Ev. Str. 14. Plut. coll. G. & Ro. Lucia. Macrob.*
m *1. Sa. 15. 2 reg. 16. Joſ. 10.*
n *Eutr. 4. Str. 12. Aug. 5. de civ.*

quæ alteram partem futuri reſpicit: quoniam iſti principes inſtaurare litem finitam valent ſuperſtites. [a] Et ita Prudentius de Samuele, qui voluit Agagum necari, *Ne præda ſuperſtes Victorem placidum rediviva in prælia poſcat, Parcere jam capto, crimen putat.* [b] Verum ea potiſſimum nitebatur jus Romanorum, quod ſic ſuorum manibus cæſorum parentari credebant: ut ita expreſſum etiam a Virgilio fuit: qui pium heroem ita facit loquentem, *Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat.* Antea etiam *vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris inferias.* Sed & Cyrus, & alii religionem quamdam in re iſta conſtituebant. [c] Et Scythæ etiam centeſimum captivorum itidem immolabant. Quæ cum ita ſint, non vituperes nunc forte Caroli regis Neapolitani ſententiam, qua Conradinus necatus eſt. Neque apte inclamabat iſte, parem in parem non habere imperium. [d] Nam & pontifex Romanus, feudi illius dominus, reſcripſit Carolo, non ſe impedire, quominus lege in Conradinum ageretur: & non par eſt victori victus, & captus. [e] Noſtri ſcribunt, quod ſi ſint duo domini unius caſtri, & alter delinquit, quod is poſſit delinquens puniri ab altero: nec poſſit dicere, *Par in parem*: quia delinquendo exſuat ſe paritate. [f] Hic mihi venit in memoriam Campanus ille Taurea, qui captus, & productus ad necem vociferabatur contra victorem Fulvium, virum ſe fortiſſimum a nequaquam pari ad virtutem occidi. Sub cujus dicta, juſſu victoris præco: Lictor viro forti adde virgas: & in eum primum lege age. Obliviſcenda prior, quæ fuit fortuna: reminiſcenda, quæ eſt. Iſtis ſuperbis in abjectiſſimaque fortuna cruces tolli altiores conſueverunt. Præterea nec videri dubium potuit, quin victurus fuiſſet intutiſſimus Carolus, ſi Conradinus vixiſſet. [g] Sunt enim Neapolitani ſemper Italorum omnium maxime cupidi rerum novarum, & mutationum appetentiſſimi: ut prudentes hiſtorici conteſtantur. [h] Ergo conſultus a Carolo idem pontifex Romanus, ut breviſſime, ita ſapide ſane reſpondit, *Mors Conradini, vita Caroli; vita Conradini, mors Caroli.* [i] Atque ita ſententiam Auguſtini, quæ victorem monet, ut victi capti miſereatur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur, juriſconſulti ejus ætatis non male interpretati videntur ita, ac ſi Auguſtinus dixiſſet, niſi pacis perturbatio timeretur. Hæc Archidiaconi interpretatio: per quam Conradino caput truncatum notant. [k] Articu-

a *Prud. pſychom.*

b *Tert. de ſpect.*

c *Herodo. 4.*

d *P. Æmil. 7.*

e *Caſtr. & no. ad. Caſtr. l. 14. de juriſd.*

f *Liv. 26.*

g *Guicc. 1. 2.*

h *Collennec. 4.*

i *c. 3. 23. q. 1.*

k *Scal. de ca. L. 1. 80. Manut. divin.*

ticulus *præſertim*, qui idem & *maximum*, proprie quidem ſumtus ponit idem & in contrario caſu: ſed & remittit amplitudinem ſignificati, ut etiam *potiſſimum*. [a] Sed & junctus verbis rationis aut abundat in oratione, aut eſt pro articulo *tantum*: quod alii etiamnum docent. *Tam præclaram urbem, ex qua præſertim nihil periculi oſtenderetur, non putavit delendam*: ait M. Tullius. An ſi periculum ſalutis urbis Romæ oſtenſum fuiſſet, nec dum Syracuſas illas pulchras delendas Marcellus, aut Cicero cenſuiſſet? Et ſic igitur ratio exigit (cui verba aptantur) iſtam interpretationem: nam ſecuritati pacis & ſuæ habet victor conſulere, & in eam totus incumbere. [b] Contra Conradinum vehemens accuſatio exſtat in Decretalibus. At eam hic non moror. Immo in illo facto id improbo, quod bello captus quaſi criminis reus, vel, ut [c] Sigonius inquit, quaſi latro condemnatus, & necatus eſt. [d] Malefici eſt judicum ſententiis condemnatum mori: quod ait Demoſthenes. Magis reprehenderis crudelitatem: [e] vt quod Perſa rex Valerianum imperatorem etiam excoriarit. [f] & quod Turca regem Ægypti ſuſpenderit. Niſi Turcam defendes tu, quod alium Sultanum interfecerat in prælio ante: & regni Sultanici caput, immo omnia redegerat in poteſtatem ſuam: alius autem nunc a parvis profugorum reliquiis Sultanus electus fuerat: adeoque vix erat dignus aut eo nomine, aut jure juſti hoſtis. Numquid enim & ab uno, atque altero, aut ab una, atque altera civitatula juſti jus & nomen hoſtis ſuſtinebitur? & ita imperatorique maximo eundum per quoſque ſingulos quaſi per pares? [g] Adde quod Turcæ legati a Sultano hoc novo fuerant violati. Sed ſi non adſint cauſſæ iſtiuſmodi ſingulares, tanta defendi feritas nequit. [h] Non ego Titum defenderim hic adverſus Cardani accuſationem, quod uno ſpectaculo aliquot millia Judæorum feris diſlanianda expoſuit: erant illi rebelles, & contumaces. Sed in bello licuit eos occidere inter iram, vindictam, & arma, non in pace: licuit occidere, ſed non crudeliter: licuit per homines, non feris exponere: [i] & alii tamen hoc, quod Titus, fecere cum captis hoſtibus, his ipſis Judæis. Captivorum hoſtium magnam multitudinem feris objecit Conſtantinus: & factum in panegyrico recitatur. Sed defendi crudelitas omnino nequit: etſi jure civitatis eſſet damnatio iſthæc quoque ad beſtias. Nam jus illud inſigni uni alicui facinoroſo

a *Panor. c. 6. de eo, qui co. co. v.*
a *Panor. c. 1. de eo, qui du. in ma. Alex. 2. conſ. 163. 77.*
b *c. 17. de ſent. 6.*
c *Sigo. ult. de re. It. a.*
d *Demo. Phil. 1.*
e *Agath. 4.*
f *Guicc. 13.*
g *Jov. 18.*
h *Card. enco. Ner.*
i *Conſt. pan. 8.*

a *Lipſ. polit.* roſo poſitum eſt, non bellico huic viro. a Quis Hiſpanos defendet, qui magnos quoſdam novi orbis reges miſere ſuſtulerunt, alterum quoque lento igne per ſummum cruciatum: addunt & b *Nat. Co. 16.* per perfidiam: b quo de crimine nec ſemel illic accuſati. at ego hic de crudelitate trado. Simplices probari mortes captorum ducum poſſunt per ſupradictas rationes: etiam immolationis, vivis præſertim factæ: ut itaque Evander ſibique Turnum ab dextera c *Cæſ. 8. Gall.* petit Æneæ. c Sic in uno hoſtium capite peremto ſolent conſolationem victores capere de damnis acceptis ex parte ſua. Quo d *Serv. Æn. 11.* referes morem, d ut interemtos duces hoſtium omnis vulneraret exercitus: ut ita de Hectore, & de Mezentio annotatum eſt: ubi Virgilius dixit Mezentii cædem, & bis thoraca petitum: ut hoc ita factum ſit a duodecim Hetruriæ populis. Et ſic itaque videri poteſt de mortibus ducum. Quod eſt tamen valde adverſum moribus præſentis militiæ. Nunc enim plebs eſt, quæ cæditur; duces, divites conſervantur, qui redimant ſe. O injuſtam belli gerendi formam, & mercaturam crudelem? Thomas Morus probat procuratam principis hoſtium necem: ut ita parcatur multitudini innoxiæ: quæ non ſua ſponte, ſed furiis agitata principum rapiatur in bellum. Sed & conſulunt egregii noſtri duces ſibi more hoc novo; ut, ſi ipſi veniant in manus hoſtium, jam timere vitæ ſuæ non habeant: luſu inducto ſanguinis plebei mi- e *Conſt. panegy.* litis. e Conſtantino dictum, *Renovaſti veterem Romani imperii fiduciam: quæ de captis hoſtium ducibus vindictam morte ſumebat.* f *P. Diacon. 11. Euſeb. 2. de vi. Conſt.* f Conſtantinus Francorum, & Alamannorum devictorum captos duces, regeſque etiam beſtiis objecit in ſpectaculum muneris: recepto (ut ait Euſebius) belli jure. Attamen hoc de recepto jure falſum eſt. An enim objicientur beſtiis juſti hoſtes? An alii extra privatum aliquem audaciæ ſingularis: cui pœna ejuſmodi ſcripta lege civili eſt? Receſſit porro ea rurſus *fiducia*. Neque ego tamen aut ducum captorum (ſi meam vis audire ſententiam) probo necem: at hoc tantum cupio, multo maxime parci multitudini, Non Syphax, Gentius, Perſeus affecti ſupplicio, etſi mori- g *Plut. Æmil.* tui in cuſtodia, g vel etiam illic extincti manu privata. h *Auct. ad Her. 4.* h Audi auctorem ad Herennium, qui non eſt Cicero, ſi Virgiliana habet, *Bene majores noſtri hoc comparaverunt ut neminem regem, quem armis cepiſſent, vita privarent, quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat, in eorum ſupplicio conſumere,*

quos

quos eadem fortuna paullo ante in ampliſſimo ſtatu collocaverat: & deſino meminiſſe, quod exercitus contra nos duxit: quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare: qui victi ſunt, eos homines judicare: ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. Et quod ille, ſi viciſſet, non feciſſet idem: non tam ſapiens fuiſſet ſcilicet: atque ideo parco, quod talem ſtultitiam contemnere, non imitari, velim. Quod ſi Ariſtonicus, & alii interfecti immo fuerunt Romæ: cauſſa quoque exſtitit ſemper aliqua ſingularis, cur interfici juſte poſſent, aut quia falſo illi arripuerint titulum regium, & juſti hoſtis: aut victi olim, & ſub ditionem facti, nunc rebelles erant: aut cariſſimos Romanorum interfecerant ipſi antea crudeliter. [a] Interfecit ſic Gedeon captos bello reges: qui cariſſimos Gedeonis interfecerant prius. [b] Alteri regi pollices manuum, & pedum amputant Iſraelitæ, ipſo fatente rege, juſte: quia ipſe ſic alios reges tractarit. Jugurtha per ſummum ſcelus Maſiniſſæ nepotes etiam per cruciatus necat: a quibus vel oppugnandis prohibitus erat minis ſenatus gravibus: ſenatum, populumque affecit turpi convicio, quos venales clamavit: meminiſtin? *Urbem venalem*. [c] C. Pontium, imperatorem Samnitium, ductum in triumphum, & ſecuri percuſſum narrat Livius. Sed hoc factum hanc habet juſtam cauſſam, quod necdum vinci illa pectora potuerint per annos ſeptuaginta, per tot clades: poſt concitos in ſuam ſocietatem, fractoſque Hetruſcos, Umbros, Gallos: poſt tentatos Picenos meos, fideliſſimos Romanorum ſocios, quo in eamdem traherent ſecum rebellionem. Rebellarunt Samnites pluries: & inducias violarunt: quas ſupplicibus precibus, quas humi ſtrati ad ſenatum, plebemque Romanam, impetraverant. Quid dicam hominum crudelitatem, & in bello perfidiam? Fœde in corpora captorum ſæviunt: acceptos in deditionem verberibus fœdum in modum laceratos occidunt: etiam pactos incolumitatem concremant: & is Pontius ſub jugum antea miſſus, quid habuit ſecundo captus aliud exſpectare? Quicquid vero de Romanis ſit: quos non per omnia ſequimur; nos hic neque de commentitiis auctoris ad Herennium exemplis abſolvimus, ſed de rationibus: & dicimus, non eſſe juſtum, ut duces juſtorum hoſtium capti interficiantur: niſi cauſſæ ſpeciales cædem probent. Rationes ejus auctoris, & ſcriptæ antehac aliæ vincunt pro ſalute, & incolumitate non ſolum deditorum

a *Jud.* 8.

b *Jud.* 1.

c *Liv.* 8. 9. 10. 11.

rum, & captorum militum, ſed etiam ducum, ac principum: Ab hac parte ſtant & exempla laudatiſſima. [a] Nam ſcimus, Alfonſum, celebrem illum regem Neapolis, captum, & dimiſſum a duce Mediolanenſi. Scimus Caroli filium ſupradicti captiuum regis Siciliæ, Franciſcum I. Galliarum captiuum Hiſpanorum: & alium regem Galliarum captiuum Anglorum: & item alium Galliarum captiuum Turcarum: & imperatorem Conſtantinopolitanum bello a Sultano captum: & Lyſimachum olim captum a Thracibus, & reges Scotiæ nonnullos ab Anglis captos: & Polonorum nuper captiuum Archiducem Auſtriæ Maximilianum. Scimus alios, qui capti, & dimiſſi etiam ſunt, & quidam etiam benigne, ac ſine pretio. [b] Non ſolus Porus, qui captus ab Alexandro, tractatus eſt regaliter: & non Pyrrhi tantum, veterumque, quos ita laudat Demoſthenes, ea bona fuit in pretio nec ullo recipiendo ſimplicitas. Sed & Sultanus cum duce, quem Monomachus imperator multis miſſis muneribus redimere voluit, ſic egit liberaliter: nam accepit quidem munera, ſed donat eadem ſuo captivo: quem & dimittit: & magnificus videri (inquit hiſtoria) rex voluit, non qui bellum cauponaretur. Et hac de re ſcripſi in libro ſuperiore. Nunc egi de ducibus hoſtium captis, non necandis. Probare nec perpetuos carceres poſſumus, ſi victor poteſt firmitati partæ victoriæ conſulere aliter. Hic enim finis eſt victoriæ, ea poſſe frui: & intelligentur carceres perpetui, ſi dimittendus quis non ſit, niſi per intolerabile pretium, aut aliter iniquas conditiones.

a *Guicc. 17. Zon. to. 3. Cedr.*

b *Arria. 5.*

CAP. XI.

De ſervis.

SI ſpes non ſit libertatis, ſpecies eſt ſervitutis. In maximis autem malis, quæ deditis, aut captis militibus contingunt, ſervitus eſt: [c] qua quis dominio alieno ſubiicitur: & in jus pecudum redigitur: & de natura deiicitur: & de perſona fit res: & corpora itaque dici a Græcis ſolent, qui ſunt ſervi: ſervitus fere eſt mortalitas. Sed de ſervitute mihi triplex eſt quæſtio. Prima, quando ſit ſervitus. Secunda ſi jus juſtum ea ſit. Tertia, quod jus ſit inter ſervos, & dominos: [d] & in prima receptum

c *l. 2. ad le. Aq. l. 209. de reg. ju. Bal. 2. co. 358. Mag. 2. mi. 12.*

d *Alc. 4. conſ. 5. l. 2. de ad. po. l. 6. C. de*

ptum ſic eſt: ut in bellis Chriſtianorum ſervitus non ſit. Hæc enim bella pluſquam civilia ſint: quia omnes in Chriſto fratres: in Chriſto capite membra unius corporis ſumus, & eccleſia Chriſtianorum una eſt, & vulgo creditur civitas. De quibus & illud ſequitur, ut teneri captivus hoſtis perpetuo nequeat: non poſſit vendi, & quæ explicata ſunt cætera. Cum alioqui ſervus maneat etiam finito bello in perpetuum, ſi qui captus eſt ab hoſte alio, & de eo nihil in pactis pacis eſt comprehenſum: ut ratio naturalis, ſervans quæſita dominia, & quæſitas res, cum definitione eſt juris Romani: [a] *In bello poſtliminium eſt: in pace autem his, qui bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehenſum*, ait lex, [b] cui additur, *non eſt poſtliminium*. [c] ut ſic non inſolenter elliptica expletur oratio. [d] Aut verbum *nihil* mutatur in *id*. Certum eſt enim, non eſſe in pace, non tempore inducitum poſtliminium: & ſic item lex: *Si in bello captus pace facta demum refugit, deinde renovato bello capitur, poſtliminio redit ad eum, a quo prius bello captus fuerat: ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur*. In bello licet fugere, & redire ad ſuos, ſive eodem bello, quo quis captus eſt, ſive alio. [e] Quicquid Pomponius alibi dixiſſe de eodem videtur. Neutra enim obtinet ratio contra redeuntem alio bello: propter quas negatum jus redeundi in pace eſt. Namque Romana hæc eſt: quia ſpem revertendi civibus in virtute bellica magis, quam in pace eſſe voluerunt. [f] Sic Africanus *nec de filio redimendo unquam tractavit, nec ſenatum de eo agere permiſit: ſed, ut dignum majeſtate ejus erat, ſe recepturum filium, dixerat*. Communis autem hæc: quoniam quæ bello quæſita ſunt, ea abſque juſto alio titulo non poſſint eripi: nec titulus in pace eſt. Quod ſi in pace quis ad eos pervenit, cum quibus mox bellum exarſit ſubito, ſervus quidem efficitur. Sed huic & in pace poſtliminium eſt. Videlicet ut in pace ivit, ita & in pace redivit. Sic & in pace eſt poſtliminium ei, qui captus ab his eſt, cum quibus neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſſa factum habemus. De quo explanavi in primo libro. Summa autem ratio eſt: ut his ſit poſtliminium, qui ſic capti ſunt: cur enim fugere non poſſent eo tempore, in quo capi poſſunt? At hic quæretur, ſi cum illiuſmodi gente contrahitur amicitia, an poſtea liceat fugere? Et id etiam videtur licitum, ſi per injuriam,

pa. Con. reg. pecc. p. 2. §. 11. Duar. c. 3. qui te. ſa. po. Don. 1. com. 12.

a *l. 12. 28. de capt.*

b *Cuja. obſ. 7. & 24. c. 31.*

c *l. 3. §. non tantum. de do. in. vi. & ux.*

d *Fab. 1. ſem. 7.*

e *l. 5. de capt.*

f *Juſtin. 31.*

riam, ſi per barbaricam feritatem quis eo modo captus cenſetur. Quemadmodum vero captis bello non eſt jus poſtliminii in pace, niſi cautum in pactis pacis ſit, ut eſſet: ita captis in pace jus eſt poſtliminii in pace, niſi cautum fuerit, ne eſſet. Atque eadem hæc diſtinctio ſervanda eſt in captivitate ea, quæ inter Chriſtianos eſt: ut ſcilicet qui captus bello eſt, is pace facta fugere non poſſit. [a] Hæc enim captivitas ex illa ſervitute eſt cenſenda, ſi ratio non adverſetur. Non eſt jus veræ ſervitutis inter Chriſtianos: quicquid audio contrarium alicubi dici: & itaque teſtamenta etiam nulla captorum inter nos. Sane enim receptum eſt conſuetudine certa, ut non fiant ſervi. [b] Nolebat Socrates, eſſe jus ſervitutis inter Græcos: quaſi inter cives communis patriæ, & eorumdem ſacrorum ſocios. Hoc, inquam, Socrates: alioqui non hoc apud eos erat receptum: & ergo idem, *Equidem*, *inquit*, *aſſentior*, *ita oportere*, *cives noſtros adverſus inimicos ſuos ſe gerere*: *contra barbaros autem ita animatos eſſe debere*, *ut hoc tempore Græci adverſus Græcos immanibus odiis decertant*. Et hinc ſæva, quæ recenſuimus Athenienſium, Siculorum, Samiorum, Thebanorum, alia: & hinc hæc Ilotæ Lacedæmoniorum. [c] Non inter Judæos fuit jus ſervitutis, niſi cujuſdam temporariæ. In bellis civilibus Romanorum nec erat ſervitus. [d] Illic videlicet bellum ſine hoſte: ut inquit Lucanus: immo neque illic bella, ſed diſſenſiones: *quod ſeorſum eunt alii cives ad alios ſeditio dicitur civium diſſenſio*. [e] Neque illic hoſtes erant, ſed partes, factiones. ut durum nomen prius in civili contentione eſt viſum. Et de prima hactenus quæſtione dictum eſto. In ſecunda dicere non dubito, jus juſtum ſervitutis eſſe. Eſt enim conſtitutio juris gentium. Sed obiicitur, quod naturalis ratio, quæ auctor eſt juris gentium, inducere ſervitutem non potuit: ſi a natura omnes liberi ſumus: & contra naturam ſervitus eſſe dicitur, & ex hoſtium feritate inducta. Solutiones vero afferuntur plures. [f] Mihi Thomas placet Aquinas. ut ſervitus ſit etiam a natura, non quidem ſecundum primam intentionem, qua facti liberi omnes ſumus: at ex ſecunda, dum voluit natura puniri delinquentes. [g] Quæ & noſtri aliqui probant, doctiores illius juris. Atque ſic addunt, libertatem eſſe ſecundum naturam, ſed bonis. [h] Huc autem & diſputatio apud Ariſtotelem conſpirat de ſervitute a natura. Nam ut philoſophus de his diſceptet, quibus ingenia

a *Aug. l. 4. de bis, qui no. inf.*

b *Pla. 5. de rep.*

c *Deut. 15. 20.*

d *Cic. 6. de rep. Non. de co. de.*

e *Pater. 2. ubi Lipſ. Cic. phi. 13. Cæſ. 6. Gall. l. 21. de capt.*

f *Aqui. ſup. 3. q. 25. a. 1.*

g *Cov. d. §. 11.*

h *Ariſt. 1. polit.*

genia ſunt ſervilia: tamen rationes faciunt contra hos quoque, qui propter malitias, & propter peccata ſervi fiunt: [a] & hic ſi dicis cum Philone, innumeros bonos viros libertatem amiſiſſe. [b] Reſpondeo, doctiſſimum Piccolomineum reſpondiſſe Philoni contendenti ſervitutem ſummopere pugnare cum natura: item reſponſum a me ſupra in Capite III. hujus libri, & in VI. libri primi. [c] Sane enim etiam ſcelerati exercitus ſæpe vicerunt. Etiam afferunt de Aquinate iidem illi interpretes, quod ſolvat alteram objectionem ab immutabilitate juris naturæ & gentium. Etſi enim hæc jura ſint immutabilia: quoniam ad veritatem referuntur, quæ eſt immutabilis: ut aliæ ſcilicet leges referuntur ad opinionem: & itaque ſi juris naturæ eſt libertas, tolli nec populi conſtitutione potuerit; & ſervitus ſi a jure gentium eſt, eadem nec valuit per jus aut manumiſſionis, aut poſtliminii exſtinguì: & fit utrumque tamen: adeoque ad civile prorſus jus aliquot jura iſthæc referenda videantur: quod ſæpe mutari ſolet. Reſpondent illi noſtri, quòd jus naturæ, & gentium aut quid ſtatuit: atque contra illud non eſt lex: aut nihil ſtatuit: atque hic eſt lex. Jus naturæ non ſtatuit, ne homines ſervi fierent: etſi homines fecit liberos: itaque potuit jus gentium ſervitutis eſſe. Et neque jus gentium conſtituit, ne ad libertatem ſervi reducerentur: Sed immo per idem jus ſecutum eſt beneficium manumiſſionis. [d] Quod alii tradunt jus gentium, & naturæ mutari in parte poſſe, falſum eſt, & refutatum a ſupradictis. Et nemo interpretum eſt tamen, qui de primo, & ſecundo jure naturæ, gentiumve non tradat: quod de prima & ſecunda intentione extulit Thomas. Adde hic, quod jus gentium de ſervis faciendis ſic eſt, ſi capientes hoc velint, captos ſervos eſſe. Sic nolunt Chriſtiani, alii inter ſe jus ſervitutis. [e] Et quod ait lex, capientium fieri ſtatim, quæ ex hoſtibus capiuntur, non ſic intelligitur, ut fiant etiam nolentium. [f] Immo enim vituperatus Murena fuit: qui Tyrannionem, nobilem illum grammaticum, captum bello, ſibique donatum a Lucullo, manumiſit. Scilicet abuſus tanto viro fuerit, ſervo primum, libero deinde facto, cum ablata eſſet libertas ſimulato munere libertatis: & potuerit Tyrannio ſervus non eſſe, niſi Murenæ acceſſiſſet voluntas: quæ dicitur acceſſiſſe per manumiſſionem: nec enim potuit manumittere, quin ſervum prius voluerit: ſiquidem liberi non manumit-

a *Phi. quod li. 5. q. v. ſtud.*

b *Picc. ult. ci. pb. 6.*

c *Iſocr. panath.*

d *Alc. 5. conſ. 30. Cepb. 691.*

e *l. 5. de ad. re. do.*

f *Plut. Luc.*

tuntur. [a] Hinc ex diverſo laudatus Cyrus: qui paſſus non eſt, a captivis ſibi pretium ſolvi, ut liberi abire viderentur. [b] Et egregie Veſpaſianus Joſepho captivo catenas non ſolvi, ſed frangi voluit: ne ſervus unquam fuiſſe cenſeretur: at inique, nec ex voluntate principis vinctus. [c] Diſputatio autem contra jus ſervitutis habita a Joanne Bodino, ſane quam eſt inepta. Non probat ſervitutem nec inter diverſæ religionis homines. Cum fortaſſis melius eſſet, eam recipi & inter religionis ejuſdem: quando nec tam multi interficerentur, ſi jus ſtaret ſervitutis apud omnes. [d] Sic enim in bellis civilibus ([e] quæ ſemper inſolentia, & miſera, & omnium peſſima) cadere plures creduntur, quia capti non fiunt ſervi capientium. [f] Quæ & Ariſtotelis fuit ratio una, ſervitutem probantis. [g] Atque ſic quoque ſcripſit Alexander, jus naturale tolli ex cauſa: & inductam eſſe ſervitutem propterea, quod per eam prohibetur captorum cædes. Quamquam vero ditiores ſerventur etiamnum ad pretium redemtionis: ipſa certe plebs nunc perit magis, quam ubi fieri ſervi poſſunt omnes. [h] Apoſtolus, & Chriſtianos eſſe, Chriſtianisque, patitur ſervos. [i] Et noſtri interpretes ſic tradunt manere Judæi ſervum baptizatum, & magis Chriſtiani. Tentat Bodinus docere ſervitutis jus nec eſſe gentium. [k] At contra faciunt auctores juris, Plato, Xenophon, Ariſtoteles: quis non? Et quod negat Bodinus, jus concludi gentium a conſenſu gentium: quia & in idololatriam conſenſum fuerit: neque tamen idololatria jus ſit: reſpondeo, rationem eſſe longe vaniſſimam. Non enim in divinis quidquam eſt homo: nec in jure conſtituendo, quod eſt inter Deum, & hominem, & quod religio eſt, quidquam valet. At non ita in humanis, & in jure humano conſtituendo. [l] Rectius diſputaret alius, æquum eſſe, jus, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt: ut ſic Seneca. Attamen de aſſumtione reſpondemus, non ſic factos omnes a natura liberos, quin & fieri ſervi nequirent plurimi. [m] Et immo interim eſſe argumentum veritatis, aliquid omnibus videri: quod idem Seneca. [n] Et Ariſtoteles, haud fortuna, caſuque fieri, quod fit ſemper; & rem naturalem eſſe, quæ ſemper fieri, & ubique ſolet. Cum id genus aliis, quæ in principio horum ſermonum notavi. Eſt igitur juris gentium ſervitus, hodieque Chriſtianis cum omnibus, qui alieni Chriſto ſunt. Et noſtri a Turcis capti ſervi Turcarum

a *Xenoph. 3. Cyrop.*
b *Joſ. 5. de Zo. Vite.*
c *Ibid. 2. de rep. 5. 8.*
d *Tac. hiſt. 2. 3. Plut. Otho.*
e *Cic. 4. fa. 4. & 9. lib. 12. ep. 18. l. 16. e 11. Pla. 1. de legi.*
f *Ariſt. 1. polit.*
g *Alex. 6. conſ. 134.*
h *Epo. 6. & ad Phil.*
Aug. Exo. q. 67.
i *Rom. conſ. 288. ubi. Mandoſ.*
k *Pla. 1. de legi. Xen. 7. Cyrop. Ariſt. 1. polit.*
l *Sene. ep. 108.*
m *Sene. ep. 118.*
n *Ariſt. 15. probl. 3.*

rum ſunt. [a] Quod aliique adnotarunt bene, & vere. [b] Nec bene de hoc dubitant alii: quaſi Turcarum cauſſa, venantium nos, & occupantium noſtra, nequeat juſta eſſe. Nam de hoc expoſitum antea eſt: & de piratis exceptum: & de aliis declaratum, cum quibus amicitia nulla eſt nobis: ut ſic tripliciter quæri de Turcis poteſt: cum bellum gerunt: cum piraticam exercent: cum extra bellum nos intercipiunt aliter. Quod porro hoc jus ſit ſervitutis, (quæ erat tertia quæſtio) ſic dico: [c] non ita ſequi rigorem oportere, quin non meminerimus ejus magis, quod ſolet agi per viros bonos. [d] Jura vulgaria, ſed falſa, in ſervum nihil non domino licere: pictori nihil non pingere. Et hoc vulgare eſt, *Pictoribus atque poetis*: immo enim *Humano capiti cervicem pictor equinam*, &c. [e] Etiam Plato male, ſervos aſpere tractandos ſcribit. [f] Et Ariſtoteles bene, tractandos ſervos ſuaviter. [g] Et M. Cicero, *Meminerimus, & adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam*. [h] Etiam, *dominum patremfamilias ſervos familiares appellaverunt noſtri majores, ominem ſervis contumeliam detrahentes*. Memini Ariſtotelemque recitare, nobiliores captos non ſervos, ſed tantum barbaros nuncupatos. [i] Et Spartanus, captivum ſe, non mancipium, nominari patitur: ut in ſono, & uſu etiam apud nos eſt turpitudinis aliquid majoris in mancipii nomine. Scribit autem hic Bodinus rectiſſime, non aliter agendum in captivos, quam a bono patrefamilias, & id receptum fere omnium gentium inſtitutis, & moribus eſſe. [k] Syracides autem ſic ſcribit, *Si eſt tibi famulus, eſto tibi tamquam tu ipſe: quia ſanguine paraſti ipſum: & eſt tamquam tu ipſe*. [l] Et Clemens Alexandrinus, *Famulis utendum tamquam nobis ipſis: ſunt enim homines, ſicut nos*. [m] Sic major Cato acriter notatus a Plutarcho, quod ſervos ſenio debilitatos efficeret, & vendere conſuevisſet; quaſi extra quæſtum nullum eſſet homini cum homine commercium: & quaſi nec pateret latior benignitati campus, quam juſtitiæ. Qua benignitate uteremur etiam in bruta: ut ita quies, paſcua his, etiam & ſepulchra Athenis erant poſt labores longos vitæ. [n] Dicam de lege Dei? cui & de bobus cura, & de aſinis. *Non alligabis os bovi trituranti. Non arabis in bove & aſino*. [o] Et hoc, quia inæqualia hæc male ad jugum, & a fortiori infirmius premitur. Et unde ad homines elicium, non oportere injuria afficere, jugo premere, quos non alias poſſumus accuſare, quam quod

a *Alc. l. 2. de V. S.*
b *Cov. d. §. 11.*
c *Vict. relect.*
d *Sen. 10. contr. 5.*
e *Pla. 6. de legi.*
f *Ariſt. 1. pol. ubi Vict.*
g *Cic. 1. de off.*
h *Macr. 2. ſat. 11.*
i *Plut. apophr.*
k *Eccl. 32.*
l *Cl. A. ult. ped.*
m *Plut. Cat.*
n *Deut. 25.*
o *Cl. Alex. ſtr. 1. Ovid. ep. Deian.*

quod generis diverſi exſiſtunt. [a] *Non bos, non aſinus, non aliud jumentum faciat opus ullum die ſeptimo.* Sic voluit Deus, humanos nos in omnes eſſe. [b] Aut numquid canes (quod indignum dicebat Diogenes) ſaginabuntur, homines paſcentur male? [c] Sic eſt lævitia dominorum compreſſa jure noſtro, etiam & impudicitia, & mala tractatio. Audi reſcriptum divi Pii, *Dominorum quidem poteſtatem in ſuos ſervos illibatam eſſe oportet: nec cuiquam hominum jus ſuum detrahi: ſed dominorum intereſt, ne auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur his, qui juſte deprecantur: ideoque cognoſce de querelis eorum & ſi vel durius habitos quam æquum eſt, vel infami injuria affectos cognoveris: venire jube, ita ut in poteſtatem domini non revertantur; qui, ſi meæ conſtitutioni fraudem fecerit, ſciet, me admiſſum ſeverius exſecuturum.* Sed & audi, quod *D. Hadrianus etiam matronam in quinquennium relegavit, quod ex leviſſimis cauſſis ancillas atrociſſime tractaſſet.* [d] Dominorum, inquit, intereſſe, nam conjecti in diſperationem ſervi, aut dominos, aut ſe necabunt, aut minimum fugient. Ut magnis, horribilibus, multis exemplis oſtendi poteſt. [e] Puer Spartanus liberalia miniſteria hero ſuo libens præbebat: ſervilia noluit, itaque ſe interfecit. Sane enim & ponenda ratio in perſonis ſervorum eſt. Ceterum ferre habent ſervi tamen etiam quæ nequiit Spartanus & hic, & ille ferre: tulit enim & iſthæc Euryſthei imperia Hercules. Et non jam liberalia cogitare habet, qui non jam liberum ſe cogitare habet. Juſta cogitet, quæ ſibi debentur. Et dominus juſta cogitet. [f] Nam aut *ære parati ſervi injuſta dominorum imperia non perferunt.* [g] Et ſubditi eximuntur a jurisdictione, & poteſtate principis ſævientis. Nam cur te habeam ut principem, ſi tu me non habes ut ſenatorem? quod & noſtri ajunt. Sed & reipublicæ intereſt, ne re ſua quis male utatur. [h] Nunc & Senecam audi de hoc jure, etiam & ante Antoninum, & ante ejus patrem conſtituto, *Non omnia jubere nos poſſumus aut in omnia ſervi parere coguntur, neque enim ulli ſceleri manus commodabunt. Dominus præſtare ſervo debet cibarium, veſtiarium. Eſt enim ſervus* (*ut placet Chryſippo*, [i] illi philoſopho ſummæ Stoicæ ſapientiæ, laudatoque auctoribus juris) *perpetuus mercenarius. De injuriis dominorum in ſervos, qui audiat, poſitus eſt: qui & ſævitiam, & libidinem, & in præbendis ad victum neceſſariis ava-*

a *Deut.* 5.

b *Phi. quod lib. ſit q. v. ſ.*

c *l.* 2. *de his, qui ſu. ſu. l.* 1. *de off. p. v.*

d *Theop. Inſt. de bis, q. ſ. ſ.*

e *Phi. quod lib. ſ. q. Pi. ſtu.*

f *Sall. Jugur. & Rom. conſ.* 37. *& ali.*

g

h *Sene.* 3. *de benef.*

i *l.* 2. *de legi.*

avaritiam compeſcat. [a] Atque ſic eſt lex de ſervilibus injuriis, quæ diſtinguit late: & in hanc concluſionem devenit, ut habeat magiſtratus rationem tam injuriæ, quæ admiſſa dicitur, quam perſonæ ſervi, in quem admiſſa dicitur. [b] Domini neque ex cauſa occidere ſervos poſſunt. Quæ item Hadriani fuit lex. Audiſti de libidine, & ſcelere alio. [c] Et ergo refutata ſunt, quæ de triplici impudicitia refert Seneca rhetor, & non unus noſtrum: & quæ olim riſa cum auctore fuerunt. De ſceleribus allis & alter dixit Seneca: ut contra rempublicam imperata facere ſervi non habeant: [d] Et ſcripſit Ulpianus, *Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel ſceleris, ignoſcitur ſervis, ſi dominis obtemperaverint*. Et hæc tamen quæſtio de ignoſcendo alia eſt a quæſtione de faciendo. Facere nihil ſervus habet, quod ſit injuſtum. Immo nec cogitur omnia facere, aut præſtare, quæ probet juſtitia. Audi iterum philoſophum Senecam: *Servos qui negat, dare aliquando beneficium, ignarus eſt juris humani. Et errat ſi quis exiſtimat, ſervitutem in totum hominem deſcendere: corpora obnoxia, & adſcripta dominis: mens mancipio dari non poteſt*: &c. Audiſti de avaritia. Illa certa in ſervos deprehenditur: quibus cibarium, veſtiarium debetur certe: & certa hæc ſunt per naturæ jus: ſecundum quod ſervis ſit; nam eſt cibarii ſatis, quod defendit a fame; eſt ſatis veſtiarii, quod defendit a frigore. Et hanc poſcit natura defenſionem: & hac eſt contenta, [e] Ita ergo Siciliæ rex apud Iſaacium imperatorem conqueſtus eſt, quod captos bello Siculos fame ſineret imperator exſtingui: nam a victore, omnis oblito humanitatis, & in feram verſo, ſtatim fuiſſe necandos, aut certe alendos. [f] Hoc tamen repoſitum Siculis jus poſt tot ſæcula: qui omni genere malorum, & hoc famis, omnium deterrimo, captos Athenienſes confecerunt. [g] Etiam Athenis fuit lex de injuria ſervili: ut conſuleretur & fortunæ ipſorum. [h] Fuit apud Græcos fas ſervis mutare durius ſervitium. Et apud Turcas quoque nunc eſt. Sed apud hos non illi occurritur fraudi, cui lex occurrit Romana ut in poteſtatem domini non revertantur. Dixi, conſultum vel adverſus acerbum nomen ipſum ſervi apud veteres Romanos: conſultum ſic & alibi, & qui ſervi eſſent, hi Ilotes, Dorophori, aliter appellarentur. Alibi & facultas adquirendi eis facta: ut multi ſuis avaſerint dominis ditiores. Quæ legis apud Athenæum: [i] & ſervi ſic extra jus

[a] *l. 15. de injur.*
[b] *l. 1. C. de em. ſer. Spar. Hadr.*
[c] *Sene. proœ. 4. contr. Alc. 8. pare. 3. Ilot. tit. ult. Inſt.*
[d] *l. 157. de reg. jur.*
[e] *Nicet.*
[f] *Diod. 13. Thucid. 7.*
[g] *Athen. 6.*
[h] *Pollu. 7. Plut. de ſuperſt.*
[i] *Alc. de quipe. pr.*

jus civile Romanum non differebant multum a liberis. Si tamen cum illis ſervetur hoc, quod nunc eſt, Romanum jus, opinor ego, non fieri injuſte: quicquid alii cenſent.

CAP. X.

De ſtatu mutando.

POrro autem non modo vita, & incolumitas relinquenda victis eſt, ſed aliquando ipſa quoque libertas. Et multis ſæpe populis victis victor populus Romanus hanc reliquit: immo etiam & dedit: ut Græcis a ſervitio Macedonum, item Aſiæ regum. Quid enim liberis populis jugum indignum, nec ferendum impones ſervitutis? An gentem integram exterminabis? Id dices ne licitum, nec contendes honeſtum, ut nolis vivos, quos habere ſervos non potes, & quos tamen habere amicos, & parentes potes? [a] *Britanni*, inquit Tacitus, *delectum, ac tributa, & conjuncta imperii munera impigre obeunt*, ſi injuriæ abſint: has ægre tolerant, jam domiti ut pareant, non ut ſerviant. [b] Et in mancipio præterea, ut dixit Seneca, cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui, bonique natura: quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis jubet: itaque vel regnum relinqui ſuum victo, ſi tuto fiat & id, belliſſime monet. Nam ſi male utendo corrupturi eſſent relictam libertatem, tum quidem [illa] relinquenda libertas eſt. [c] Quod obſervatum leges apud Livium alicubi. [d] Et de Græcis dixit mox Veſpaſianus, deſiiſſe ſcire, liberos vivere. Et itaque exſuit eos libertate. [e] *Eſto ſervus, qui neſciviſti uti libertate:* dicebat Bartolus [f] *Beneficentia nihil naturæ hominis accommodatius: ſed habet multas cautiones: videndum eſt enim, ne obſit benignitas & ipſis quibus benigne videbitur fieri*: ait M. Tullius. Servitus hæc juſta eſt, quæ & ſervientibus eſt utilis. [g] *Principatu Coſmi* (inquit Bodinus) *nihil magis ſalutare ſeditioſiſſimæ civitati ab immortali Deo optari potuiſſet*. Notat idem in Politicis Lipſius, & nemo non veriſſimum videt. [h] Et Cratippus ſic differebat Pompejo in fuga Pharſalica, deque providentia ſuorum Deorum conquerenti, opus fuiſſe Romæ principatu unius propter perverſam rempublicam. Et alia ſic ſunt plurima. [i] Et Plato, *Eſt pecu-*

a *Tac. Agric.*
b *Sene. 1. de cle.*
c *Liv. 39.*
d *Paul. 7.*
e *Jaſ. l. ex hoc jure.*
f *Cic. 1. de off.*
g *Bod. 4. de rep. 1.*
h *Plut. Pomp.*
i *Pla. ep. ad Perd.*

lia-

liaris quædam vox uniuſcujuſque civitatis, veluti quorumdam animalium: nam aliam popularis, aliam paucorum, aliam unius dominatio vocem poſtulat: quæ hic invertes, & aptes rectiſſime. Etiam tyrannis dicitur bona in diſcerpta republica: ut ſit qui componat ſcilicet. Et tyrannus tum eſt quaſi princeps. [a] Et juſte igitur Solonem inſectabantur: qui nomine deterretur tyrannidis: cum virtus eſſet ſuſcipientis verſuri eam in juſtum mox principatum. Solon autem, qui recuſavit, otio magis ſuo, quam bono conſuluit publico. Contra vero, & tollere principatus, expedit aliquando, & eſt juſtum. Ut de Helvetiis idem Lipſius: [b] de Romanis Livius. Et ipſi Romani de aliis non ſemel cenſuerunt. [c] Quamquam cum voluerunt, Cappadocas liberos eſſe, non viderunt recte: Et a Cappadocibus ipſis audierunt, non poſſe ſe ſine rege vivere. [d] Ea utilis eſt ſervitus, cum improbis auferitur injuriarum licentia: & cum domiti ſe habebunt melius, qui indomiti pejus habuerunt. Quæ Auguſtinus: immo Ariſtoteles, [e] *Profuit injuſtis te dominante capi*: de Roma domina, & de populis domitis Numetianus. Sic viderit victor, quales victi ſunt. [f] *Et clementia vel dimittet hoſtes ſaluos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſſis pro fide pro fœdere pro libertate in bellum accincti ſunt*, ſic Seneca: cui clementia eſt quoque juſtitiæ pars: ut addit, *Venia debitæ pœnæ remiſſio eſt, clementia hoc præſtat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronuntiet*. Etiam Cicero clementiam appellat juſtitiam in oratione pro Marcello: habita ejus viri ratione: qui in fortuna miſera relinqui a Cæſare non debuerit. Sic & videndum, quos inter bellum geſtum ſit. Etenim quæ pugnant formæ rerum publicarum, nec ſe ſimul ferunt, illic non inique victores victis mutabunt, quod aptum ſibi credent victoribus. Par eſt ſiquidem, ut potentioribus ſuccumbant, qui ſtare una non valeant. [g] Et naturale eſt, juſtumque imperium, ut imbecilliora fortioribus pareant: victique ferant, quod feciſſent, ſi ipſi viciſſent. Ita rempublicam rex, regem reſpublica tollit. [h] Natura enim inimica inter ſe libera civitas, & unius dominatio: ut non inepte Perſeus apud Livium diſſerit. [i] Ita Demoſthenes dixit, & clamavit ſæpe, cum liberis populis aut propter privatas injurias, pro quibus publice ſatisfactum non ſit, aut pro parte agrorum, aut de finibus, aut propter contentionem honoris, aut de principatu bella geſſiſſe

a *Plut. Sole.*

b *Liv. 2.*

c *Str. 12.*

d *Aug. 19. de civ. Ariſt. 1. polit.*

e *Numet. 1. itin.*

f *Sen. 2. de cl.*

g *Pla. 4. de legi. Thucyd. 5.*

h *Liv. 44.*

i *Demoſth. or. de Cher. pb. 3.*

Athenienſes: cum poteſtate autem paucorum propter hæc dimicationem nullam, ſed de reipublicæ forma, ac libertate habuiſſe. [a] Ita Xerxes inimicitiarum medium nullum inquit cum Græcis ſibi, at dominationis extremum. Et Perſæ tamen reges regibus victis regna relinquere ſub ſe ſolebant. [b] Ita Lacedæmonii tributarios non quidem faciebant, ſed hoc ſolum, ut ſocii ſub paucorum principatu rempublicam adminiſtrarent accommodate ad Laconicum morem. [c] Ita Athenienſes ſociis ſuadebant, ut illam tenerent formam reipublicæ, qua utebantur ipſi. Ita mihi viſus Romanus ubique populus reges tollere, optimatium ſtatum fovere, apte ad ſuam optimatium (erat hæc cura ſenatus) ſectam conſtituere provincias, & civitates. [d] Sic vides bello Hannibalico per omnes civitates Italiæ ſenatum Romanis favere, Pœnis plebem. Sic in Carthagine ipſa nobilium factio ad Romanos poſtea verſa. Sic alibi: niſi ſi quid certa imperii, & temporis ratio diverſum exegerit. Regem, & potentem habere in Africa Maſiniſſam oportuit ſtante Carthagine. Sed ea deleta bene cito regnum illud peſſumdederunt. In Aſia oportuit, reges aliquos aliquandiu eſſe populis, ſemper aſſuetis in regno vivere. Oportuit, donec ipſi Romani melius & noſſent, & poſſiderent eas regiones: quas interim per illos reges, veluti per procuratores regebant pro libitu. Et has enim nec in nepotes, quaſdam nec in filios venire paſſi ſunt. Ad rationem imperii victorum igitur juſte coguntur victi: aut franguntur juſte, ſi ſe non flectent. Et juſte ſic feciſſet Philippus Athenienſibus: quod & Demoſthenes, ut dixi, poſuit ſuis non ſemel ſub oculos. [e] Ita Samnites deleti funditus: qui implacabiles victoribus: itaque injuſti. [f] *Cum victor arma poſuit, & victum decet deponere odia.* Urbes æquatæ ſolo dictæ ſunt. [g] Lacerata Macedonia in partes fuit: quæ unita renovavit bellum Romanis, mulctata ſervitute: quæ nec potuit lacerata quieſcere. [h] Lacerata Ægyptus ab Alexandro: gens ſeditioſa. [i] Tranſportati a Romanis: qui hoſtes in ſuis illis montium latibulis nec inveniendi, Ligures. Alia duriora in parere recuſantes, patrata neceſſarie, juſte, honeſte. [k] Nec ſemper parcitur multitudini. *Videndum, ne benignitas obſit & ceteris: & major ſit, quam facultates: & ut pro dignitate cuique tribuatur:* ſic idem Cicero. [l] Et quod *nullius rei minus diuturna gratia, quam libertatis: præſertim apud eos, qui male utendo eam cor-*

a *Herodo. 7.*
b *Thucyd. 1.*
c *Iſocr. panapane.*
d *Liv. 24. App. Pu.*
e *Str. 5.*
f *Sen. Herfu 2.*
g *Liv. 43.*
h *Arria. 3.*
i *Liv. 40.*
k *c. 30. de Simo.*
l *Liv. 39.*

corrupturi sunt: lego in Livio. Sic victi aut retinent, aut mutant statum.

CAP. XI.

De religionis, aliarumque rerum mutatione.

QUod si status non mutatur, in statu tamen aliquid mutari sæpe solet. Sæpiuscule quæritur de religione. [a] Sic Dagobertus diem præstituisse narratur, intra quam quicquid mortalium religionem Christianam non profiteretur in quæsitis suis regnis, capite lueret. Sic victis Frisiis injunxit, ut concionatores nostros audirent. Quod & Saracenis Carolus Magnus. [b] Et idem Ungaris, dedentibus se, vitas, & fortunas servat amplexantibus religionem: aliis vitam sine bonis, & sine libertate. Et templa illic subverti idolorum voluit, [c] Sic Olofernes Deos omnes voluit sublatos. [d] Sic Cambyses victa Ægipto cunctam Ægypti religionem abominatus, ceremonias ejus, & templa depositi. [e] Sic Antiochus varios tolli vult ritus: ut sui coalescerent omnes in populum unum. [f] Sic Heliogabalus religiones omnes voluit in templum unum Dei sui transferri. Atque hæc ratio uniendi animos omnium præcipue afferri in jure humano solet pro ista mutatione. [g] Unica familiaritatis, & amicitiæ tessera (inquit Philo) studium est placendi Deo: & dicendi, faciendique pro pietate omnia. Dei honor supra consanguinitates, & ceteras omnes conjunctivæ benevolentiæ vinculum insolubile. Cum id genus aliis, quæ dixi in primo libro. Et itaque tot hodie dissensiones, & bella etiam civilia objectantur, cum non una habetur religio. Sed & respondi tamen, non bene referri præsentia mala, & præsentes dissensiones ad varietatem alicubi religionis: quæ antea in religionis unitate viderunt nostri majores; etiam præsentibus graviora. Iterum imus in Galliam, quod regnum pro exemplo nominatur hodie. [h] Quis nescit, ab omni memoria in Gallia non solum in omnibus civitatibus, atque in omnibus pagis, partibusque, sed pæne etiam in singulis domibus factiones fuisse? Non prosequor istam Gallicam historiam, quæ est in præsentem usque diem notissima. Tolle Gallis bellum externum: quod inepto consilio Galliæ hostes eis intulerunt; quod-

a *P. Æm. 1. 2.*
b *Bonf. 1. Ung. 9.*
c *Judithæ 3.*
d *Oros. 2. c. 8.*
e *Just. 1.*
e *1. Macc. 1.*
f *Lamprid.*
g *Phl. de vit.*
h *Cæs. 6. Gall.*

que ſapientiſſime ſuſcepit, & proclamavit Galliæ rex: & mirum niſi cernimus ſtatim civilia rurſum bella: quæ per externum ſilent. Numquid alia dico? Ubique cernere eſt, quemadmodum in maxima religionis unitate turbarint res maxime. [a] Et tu Italia num Guelfos ignoras, & Gibellinos, & bella Cæſarum, & Pontificum lamentabilia in viſceribus geſta tuis non neſcis, dum jus imperii viguit in te, & reliquiæ regni Longobardici ſuperfuerunt? Et tu Roma, quas vidiſti, & quantas in foro medio acies, cædeſque? Nec ego te revoco ad vetera illa Gracchorum, Marii, Syllæ, triumvirum. aut ad bella alia civilia, quæ nec in minima re ſpectarunt religionem. At de Pontificum dico præliis: Damaſi, & Urſinici: Laurentii, & Symmachi: Cadoli, & Alexandri. Prælia in medio foro: cædes in clero, & ſanctimonialibus: latrocinia: denudatas feminas: cadaveribus completa loca orationum, Liberio in urbem reverſo ad dignitatem pontificalem fluxerunt templa ſanguine. Sed quis denarraverit omnes? Theodorum, Agapetum, Damaſum, Caliſtum, omnes ſecundos? Bonifacios duos, Joannes quatuor, Benedictos plures? Formoſi quis funera fando, temperet a lacrimis? [b] At omnino plurima iſthæc legimus apud Platinam, Ammianum Tarcagnottam, Sigonium. Quamquam neget Sigonius veriſimilia, quæ de funeribus Formoſi tradita ab aliis ſunt. De quo ego non litigabo: nam id noto tantum, malorum eorum cauſſas non notari varias religiones in hiſtoriis: ſed pectora illa latronum, ſicariorum, adulterorum, ſacrilegorum, magorum, monſtrorum: ut loquuntur hiſtoriæ illæ. Huc ad alia, huc ad alios fontes refer, non ad variam religionem, malorum cauſſam. [c] Inquit de Gallia ſua P. Faber, velamentum etiam falſum eſſe illic religionem. Ceterum demus, etiam propter religionem nunc turbari. Aſſentiamur mendaci calumniæ, quæ ethnicorum fuit adverſus nos. [d] Ego dixero cum Auguſtino, *Quid mirum, ſi Chriſtianis temporibus iſte mundus, tamquam ſervus, jam ſciens domini voluntatem, & faciens digna plagis, vapulat multis?* [e] Ego dixero cum ſpiritu Dei certo, in pace eſſe omnia potuiſſe, cum fortis armatus cuſtodiret atrium ſuum: at Herodem turbatum, & tota Hieroſolyma, & gentes tumultuatas, & reges terræ concitatos, fortiori illo exſurgente Chriſto Dei, & gladium, & ignem, & diviſionem ferente. Quod ſi vero victor incidat in alienos ab humanita-

a *P. Æm. 7. Juſt. an G. 3. Sigon. de re. It. 13. 17.*

b *Tarc. 5. 11. Sigon. de re. Ita. 6. 13. Amm. 27.*

c *Fab. 3. ſem. 16.*

d *Aug. ep. 112.*

e *Matth. 2. 12. Pſ. 2.*

nitate, & a religione omni, hos quidem juſtiſſime cogere poterit mutare id, quod & contra naturam eſt. [a] Et ſic lane traditur de Ungaris, quemadmodum Chriſtiani facti, informati ſimul ad humanitatem, inducti ad commercia; & in reliqua aptati fuerint, quæ jus naturæ, gentium flagitat, & civitatis: & a quibus alieni antea omnino erant. [b] A natura eſt religio: quam innata quædam nobis vis affert: & inſinuat cælum, ac terra. [c] Et itaque Thomas Morus, magni judicii vir, ferendam religionem omnem, docet: non eam tamen, quæ eſſet contra naturam. [d] Sunt, qui Deum negant: ſunt, qui de eo, & providentia ejus ambigunt: ſunt, qui ſecuti majorum ritus, & ſuperſtitiones, nunc cogitare amplius aliquid non ferunt. De primis, & ſecundis ſic dicimus: [e] qui gigantes Phlegræi Deos pellere de cæleſti ſede voluerunt, negando Deos. Etiam qui negant propria Dei, negant Deum: & qui igitur negant providentiam Dei, aut de providentia (quod idem eſt) ambigunt. Aut ambigunt, quia non intelligunt? Hoc igitur intelligat homo, ſe eſſe hominem, non Deum; & Deum non eſſe hominem. [f] *Si poteſt homo intelligere divina, poteſt & facere:* ut divine Lactantius. Hoc intelligat homo quod eſt facillimum: & non ambigat. Non ambigat aut de eo, quod excellenti perſonæ debetur, an oporteat Deum honorare. [g] *Qui dubitant, utrum oporteat, Deos honorare, & parentes diligere, pœna indigent.* [h] Quos duos ſic in exemplum legis naturæ conjunxit Pomponius juriſconſultus: Sunt Epicureis pejores illi athei, & iſti irreligioſi: [i] ſiquidem Epicurei agnoſcebantque, & venerabantur, etſi non curare mortalia Deum credebant: honorandam excellentem naturam deitatis cenſebant. Verum neque Epicurei ferendi ſunt: qui verbis quidem fateri Deum videntur, ſed re negant. Non ferendi alii ulli, quorum religio labefactet victoriæ firmitatem, ac ejuſdem jura. Neque enim ſibi judicium hic victor ſumit Dei, & religionis, ſed cauſſæ ſuæ. De tertiis autem, qui religioni mancipati ſunt improbæ, idem cenſuerim hoc ſolo caſu, cum religio victoriam labefactat. [k] Et Plutarcho differenti, pejorem atheo eſſe ſuperſtitioſum, non hic ad civitatem locus eſt. Et quamvis etiam eſſet cauſſa, non prætextus ſeditionum, religio difformis, hæc non mutanda tamen invitis eſt. Quoniam non cum tanta aſperitate in ſubditos quærenda quies eſt principi. Nec enim recuſare is iſta onera prin-

a *Bonf. 1. Ung. ult.*
b *Cic. 2. de inu.*
c *Mor. 2. Utop.*
d *Phi. de præm.*
e *Diod. 4. Macrob. 1. Sat. 20.*
f *Lact. 7. Inſt. 2.*
g *Ariſt. 1. Top.*
h *l. 2. de juſt.*
i *Lact. de ira c. 8.*
k *Plut. de ſuperſt.*

principatus habet. [a] *Amat victoria curam*, [b] Omnes alioqui religione moventur, & Deos patrios, quos a majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur. [c] Et ita apud Iſocratem, *Religionem ſerva, quam a majoribus accepiſti*. [d] Et Symmachus pro idolis majorum ad imperatores, *Præſtate, oro vos, ut ea, quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus*. Quid faceres? [e] Et idololatria tamen cum ratione naturali pugnat aperte: ſed eſt illis religio tamen. Et nec deſcendit pugna, ut pertingat hominum jura. [f] Eſt in religione ſummum hominis bonum. Et ſic ſibi ſtatuit quiſque in ſua. Ecquid igitur religionem, ſummum bonum tollet victor, ut quietius regnum obtineat? Dixi alicubi antea, quomodo in legum pugna teneatur illa, quæ favet religioni: [g] ſcilicet ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit. Dixi, eam teneri legem, quæ bonum habet majus. [h] Ubi de religione agitur, ibi de reliquis quoque agitur: & vitam profundere omnes pro religione volunt. Quid igitur vitam eripiet victor his, quibus arma conſervarunt? Et lex curiæ anteſtabit legi ſalutis? [i] Recitat Philo, quemadmodum Syriæ præſes de concilii ſui ſententia ſic intellexerit, nihil in ſacris novare oportere: & ſic jus naturæ, atque pietatis poſtulare. Juſſus ille erat præſes a Cajo ſtatuam inferri templo Hieroſolymitano. Recitat idem Philo orationem Agrippæ regis ad Cajum, quod Auguſtus, Tyberiuſque, is quoque contra Pilati pervicaciam; aliique ſervarunt iſthæc religionis ibidem inviolata, immo honorata. Peto (addit Agrippa) Judæis gratiam magnam, tibi, Cæſar, innoxiam, ne patrii ritus contaminentur. [k] An movit iſtos in Ægypto, qui alias Ægyptum laceravit Alexander? [l] Quam illic varii? quales? Pudendi, & deridendi. Sed ignoſcendum fuit tamen, quando delectabant, & tantopere pro eis laborabatur. In quo etiam ſi peccabatur, magis ineptiis, quam improbitate peccabatur. [m] Ut ſic Cicero non hinc longe. Quantæ, & quam immanes propter ritus hos varios in Ægypto ſeditiones? [n] Obſtupeſcit ſatyra. Sic Auguſtus & locum libertinis Judæis trans Tyberim dedit victimas, dedit ſumtus. Sic Tyberius, quoadusque Sejanus ſuſpectos fecit eos imperatori, quos præcipue repugnaturos peſſimis ſuis conatibus intelligebat. Utinam non viverent Sejani hodie. [o] Inter crudelia Syllæ & hoc reponitur, quod vexaverit patrios Athenienſium Deos,

a *Catu. car. 63.*
b *Cic. Ver. 5.*
c *Iſocr. ad Demon.*
d *Symm. 10. ep. 54.*
e *Sot. 2. de ju. q. 1. a. 3.*
f *Lact. 3. inſt. 10.*
g *l. 43. de reb. lig.*
h *Phi. adv. Fla.*
i *Phi. de legatio.*
k *Cur. 5.*
l *Cl. A. ad gen.*
m *Cic. 13. fam. 1.*
n *Juv. Saty. 15.*
o *Pauſ. 9.*

Deos. Sed hæc hactenus. Compescendæ sunt seditiones aliis remediis ac pœnis. Et potest victor princeps variisque incumbere modis absque multo sensu in eam mutationem. [a] *Primo taurus detrectat aratra. Post venit assueto mollis ad arua jugo.* [b] Ecce tibi Constantinus sic nostram sanctam induxit: dum Christianis favet magis: aliis aliter non nocet. Christianam nostram per clandestinas machinationes tentabat Julianus. [c] Christianam nostram adfirmavit Theodosius: qui sumtus cultui ethnico subtraxit: nec ejus abolitionem illico impetrare valuerit a Romano senatu. Verissime. [d] *Qui universam religionem uno tempore alicujus populi, vel victi mutare conabitur, mirabor, si per suas calamitates non experiatur, quam sit periculosum repentina quæque Dei cultus eversio.* [e] Hic non auscultem Cardano: qui, cito mutandam religionem, scribit: & nec vetus movetur Angli regis, & Saxonis ducis exemplis: neque enim ille universam, neque repente mutavit: & nec alter repente universam. Quamquam neutrubi vel hodie mutata est religio universa: si, quæ in oculos incurrunt populi, manent omnia etiamnum integra, quæ erant. Non est hæc repentina mutatio a natura: quæ paulatim fit, ea a natura est; nec alterat. Sed audi politicum sophisma. [f] Alaricus Romanos, quos armis subegerat, dicto audientes cernebat, unum moleste ferentes, obligari se legibus Gothorum. Et eis igitur Romanas reddit: sed per interpretamenta adversum sensus Romanarum trahebat has rursus ad Gothicas. Hæc porro politicus viderit: cujus nunc attigi fines. Politicus viderit, si non sit satius, quamlibet religionem esse, quam nullam: si nulla figitur illic religio, unde per vim alia expulsa est. Et dixi tamen qui ferendi non sunt. Forsitan nec ferenda schismata sunt: etsi (mirum!) sectæ ferri aliquæ possint. [g] Nam schisma est eadem opinari, eodemque ritu colere, quo ceteri, solo autem congregationis delectari discidio. Secta & alia opinari, & alio ritu colere. Ergo illa delectatio discidii non sit ferenda. Satis de religione: de qua tamen nec unquam satis. Sermonem victis immutarunt Romani, an ipsi sibi mutarunt victi? Mutatio iniqua non est. [h] Etsi Augustinus imperiosæ hoc factum civitatis dicit: quod forte interpretaberis habentis imperium: [i] ut est apud Ciceronem *populi imperiosi*: non ut Manlius dictus imperiosus, & Manliana dicta imperia, pro acerbis, & sæ-

a Proper. 2. el. 3.
b Ambr. adversus Sym.
c Suida.
d Nat. Co. 3.
e Card. 3. de sap.
f Cuja. ep. ad Ranco.
g Aug. 20. con. Fau.
h Aug. 19. de civ.
i Cic. orat. Liv. 8.

& fævis. Quamquam & acerba, & fæva non ſemper injuſta etiam ſunt. Certe non eſt hæc mutatio ſermonis contra naturalem æquitatem. Nam a natura nec eſt, ut hoc magis, quam illo ſermone utamur: ut in quadam tradidi alibi diſputatione. Acerba eſt mutatio: ſed nec inutilis: ſed alterum acerbum magis, ſub domino eſſe alterius linguæ: [a] ut hoc in malis minitatur ſingulariter, & ſæpe Deus. [b] Et contra itaque in bonis, *exeunte a populo peregrini ſermonis*. [c] Et ſermo iterum diverſus; & habitus concordiam haud parit: at *linguarum diverſitas hominem alienat ab homine:* ut ait Auguſtinus. [d] *Ignara linguæ commercia prohibet*. [e] Sermone ſcilicet, animi interprete, ſubſiſtit hominum ſocietas. Diximus, quemadmodum ante inventum ſermonem ſemper belluarum more pugnarint homines. Adde ſcripta Philonis in libro De confuſione linguarum. Etiam curanda omnis morum concordia: [f] quæ maxime omnium facit concordiam in civitate. Et neque ſemper fieri id tamen poteſt: & itaque imperari nec a victore debet. [g] Scin', Ariſtotelem reſpondiſſe, ad mutationem morum Perſiæ neceſſariam mutationem cæli Perſiæ? Videlicet, ut ego exiſtimo, non magis eſt difficile, nuda ſub Septentriones corpora agere, quam exuere animi mores alibi, quos induit cælum alibi. Et ergo quæ naturalia non ſunt, ea, tolli jure victoriæ poſſunt. Naturale jus non tollitur: [h] quod potentius eſt omni jure principali. Et naturale jus eſt inſtinctus naturæ: qui itidem immutabilis. *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret*. Subit autem animum hic meum cogitatio de eo, quod Genuenſes facere audio Savonæ corrumpendo ejus urbis portui, an juſtum ſit. Et illicitum mihi videtur, portus corrumpere. Deleri urbs poteſt, & loco moveri: de quibus expoſuimus. Sed obſtruere portus navigantibus, & refugia in tempeſtatibus maris eripere: id vero contra jus hominum eſſe videtur, [i] & gigantum more pugnare in repugnando, & vim naturæ inferendo. [k] Portus communes ſunt. Et itaque ex facto quæſitum, & reſponſum eſt, eum, qui teſtamentum condidit in portu terræ Saracenorum, intelligi teſtamentum condidiſſe in loco Chriſtiano: quia portus communes ſunt. [l] Et illud improbare non poſſis tamen, quod Caletanus portus anguſtior de ampliſſimo factus dedita opera traditur, ut locus tutior eſſet adverſus claſſes. [m] Et recedere enim a jure naturali aliquantulum licet: atque hic tanto

a *Deut. 28. Pſ. 18. Iſa. 28. Jer. 5. Ezech. 2.*
b *Pſ. 114.*
c *Hecodia. 4.*
d *Salluſt. Jug.*
e *Phi. de ſp. ſe.*
f *Joſe. 41. bel.*
g *Pic. 10. ci. pb. 31.*
h *Bal. c. 1. qui ſe u. d. p.*
i *Cic. de ſenect.*
k *Jaſ. l. jus autem. de ju. & ju.*
l *Polyd. Angl. 1.*
m *l. 6. de ju. & ju.*

to licet magis, quanto nec paravit natura iter, aut ſtationem armis, claſſibuſque. Et hic defenſio eſt, quæ ſemper licita eſt. Et a natura etiam eſt. Atque ita a natura eſt, quod contra naturam eſt: ſicut & punitio eſt a natura contra naturam, ſervitus. Poſſunt fortaſſis & aliæ eſſe cauſſæ, cur corrumpere liceat alia naturæ, & portus. Et fortaſſis ſunt Genuenſibus. Etiam plura ſuperſunt exempla: quæ nec ſunt omnia diſcutienda tamen, in quibus juſtitia naturæ læditur: & jus propterea victoris nullum exſtat. Omnia ſunt, quæ naturalem belli cauſſam præbent: ut propter quæ naturali cauſſa movente, belligeratur, ea victor ſuſcipienda victis non proponat. [a] Nam ſi recepta tollerentur, magis non ſunt recipienda. Et quod infirmari, vel infamari habet, utique habet præcaveri. [b] Illicitum factum eſt, quod lex tolli jubet. *Quod debet revocari, non debet confirmari.* [c] Qui prohibere alium facientem debet, ipſe facere non debet. Cum id genus plurimis. Maneat itaque hæc definitio, ut nihil contra jus, & rationem naturæ victor injungat. [d] *Non audet lex, quod ratio negat naturalis.* [e] Et, civilis quoque ſit, neceſſe eſt, quod eſt gentium, & naturæ. [f] Et turpe nihil in quantalibet poteſtate admitti poteſt. [g] *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt.* Hoc eſt jus commendatum nobis honeſtatis: [h] quod ab omni poteſtatis excellentia cenſetur ſepoſitum. Dico ego honeſtatem, quæ non civilis eſt juris, quam naturalis: hæc enim vere, proprieque, & ſimpliciter eſt honeſtas, & immutabilis. [i] Contra naturalem hanc honeſtatem erat, quod Atepomarus Gallus Romanas ſibi proſtitui matronas exigeret: aut ſe bello finem non facturum minitabatur. Unde juſte deceptum putes forte. Pariter in caſu pari deceptique Sardiani a Smirnæis juſte: de quibus Plutarchus. [k] Impoſſibilia ſunt, quorum contraria ſunt neceſſaria. Et neceſſaria ſunt jus divinum, & naturæ: ideo eſt impoſſibilis conſtitutio principis, ut quiſque adulterari in rebelles poſſit. Et id genus alia, de quibus Baldus alicubi ſic exponit. At vero quæ civitatum legibus, & moribus ſtant ſolis, ea ſine dubio (ait Baldus) mutari pro libitu a victore valent. [l] Scilicet quæ non jure naturæ, aut gentium fieri prohibentur, ſed jure legum, rei alicui medendæ, aut temporis cauſſa, ea, ſi liceret facere, vel-

a *c. 1. de ſe. non or. Bal. l. 1. de no. op. nu.*
b *l. 11. de leg.*
c *l. 15. fi ſer. vi. Rom. conſ. 3. Dec. conſ. 144.*
d *Bal. l. 1. de v. e. v. q. v. c.*
e *Cic. 3. de off.*
f *Menoch. de arb. q. 7.*
g *l. 15. de con. inſt.*
h *Bal. l. 2. C. de op. lib.*
i *Dec. l. 157. de reg. ju. Plut. de cl. mul.*
k *Bal. l. 1. de conſt. pri.*
l *Gell. lib. 7. c. 3. Liv. 34. l. 42. de V. S.*

le, non eſt inhoneſtum: contra eſt de his, quæ facere inhoneſtum per ſe eſt: hæc enim velle, etiam ſi leges non vetent, ſemper inhoneſtum eſt. Atque ſic auctores alii, & interpretes noſtri juris. Adulterium eſt natura probrum. [a] Civiliter & more quodam civitatis honeſta, atque inhoneſta ſunt, quæ ſic cenſentur ex inſtitutis majorum, eadem non ſunt ubique omnibus. [b] Non itaque Lydis victis injuſte injunctum a Cyro, ut, abjectis armis, vacarent choreis, ludieris, lenociniis, & comeſſationibus, & ut virilem habitum in molliorem mutarent. Qui juſſus & arcanum imperii habuit. Ut vacarent lenociniis, & ut mutarent viri virilem habitum in femineum: id juberi non poteſt: quia natura id turpe eſt: ut latiſſime in diſputatione quadam expono. [c] Alia veſtium mutatio licita: in tantum enim a natura non eſt hic habitus, aut ille, ut nihil fiat frequentius, quam mutatio iſthæc. Eadem & Xerxis juſſa Babyloniis: & hoc amplius, ut libidinibus vacarent: quod injuſtius. Arma victis adimi poſſe, non dubium eſt: & ademta ſunt ſæpiſſime. [d] Cato ademit Hiſpanis: qui nec vitam ſine armis cenſebant tamen. Sed quid faceres? [e] *Hiſpanorum inquieta, avidaque in res novas ingenia. Gens nata inſtaurandis, raparandiſque bellis ferox, bellicoſa fera, barbari temerarii*: ut cenſebat, qui nec fidebat eis propterea, Hannibal, ille eorumdem alumnus, affiniſque. Conſciverunt ſibi mortem multi ademtis a Catone armis. Quid tum? [f] illi in Gallia juſtius pœnam iſtam deprecabantur, quod ſibi finitimi omnes eſſent inimici, a quibus ſe defendere armis exſuti non poſſent. Et eſt huic caſui proſpiciendum: nam injuſtum fuerit, hos ſic tradere interficiendos. Etiam Hiſpanis arma relinquenda fuiſſent, ſi relinqui ſine periculo potuiſſent. [g] *Curandum in primis, ne magna injuria fiat fortibus, & miſeris tollas licet omne, quod uſquam eſt Auri, argenti: ſcutum, gladiumque relinquas, Et jacula, & galeam*. Ita ſane: ſed qui juri conſulit ſuo, nulli nullam facit injuriam. [h] Fuit & mos cremandi arma devictorum: qui nec damnetur: ſive a religione fuerit, ſive ab alia cauſſa. Etiam populus Romanus ſæpe victis juſſit, ne bellum poſt facerent ſuo injuſſu. Et intellexit de bello omni, etiam defenſionis. Sed injuſtus proculdubio juſſus eſset de neceſſaria, & quæ moras non patitur.

a *Juſt. Mar. ap. 1. Cor. Ne. proœm. Plut. Them. Duar. l. 1. de pa.*

b *Herod. 1. Plus. dic. reg. Juſti. 1.*

c *Tertull. de pall.*

d *Liv. 34.*

e *Liv. 22. 24. 34.*

f *Cæſ. 2. Gall.*

g *Juv. ſat. 8.*

h *Flor. 4.*

CAP.

CAP. XII.

Si utile cum honesto pugnet.

AT notemus quæstionem hic generaliter, si utilitatem magis, vel honestatem sequi noster debeat victor: cum alio trahit honestas, alio illum impellit utilitas. Id quæro salva justitia: de qua hactenus disputavi. [a] Versutia Punica, calliditas Græca dictum dare verba hosti: ut audimus Romæ seniores obiicere Martio Philippo. Et ea astutia utilis magis, quam honesta judicata, Et sic erat salva justitia: de quo quæro. Ea utilitas tum potiori curæ plerisque, quam honestas fuit. [b] Honestas est mollis, compositaque morositas. Quemadmodum vero non tracta de utili, quod a justo sepositum sit; [c] vel quia nec possit (ut Socrates dicebat, & differit Cicero) seponi; vel quia sepositum damnat prorsus interpres juris: ita nec disputo, si aliud ab honesto potest esse utile: quod idem Cicero facit, & negat in libris De officiis. [d] Et idem Periander, aliique, utile a decoro nunquam discrepare. Verum hoc ego pinguius pro jurisconsultorum more expono: & inter illa distinguo: [e] ut distinguit etiam nec semel Aristoteles, & ipse aliquando Cicero, aliique. [f] Et pontifex Romanus Innocentius in tractatu de voto, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem, ad considerandum proponit. Quod nos volumus: [g] intelligentes cum Bartolo æquitatem, quæ facti & quædam convenientia est, non jus aliquod scriptum, aut aliqua regula, & aliquis rigor. Ut sic semper procedat disputatio eum justitia. Censeo autem, æquitatem stricto juri, honestatem utilitati anteponendam. Et de æquitate quidem sic est jurisconsultis expeditissimum. Etiam honestas ante utilitatem notata Innocentio est. [h] Et Collatinum honestiora suadentem probarunt Romani seculo illo sanctiori magis, quam Brutum, qui suadebat utiliora. Summum item summorum præceptorum juris est honestas. [i] Et imperia nec sunt ad utilitatem constituta, sed ad utilitatem communem. *Tutela humani generis propria definitio principatus.* [k] Et sic definitur ab Aristotele honestum, quod respicit communem usum: & sic bonum a Baldo. Ergo principisque fue-

a *Liv.* 42.

b *Arist.* 2. *rhet.*

c *Cic. de off.* 2.

d *Aust. se. sup.*

e *Arist.* 1. *eth.* 8. *polit. Cic.* 14. *Att.* 7. *orat. pro Marc.*

f *c.* 8. *de vo.*

g *Bar. l.* 1. *C. de legi.*

h *Diony.* 5. *Liv.* 2.

i *l.* 1. *C. de eff. p. p. A. Cusa. c.* 4. *de co. ut Alc.* 8. *pare.* 15.

k *A.* 2. *rh. B. l.* 32. *de legi.*

fuerit, honeſtatem ſequi magis: quia privatum uſum tyrannus ſequitur ſcilicet. [a] Atque ſic Euripides igitur hic, *Non oportet, victores imperare, quæ non decent*: & de matre ab Oreſte cæſa, *Juſte factum ſed non pulchre.* [b] Huc & ducatur Ciceronis ſententia nobilis, non decere eumdem populum imperatorem, & portitorem eſſe terrarum: quod eſt generaliter, non debere portitorum more populum illum conſectari utilitatem, qui principis, viri multo honeſtioris, nomen conſectari & conſequi velit. [c] *Tu me mercatorem, Deus voluit eſſe imperatorem*: ait Theophilus uxori indignatus, nauticam exercenti. [d] Tanti eſt honeſtas, ut anteſtet quidem licito: etiam & cum aliqua iniquitate accuretur. [e] Honeſtatis cauſſa remittendum ait Auguſtinus & quod licitum, & quod commodum parti foret: definitque honeſtum, quod habet uſum opportunum: non honeſtum, quod uſum non habet opportunum. Et exemplis explicat. Quod affert cauſſam peccandi, id uſum habet non opportunum: ut ille ait. [f] Nos hic dicamus exemplum in eo, quod Judæi cæſi ſunt, qui Aquilam Romanam ferre ſupra templi fores, non paterentur. Nam etſi Romani victores illud potuerint jure facere, nec ex æquitate tamen debuerunt, nec ex honeſtate facere, etſi etiam utile. [g] Antiochus neque in adyta templi voluit penetrare: & ipſi Romani eaque templi ſepta ſibi intercluſerunt. Et hæc tamen adire, & & illas inferre imagines in devictis terris licere victoribus, & commodare poſſe, nemo non credet. Commodum victori eſt, ſubactorum rem nullam inſcrutatam relinquere. [h] Et ſic vetitæ conventiculæ. [i] Commodum item victori eſt, victoriæ monumenta exſtare ad gloriam: adque teſtificationem principatus. Et ſic paſſim factum ſemper. Sed hæc tamen inopportuna: quæ concire illic rebellionem potuerunt inque Deum, inque homines. Item & licitum erat, & commodum Romanis adverſus ejuſdem contumaciam gentis, habere in Judæa cuſtodes, & omnem Judæum illic apprehenſum necare: ut hoc habet in prima apologia Juſtinus Martyr. Verum ego honeſtum neque id dixero, quod eſt crudele: [k] Vitellius & hoc annuit Judæis, ut per eam terram non iter faceret cum imaginibus: [l] Majores noſtri, inquit Cicero, relinquebant hæc, quæ jucunda victis, nobis levia videbantur: ut haberent oblectamenta aliqua, & ſolatia ſervitutis. Et ſic pro honeſtate ſupra utilitatem Ciceronis ejuſdem diſputa-

a *Eurip. Hecub. Oreſt.*
b *Cic. 4. de rep.*
c *Zonara.*
d *l. 144. de reg. ju. Chaſſ. 5. ca. 28. 35.*
e *c. 9. 28. q. 1.*
f *Joſe. 18. ant. 2. bel.*
g *Joſe. 7. bel.*
h *Alc. 5. conſ. 107.*
i *Chaſſ. cat. p. 1. 13. 16. concl. 38. confid.*
k *Zonara.*
l *Cic. Verr. 4.*

tio firmat in libris De officiis. [a] Etiam lex inquit, nec sequi oportere, quod sit durum, etiamsi est quoque utile, ac dignum. [b] Et interpretes iterum, intelligi dolum illic, ubi commodum, id est utile præfertur honori. Etiam, & honorem publicum sic præferri commodo publico. Sic igitur, sic. [c] *Nec tibi, quid liceat, sed quid fecisse decebit, Occurrat: mentemque domet respectus honesti*, Suscipit tamen limitationem definitio in ea utilitate, quæ spreta periculum salutis habet. Si periculum adsit vel corporum, vel fortunarum, honestati huic, de qua agimus, utilitatem præferemus. Agimus de honestate, qua relicta non læditur justitia. Sine justitia quod est, nec licitum ex quantacunque utilitate est. [d] Et sic ergo capio Ambrosium, qui sic loquitur: & alii sic loquuntur: honestati salutemque postponendam: ut id sit de salute per injustitiam non quærenda. [e] Alioqui utilitati parent omnia, & leges. *Et salus populi suprema lex*: [f] Et ille apud Josephum sic recte, utile anteponendum. [g] Et Lentulus in senatu Romano, solam in bello spectari utilitatem. [h] Et idem senatus, insanorum esse, decoro magis, quam saluti consulere. Et tamen videtur, casusque esse posse, cum & iniquitas toleretur propter utilitatem. Non dixi, tolerari propter honorem? [i] Et ecce Brutus, qui nec incolumitatem absque honesto volebat, cum direptioni urbes quasdam dedisset, & unum hoc crimen in actionibus ejus notaretur, excusatur a Plutarcho, quod quasi in naufraga navi necesse sic fuerit. [k] Justa, & inevitabilis necessitas facit licitum: [l] Et Polybius, *Mihi videtur, bonos viros, atque præstantes nihil pluris facere debere, quam ut necubi officium præternittatur: venia tamen dari potuisset, si timore justo ob propinquitatem regionis Acarnanes statim soli bellum non movissent Ætolis cum fœderatis reliquis: alioqui Acarnanes præter cæteros Græcos præstare officium soliti*. Tolerari hæc, & veniam mereri dicimus, non justa esse. [m] *Si fas est dicere, justi ratio periculo post habenda*: sic Belisarius optimus & vir, imperator. Et eo hæc tolerabilia, quo isti, quibus contingit ita agere, magis dediti justitiæ sunt: ut de Acarnanibus, & de Bruto audis: constat enim, hos non injustitia duci, sed respectu rapi salutis, & summæ utilitatis. [n] Sic Cæsar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque vereretur, ne quid crudelitate naturæ videretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animad-

a *l. 22. de ju. fi.*
b *Chass. 5. cat. 26.*
c *Claud. in to. Ho.*
d *Ambr. 3. de off. 5.*
Duar. 1. disp. 11.
e *Chass. ult. cat. 98.*
f *Jose. 3. bell.*
g *App. Puni.*
h *Dionys. 6.*
i *Plut. Bru.*
k *Just. ed. 8.*
l *Polyb. 4.*
m *Procop. 2. Vand.*
n *Cæs. 8. Gall.*

nimadverteret, in deditos aliquando ſæviit. Quum & in modico læditur juſtitia, tanto eſt excuſatior, qui magnum ſectatur commodum. [a] Eum & laudari audimus. At ego volo tantum excuſari. Quæ dimidia juſtitia eſt. Integra juſtitia eſt, quæ honeſtatem rebus omnibus anteponit: quod Ariſtoteles ſcribit.

a *Ariſt. 3. eth.*

CAP. XIII.

De pace futura conſtituenda.

DIximus autem jam ſatis de his, quæ facere victor poſſit ulciſcendo præterita. Sed & de multis, quæ apta futuro ſunt. Atque de iſtis dicendum adhuc eſt explicatius aliquid. [b] Duas videlicet res præſtare ultio ſolet, injuriæ ſolatium, & in reliquum ſecuritatem. Et ita continet etiam vindictam in ſe. [c] Nam tradunt grammatici, ultionem eſſe præteritorum; & itaque Martem ultorem nominari, vindictam, ſive vindicationem futura prohibere. Eſt vero in parte hac, ſicut in altera, victoris arbitrium, quod cuncta diſponit. [d] Unde Alexander Dario, leges a victoribus dici, accipi a victis. [e] Et rex Romanus in pacis conditionibus definiendis victos ſecum diſceptari non patitur, ſed ſe totius arbitrum fœderis alicubi fert apud Dionyſium. Et conſul apud Livium, *victis conditiones accipiendas eſſe, non ferendas*: & Hannibal victus ipſe, *eſt quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones pacis dicere*. Item Philippus, *ejus eſſe priorem orationem, qui daret leges pacis, non acciperet*. Et idem, quod antea rex Romanus, & conſul, poſtea Chriſtianis Perſarum rex. [f] Vetuſtum autem hunc Romanorum morem teſtantur, ut cum quibus fœdere non æquis legibus amicitiæ jungerentur, non prius in eos imperium, tamquam pacatos uti, quam omnia divina, humanaque dedidiſſent, obſides accepti, arma ademta, præſidia impoſita forent. Hoc itaque nobis conſtitutum ſit. Sequitur vero, ut eam det pacem victor, quæ eſſe perpetua valeat. Illa ſiquidem eſt pacis natura, ut ſit perpetua. [g] Et ſic formula, *Romanis, & Latinorum populis pax eſto, dum cælum, & terra ſtationem eamdem obtinent*: [h] quam & alii populi uſurpant. [i] Et pacem ſine termino ſic faciunt imperator Romanus, & Perſa rex apud Procopium. Et ergo erit

b *Sene. 1. de ſi.*

c *Cor. Fron.*

d *Cur. 4.*

e *Diony. 3. Liv. 4. 30. 32. P. Æmil. 4.*

f *Liv. 28.*

g *Dionyſ. 6.*

h *Herodo. 4.*

i *Procop. 1. Perſ.*

vi-

victor injustus, qui pacem nec pacem tribuit: id est eam, quæ durare non queat, pax esse nequeat. Sed quid pacem facere perpetuam potest? [a] Respondet Augustinus, *præterita vindicando iram pascimus, misericordes si simus, in futurum consulimus*. Et Epictetus, quod pax sit tranquilla libertas. Una igitur tantum occurrit ratio solida; æquitas, quæ servata in ultione sit, & servetur modo in vindicatione, & in futuri conditionibus edicendis. Nam læsus supra meritum non fuerit tranquillus: aut concupiscet vindictam semper; & legibus oppressus immisericordibus durabit sub onere tantisper, dum obtemperandi cesset necessitas. [b] *Eam pacem* (inquit magnus historicus) *necessitas imposuit: atque iccirco non perpetuam*. [c] Quicquid scilicet necessitate fit, non durat, at solvitur cito. Quod legatique Romani ajunt apud Dionysium: & alii alibi: & ipse docet naturalis intellectus: & magistra rerum omnium experientia monstrat. [d] Et sic Privernatium legatus respondit audenter, quoniam sic justum esset liquido: servaturos suos pacem Romanis perpetuam, si æquam accepissent? non alias, nisi & vires rebellandi deessent. [e] Pax firma futura, si paritas undequaque foret: ait Epaminonda. [f] *Prima scilicet pars æquitatis æqualitas*: quod Seneca. Et tu cape de geometrica æqualitate: quæ non in re æqualis, ut arithmetica; sed in personis, tribuens pro cujusque conditione, & merito. [g] Hæc justitia dicitur Ambrosio, æquitatem communem custodire, & propter eam negligere etiam utilitatem propriam: & quod nequicquam sit judicandum utile, quod in commune non prosit. [h] Ut igitur quæstio sit, an æquum sit, quod ei, qui plus potest, utile sit: & hæc quoque definitio est, non esse æquum. Quod idem Cicero in libris De officiis, hoc est, in suo proprio loco, docet late. Ut quid dixerit in Topicis nec quidquam faciendum sit. Quæ porro hæc sit, quam quærimus, æquitas: cum ex supradictis multis patet: tum ex facto videndum fuerit. Alia enim, atque alia danda pax est, prout alii victi, atque alii: alii, atque alii victores erunt. De quibus constitui generaliter nihil potest. Idem videndum & de accessionibus, quæ comitari personas solent: quæque non minus considerari, quam personæ ipsæ consueverunt. At omnia tamen referri posse videntur ad illam utilitatem communem: [i] quam sic vinculum maximum dixit Hannibal vere: & ante illum Demo-

a *Aug. ep.* 202.

b *P. Æm.* 1.

c *c.* 27. *de cons. d.* 5. *Dionys.* 8.

d *Liv.* 8.

e *Plutarh. Agesi.*

f *Sene. ep.* 30.

g *Amb.* 1. *de off.* 24. 3. *co.* 4.

h *Cic. Top.*

i *Liv.* 36. *Demosth. ad ep. Ph.*

mo-

a *Jov.*11.16. 18. mosthenes: quamque pacis finem non dicimus. [a] Captus ab Alexandro Porus, in India rex nobilissimus, & interrogatus, quid vellet Alexandrum cum eo agere, ut se regie tractaret, respondit: & rogatus, quid præterea? in eo uno regalis tractationis esse omnia, retulit. Omnia in actione oratori esse Demosthenes adfirmavit. In uno aliquo esse omnia, cernimus sæpe. Atque ita nos in communi commodo ponimus omnia: quod est, si victis non minus, quam victoribus expedit, servare pacem. Si quid extra induci solet, quo firmetur pax, id, quicquid erit, infirmius videris vinculum, quam ut male materiatam obligare, ac continere amicitiam possit. Receptum namque est omnibus, debere se aptare præsentibus occasionibus, & prudenti adulatione sequi inconstantiam rerum: quasi sit deliberationum omnium auctor potentissimus commodum: itaque fœdera inire nova, relinquere priora, omnimodo augere imperium,
b *Jov.*11.16. 18. & potentiam volunt. [b] Ferdinandus rex, qui vocitatus Catholicus, cunctas belli rationes, fœderumque jura *vel cum pudenda mutatæ fidei labe, & gravi sociorum injuria* ad commodum suum referre solitus: principum amicitiam semper privatis commodis suis aperte metitus est. Et nec dissimilia tradita sunt de Ludovico Galliarum. De quo Christianissimo, & altero illo Catholico hæc quoque scriptor, *Ex horum regum ingeniis liquido compertum, nihil omnino sanctum, vel rite conceptis fœderibus reperiri, quod in augendis opibus fide integra, dolove nolint.* Et idem auctor alio loco, *Ea regum omnium fides, ut pro libidine sanctissimas fœderum leges attrectare, violareque non dubitent: cum semel præsenti tantum commodo, atque ipsis temporibus serviendum*
c *Hyp. de fæ. Alex.* *esse censuerint.* [c] Occasionem valere satis, ut sine justitia conficiatur, quod expedit, dixit Hyperides: & vix est ullus, qui factis non laudet. Age. Quid affinitas? [d] Duarenus elegantissime,
d *Duar. c.*3. *de ri. nu.* quod ut comœdiæ, ita belli cujusque gravissimi exitum esse aliquod cernimus matrimonium, Sed quid? Neque hic ego dixerim de his, qui pro opibus plures uxores habent: apud quos
e *Sallust. Jugur.* ([e] ut sic de Numidis Sallustius) levis ista ducitur necessitudo, quod animus multitudine distractus, nullam pro socia obtinent: pariter omnes viles sunt. De Christianis noto, & justis nuptiis.
f *Herodo.* 1. [f] Firmum vero vinculum & hic, & non Christiani ajunt, *&*
g *Virgil.* 11. *Ubi Servi.* *Inviolabile pignus*, ait Virgilius. [g] Et nemo nescit tamen;
h *Cuice.* 16. quan-

quantum & Chriſtiani principes faciant has adfinitatum obligationes. Nec enim quod eſt debilius, id conſtringet appetitum regnandi vehementiorem, & libertatis: [a] propter quæ rupta hæc toties fœdera adfinitatis, & alii narrant, & nos ſcimus. [b] Cupiditas vel neceſſitate potentior eſt. Et Tacitus hic, *Quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta ſunt irarum apud infenſos*. [c] Et philoſophus apud Dionem generaliter, *Quicunque potentiam affectant, cetera omnia cupiditati ſuæ poſtponunt: ita ut amiciſſimos etiam genereque proximos inimiciſſimorum loco habeant*. Et iple Dio de Cæſare, & Pompejo, *Id vinculum conſanguinitatis, quo eos natura adſtrinxerat, inexatiabili dominandi cupiditate tunc diſſolvere, divulſere, dirupere & ſummam neceſſitudinem priſtinam ſimul omnem*. Ridiculum, ut morte Juliæ ſolutum vinculum ejus amicitiæ, aut conjurationis potius, ut dicebat Cato, exſtiterit. Rectius addunt, ſublatum Craſſi morte. Rectiſſime adfirmamus nos, tum exſtinctum omnem fucum priſtinum, cum robore validum ſe ſentiret Cæſar, & illi jam invidere plurimum Pompejus incepiſſet. Quid juramenta? Et hæc ſemper ſunt in ſanciendis fœderibus. [d] Atque inquiunt plures, pignus eſſe firmiſſimum, ſummum: maximam apud homines obligationem, & conteſtationem obtinere: & certum, obtinere oportere: & ſolere apud quaſdam gentes obtinere, etiam ſcimus: [e] ac de Germanis obſervantiſſimis jurisjurandi ſingulariter traditur hodie. Hodie, inquam ego; nam olim alii fuiſſe videntur: ut ſuique fratres Franci: [f] quibus familiare ridendo fidem frangere. [g] Et forte Franci iidem qui Germani, certe ex Germania. Hos vulgus ſequitur. [h] Et forte igitur verumque vulgo, juramentum eſſe pignus deterrimum eorum, quæ domi ſunt pignora. [i] Et igitur Auguſtus, *Quæ ſponte fiunt, ea etiam citra jurisjurandi vinculum obſervantur: at quæ fiunt ingratiis, non, ſi millies jurata ſunt, præſtantur*. Scilicet, ut Scytha reſpondit Alexandro, *qui homines non reverentur, fallunt Deos*. Et cetera contra Græcos. [k] Contra quos & alii de iſta infidelitate: & contra Gallos, & contra alios: Et ſunt quoque exceptiones vulgares paratæ ſemper: quibus juramenti cujuslibet eleventur vires. At ſingula quid proſequimur? [l] Vecordem eum eſſe neceſſe eſt, qui, cum tantas mutationes fieri videat, & civitates neque inimicitiarum, neque jurisjurandi, neque ullius rei alte-

a *Sene. 6. de ben. f.*
b *Pla. Craty.*
c *Dio.* 38. 41.
d *c.* 1. 22. *q.* 1. *Polyb.* 9. *Procop.* 2. *Perſ.*
e *Nat. Co.* 3.
f *Vop. Procul.*
g *Hier. Hilar. & Hor. de ſen. c. ult.*
h *Alu. quæ ſi. reg.*
i *Dio.* 54. *Cur.* 8.
k *Polyb.* 2. 3.
l *Iſocr. Or. ad Phil.*

alterius rationem ducere, niſi ſi quid ſibi profuturum putent etiam nunc idem eſſe, non cogitet. Quæ Iſocrates. [a] Liberatio Franciſci I. ſollemniter facta, jurata, firmata adfinitate, obſidatu filiorum: nec tamen ſervantur promiſſa. [b] Et hoc erratum grave eſt, conſiderare, quid fieri oporteat, non, quid is faciet homo, qui facere habet: non, quod principes ſoliti utilitatem fidei anteponere: non, quod mos omnium eſt principum, utilitati honeſtatem poſtponere: non, quod nulla ita efficax eſt cautio, quin id non urgeat magis; ne hoſtis adeo magnus evadat, ut opprimere nos, ſi velit, valeat. Quæ viri prudentes apud Hiſtoricum prudentiſſimum differunt. [c] Et notantur ab aliis, qui de ſapientia tradunt. [d] Noſtri autem docent in univerſum, cautionem omnem fragilem eſſe, cum ceteris ſimilibus pluribus. [e] Certumque, & exploratum illud eſt, cogi in obſequium voluntatem non poſſe. [f] Et perpetuo verum, quod ſcribit Tacitus, in victores, victosque nunquam ſolidam coaleſcere fidem. [g] *Quos viceris, amicos tibi eſſe, cave credas: inter dominum, & ſervum nulla amicitia eſt:* ille idem ait ſupradictus Scytha. [h] Et itaque internum manet inter victos, & victores bellum æternum: dum potentiores timentur, & invidentur: quod Cæſar apud Dionem. Apud quem ſcriptorem prudentiſſimum & hoc legis, res duas iſtas, timorem, & invidiam eſſe, quæ amicitias diſſolvant. [i] Et apud alium æque præſtantem quidam Carolo V. quod poſt ſuſpiciones odium, & poſt odium offenſiones ſequuntur naturaliter. [k] *Hoc natura eſt inſitum, ut quem timueris, quicum de vita, fortuniſque contenderis, cujus ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis.* Et vulgatum Enniî, *Quem metuunt, oderunt.* Et ex his igitur, aliiſque plurimis, quæ dici poſſunt, ſic patet, vel eſſe ſupradictam æquitatem, & utilitatem communem ſectandam; vel ad alterum quaſi extremum abeundum, ſalubreque [l] (ſic quidam Romanus Papa) remedium veniendum, ut, quando voluntas auferri mala non poteſt, faciendi male facultas auferatur. [m] *Ut in eo non moturos quicquam Hetruſcos ponerent, ſi ne quicquam movere poſſent, præcaviſſet:* monet ille apud Livium. [n] Media hic conſilia plerumque inepta ſane. Teſtatur pax Romanis apud Caudium a Samnitibus. Teſtatur illa liberatio Franciſci I.: & quicquid conſilia media tenuit. [o] Sic ergo Lentulus contra Carthaginenſes, *Quoniam perfidiam*

non

a *Guic.* 17.
b *Guic.* 6.
c *Card.* 3. *de ſap.*
d *l.* 19 *com. l.* 31. *de act. com. l.* 66. *ad Treb.*
e *Dio.* 48. 55.
f *Tac.* 2. *hiſt.*
g *Cur.* 8.
h *Dio.* 38. 39.
i *Guic.* 17.
k *Cic. pro Syl.*
l *c.* 1. *de pœnit.*
m *Liv.* 27.
n *Card.* 3. *de ſap.*
o *App. Punic.*

non poſſumus tollere, ante omnia debilitemus potentiam. [a] Et Cato Hiſpanis, *Id ne fiat, uno modo caveri poteſt, ſi effectum erit, ne poſſitis rebellare.* [b] Et ſic noſter Baldus, quod nec amico reconciliato debeo tribuere, ut poſſit, ſi velit, offendere. [c] Et neque ex præſenti facultas hæc eſt metienda, ſed & ex futuro, eoque longiſſimo, ut cenſet Demoſthenes recte. [d] Etſi enim non ſolemus timere longe poſt futura: timere tamen debemus: debent certe principes. [e] Statim non fidendum inimico reconciliato, ajunt. [f] Sed inimici ſunt, qui habent cauſam inimicitiæ, etſi contrarium oſtendant. Et igitur frangantur victi vires: timor etiam addatur, ſi quid aut ſic audeat movere. [g] Ut hæc duo ſunt, fragilitatis conſcientia, & pœnæ timor, ex quibus omnia fere jura humanitatis oriuntur, quibus inter nos cohæremus: quod Lactantius. Ea diſceptatur de re apud philoſophos, ſi timeri expediat magis, quam amari: [h] atque ſtultum aliqui dicunt, & tota via erroneum, amori magis confidere. [i] Sed & qui defendunt, aptius nihil eſſe, quam diligi, nihil alienius, quam timeri: hi tamen docent, quemadmodum iis, qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt. Atque hic ſi ſibi cavet victor, ne quid voluntati victi relinquat, accuſari non poteſt juſte. [k] Etiam inanis timor probatur in eo, quod ab aliena voluntate pendet, [l] *Suſpecta ſemper potentia, dum velle creditur, quod poſſe judicatur.* Merito nam ſcribit Ariſtoteles, facere homines magna ex parte injuriam, quando poſſunt. Et omnium igitur ſuſpecta poteſtas: & quanto igitur magis hoſtis victi? [m] *Omnia* (inquit M. Tullius) *ſunt incerta, cum a jure diſceſſum eſt: nec præſtari quidquam poteſt, quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam, libidine.* [n] Addo illa ejuſdem, *Non faciemus, inquit. Primum neſcio: deinde timeo: poſtremo non committam, ut veſtro beneficio potius, quam noſtro conſilio ſalvi eſſe poſſimus.* Non prudenter, ut eleganter? [o] Et Iphicrates non etiam acute, Lacedæmoniis pollicentibus omnem fidem, & ſecuritatem, non alia fide, reſpondit, ſe poſſe adquieſcere, quam ſi probarent, ſe, etiam ſi vellent, nocere non poſſe. [p] Etiam illa Cardani advocaverim huc, dicentis vel cauſam belli licitam, *ſi periculum eſt ad hoſte, ita ut cogaris fidei ſuæ ſalutem tuam*

a Liv. 34.
b Bal. 2. conſ. 195.
c Demo. pro Megalop.
d l. 2. ne q. i. l. p. & l. 1. de rip. mu. Ariſ. 2. Rh.
e Alc. 5. conſ. 132.
f Inn. c. 22. de re jud. Bal. 5. conſ. 41.
g Lact. de op. c. 4.
h Car. 3. de ſap.
i Cic. 2. de off. Com. 4.
k Ang. l. 4. ad Treb.
l Caſſio. 3. va. 36. Ariſt. 2. rh.
m Cic. 9. fam. 16.
n Cic. agr. 1.
o Demo. adv. Ariſt.
p Card. enco. Nero.

committere: ut enim optimus ſit princeps, malus ei ſuccedere poteſt: ideo cum non niſi juſtis legibus recte vivere, & beate liceat, curandum eſt, ne vicinis armis impediamur. Sic & in futurum (ut dixi) proſpicitur, & adverſum ſucceſſores. Timori, & malo proſpicitur, quod eſſe poteſt ab animo hoſtili. [a] *Nam quis unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non perutiat, certe ſollicitat. Securius igitur eſt, perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe.* Et igitur audi P. Syrum, *Ita crede amico, ne ſit inimico locus*: etiam humili: nam *etiam capillus unus habet umbram ſuam*, Age: [b] & quando plus cautionis in re eſt, quam in perſona: age victor, impone victis præſidia: [c] quæ hos humiles efficere, & maxime ſubjectos ſolent. Poſce obſides: & qui victo ſunt cariores: ſive hi viri ſunt, ſive feminæ. [d] Feminæque datæ regi Porſenæ acceptæ, Auguſto, qui negligi marium pignora ſentiebat. Et nulla eſt ratio, cur peti obſides nequeant mulieres. An tu contrarium putas? Illud eſt certum, cariores eos eſſe, qui libertati aſſerendæ, & regno tuendo ſunt aptiores. [e] Nam jus hoc libertatis, & regni quavis eſt caritate, & cupiditate potentius. Et vilum in Franciſco I., qui optione accepta, an traderet nobiles quoſdam duces Carolo V. obſides, an filium, maluit iſtum. Verum ad fines politici accedimus per hujuſmodi tractationem, & a noſtris diſcedimus: & ſapientiam iſtam humanam cum Cardano tradere velle videmur. [f] Ille id tradit, quomodo ſine ſeditione retineri poſſint, quæ bello parta ſunt. Nos de naturali ſapientia quærimus: quæ docet, quid fieri juſte valeat. Et noſtram ergo diſceptationem ſic concludamus, licere victori, jure naturæ ſalvo, omnia facere, quæ ſtabilem ſibi victoriam, & juſtam ſibi, victoque valeant pacem. [g] Omnia in manu ſunt victoris: his exceptis, quæ a jure gentium manant. [h] De cautionibus omnia in arbitrio ſunt judicis, qui hic victor eſt. Et qui ex qualitate perſonarum, periculi, & locorum habet ſtatuere, quæ caveant, & quæ non caveant cautiones. Id fatentur noſtri omnes. Et dici obſervatam moderationem, etiam ſi ſit ventum ad maximum, & extremum remedium, ſi viſum bonum nullum aliud ſit. Et hæc Alciatus. Et hactenus ad priorem partem de pace, quam victis victores conſtituunt.

a *Hier. ep. 47.*

b *l. 25. de reg. jur.*

c *Xenoph. 7. Cyrop.*

d *Liv. 2.*

e *Guic. 21.*

f *Card. 3. de ſap.*

g *Bal. 1. conſ. 409. Decia. 3. 19.*

h *Alc. 5. conſ. 132.*

CAP.

CAP. XIV.

De jure conveniendi.

ALtera eſt pars de bello componendo ab utroque belligerante. [a] Nam aut victoria detrahuntur arma, aut conditione ponuntur, aut defatigatione etiam abiiciuntur. Et hoc poſtremum non habet ullam pacem. [b] *Bellum magis deſierat, quam pax cœperat?* Tacitus diceret. [c] Et M. Tullius, *Summum otium, ſed ſeneſcentis magis civitatis, quam adquieſcentis.* Sic ſæpius (non dubium) deſierint Romanis bella cum Germanis, Luſitanis, Parthis. [d] *Eo modo* (fugato Pacoro, ejuſque exercitu cæſo a Caſſio) *bellum Romanorum contra Parthos, quarto, quam inceperat, anno deſiit:* Dio. De jure autem victoriæ dictum eſt. At de jure conveniendi quid dicemus, ſi voluntatis ſunt omnes conventiones? Illud videlicet, quod ubique obtinet, agendum ita, ut perpetua pacis conventio eſſe poſſit. [e] Quod pulchre Baldus reſpondit, ut tranquillitatis perſeverantia quæratur: ne recidivis injuriis iterum veniatur ad arma. Trutinanda omnia: quoniam quæ in morbis relinquuntur poſt criſim: ea ſubverſionem facere conſueverunt. [f] De medicis Baldus, medici filius, Qui, quod humoresque a putrefactis tacti, & cineres putrefactorum relicti facile accendantur, ajunt. [g] Etiam defendunt, eumdem eſſe recidivum morbum cum priori. An & Matthæus, meus pater, ornatiſſimus medicus, non transfuderit in me de re medica tantum, Franciſcus ille quantum Baldi pater in filium? Tantum utinam de ſcientia juris cepiſſem ego, quantum docere me Baldus poteſt. Verum an & nos bellum dicemus idem, quod ex priori ſic eſſet, quaſi ex radice relicta? Pax certe non eſt, quæ non omnem exfundat controverſiam. [h] Morbus non curatur, niſi radix exſtinguitur. Non eſt corpus ſanum, ſi ſperatur reverſio morbi; Nec quiſquam dicitur liberatus, cum perſeverat qualitas infirmitatis. Quæ idem Baldus de legibus oſtendit. [i] Et Moſchus inepte inducias in cæteris, non in ducatu Lituaniæ a Polono petiit: quare & reſponſum accepit, haud convenire, ut inter duos principes bellum ſit, & pax eodem tempore. [k] Sic Tullus, in conveniendo cum Albanorum duce, monebat, non tam

a *Cic. 6. fa. 2.*
b *Tac. 4. ann.*
c *Cic. 2. ad Q. F. 14.*
d *Dio. 40.*
e *Bal. 2. conſ. 195. 1. 326.*
f *Hipp. 6. epid. 2. & Mercat. ad 2. de morb.*
g *Vall. 10. contr. 5.*
h *Bald. l. 1. C. de ædi. act.*
i *Na. Co. 27.*
k *Dionyſ. 3.*

tam cogitandum de ſanciendâ in præſens amicitia, quam ne relinqueretur in poſterum ulla renovandi belli materia. [a] Iſocrates illud vituperat, quod non componerent Græci, ſed differrent bella, donec alios alii perdere potuiſſent. [b] Inducias triſtiores, ſequuturo mox prælio, dicit Ambroſius. Et ſane ſic induciæ magis, & infideliores multo induciis certis: ſi non tollitur bellum, at immo etiam incerto tempore occulitur: cum certæ induciæ ſint certiſſima belli inductio. [c] Quid ſi ſic induciæ dictæ ſint ab inducendo, cancellis circumſcribendo: quod bellum veluti cancellis quibuſdam circumſcribant, non deleant? [d] *Sed pax eſt non in armis poſitis, at in abjecto omni armorum metu*. Et igitur incumbendum eſt, ut pax perpetua, certa conſtituatur. Nobis autem nunc videndum de hujus conventionis natura. [e] Stricti autem juris contractum, ut tranſactionis, dicit Baldus. At ego contrarium docui, perque fundamenta de ipſo Baldo accepta, in capite quarto libri ſuperioris. Nam quid ſi ſit tranſactio? eſt tamen nominatus contractus, & quidem principum: quorum contractus omnes ſunt bonæ fidei. [f] Eſt omnis principalis tractatio ex bono, & æquo: omnis conſuetudinum, & inſtitutorum gentium: ut recepta interpretum eſt ſententia. [g] Fides exuberantior requiritur in contractibus principum: ut ipſe ait Baldus. [h] Et fœderis nomen ducitur quibuſdam a fide. [i] Et bonam in eo fidem tenere locum ſummum debere, dicebat Petrus Medices alicubi. Non ſtrictum hic jus, aut juris rigorem ſectabimur: [k] ſub quo plerumque erratur perniciose. Non admittemus diſputationes ſubtiliores, deque apicibus juris: [l] quæ, æqui, & boni ratione prætermiſſa, res examinare ad vivum ſolent. Quales iſti eſſe debent contrahentes, tales ſint: [m] quoniam & tales creduntur. Et itaque fraudes omnes abſint: & exceptiones omnes ſubtilis juris ceſſent: tantumque dicatur, quod principem deceat. [n] Non convenit exceptio de apicibus juris his, qui volunt exiſtimari magnæ fidei: nec in judiciis ſolius æquitatis admittitur. Aliquando exceptum eſt de imperfectione conventionis: quæ ſignis, aut ſubſcriptionibus non ſit munita. [o] Sic de ſalvo conductu Gallus reſpondit Italo, non ſubſcripto a ſecretariis, nec ſigillato, & ſubſcripto tamen a principe. [p] Sane & ſubſcriptiones, & ſigillationes deſiderat hic conſuetudo. [q] Et tamen valet inſtrumentum ſine ſubſcriptione, & ſigno: quia reſidet auctoritas in

a *Iſocr. paneg.*
b *Ambr. Tob. c. 5.*
c *D. de his, quæ in tr. de. ubi Cujac.*
d *Cic. 10. am. 6.*
e *Bald. d. 195.*
f *Hot. conſ. 25.*
g *Alc. 8. conſ. 45.*
h *Iſid. 18.*
i *Guicc. 26.*
k *l. 91. de V. O.*
l *l. 29. ma l. 31. depo.*
m *Dec. conſ. 97.*
n *Alc. 8. conſ. 28.*
o *Guicc. 2.*
p *Decia. 1. conſ. 18.*
q *Dec. 146. 147.*

in auctoritate notarii. Quanto igitur magis hic residebit in auctoritate, & manu principis? [a] Et contra, sine subscriptione sigillum satis esse videtur, quia littera & sigillum æquiparentur. Addebat Gallus, nec traditum fuisse Italo instrumentum. [b] Sed Ludovicus XII. Galliarum credidit, dispensationem factam, satis: atque ita matrimonium consummavit; etsi instrumentum nondum habuisset. Videtur tamen necessarium, ut salvoconductus instrumentum traditum sit: ante enim in potestate concedentis est tota res: nisi forte datum verbo est: & instrumentum ad cautionem, & probationem sit. [c] Qua de re locus est communis in jure nostro. [d] Et si causa est mihi delegata: & id ego scio: necdum tamen accepi rescriptum: exercere jurisdictionem non possum, pendet enim jurisdictio ex productione rescripti. Idem in procuratorio dixerunt Hostiensis, & Archidiaconus. Sed de hoc aliter Baldus. Qui, quod & sit in gratia satis, si ea exierit cancellariam. Hic est videndus & de aliis, & de sigillo, quod per se sine subscriptione sit nihil: & quod aliquando est ad substantiam, & sit necessarium: non si ad apparentiam, &c. [e] Etiam alii dicunt, non videri actum perfectum, si desint subscriptiones: & ex imperfectione scriptorum significari imperfectionem conventionis: & sigillum solitum si desit, itidem non existimari actum perfectum. [f] Et sigillum principis habere plenam sollemnitatem: sed & ex consuetudine satis esse sigillum appensum, &c. [g] Ille casus habet minus dubitationis, quod catholici reges noluerint aliquando paci stare per generum initæ: qui ad id tamen habebat mandatum amplissimum. Sed reges respondebant, instructiones limitatas genero fuisse additas. [h] Male: & contra illa, quæ decent principem? *Semel locutus Jum. Quod scripsi, scripsi: Unus calamus, una lingua: Immobilis, ut lapis angularis, ut polus in cælo:* &c. Horum autem catholicorum duo calami, duæ linguæ. Et, quod est intolerabilius, calamus ille instructionem, & lingua illa hosti ignara. Aut quod potest certum iniri fœdus, si ratio ista recipitur? [i] Sic legati Florentini obligant se, & civitatem ex mandato: at ait civitas postea, illud de mandato ita fieri apud eos ex more; verum nihil esse autem ratum, quam magna probasset factum concio civitatis. Eccui poteris mandato credere, si ratio ista recipitur? Aut res adeo necessaria vitæ hominum, [k] ut est usus procuratorum, de vita

a *Bal. l. 2. C. de re. al. non alt. & ibi ad.* b *Guicc. 4.*

c *l. contractus, C. de fin.*

d *Bal. l. 1. de procur. l. 19. C. de jud.*

e *Oldr. de præsu. Cons. 5. cas. 24.*

f *Bal. 5. cons. 508. Alc. 8. cons. 1.*

g *Guicc. 6.*

h *Dec. cons. 286.*

i *Comm. Pis. 2. lib. 4.*

k *l. 1. de proc.*

vita tolletur? Contra hos Florentinos Pius II., turpe mittere mandata invalida; & turpius eis uti. Veriſſime. Etſi nihil profecit Papa. Metus præterea exceptio non decet principem. Sed nec admittitur in iſto vis, & armorum tractatu. [a] Ait Cicero, *At non debuit ratum eſſe, quod erat actum per vim: quaſi vero forti viro poſſit vis adhiberi.* Et dic tu, quaſi vero militi, viro fortitudinem profitenti, conveniat metus exceptio. [b] Profeſſori juris turpe eſt, jus ignorare: adeoque eſt negatum, juris ignorantiam cauſſari. Et ſic nemo contra quam profitetur, dicere poteſt. [c] Non hic habet locum edictum, *Quod metus cauſſa*: eſt enim metus hic quid naturale. Metus eſt de natura victoriæ, inquit Baldus: & ergo ſervanda pacta ab eo, qui ſub duello vincitur, & paciſcitur: & idem de pactis dedititiorum belli. [d] Hic errant plerique ſane: qui immo tradunt, principem hoſtium captivum non poſſe pacem conſtituere: quia in metu verſetur: & inſuper addunt, pacem initam nec obligare vel ratam habitam a reverſo in regnum, ſi obſes aliquis relictus ſit: pro quo ſollicitus princeps ſit magis, quam pro ſe fuerit: quia promiſſis metu non ſtandum. [e] Et hoc eſt, quod in cauſſa Franciſci I. Galliarum: qui captivus Cæſaris pepigit pacem: [f] peſſime reſpondiſſe tum noſtros doctores, veriſſime monet Joannes Bodinus. [g] Sed & alii hoc nobiſcum, & cum Bodino tradunt, valere hæc captivorum, niſi injuſte captivi ſint. Atque id in bello juſto, & tum captis non dicitur. Sic ego teneo de juſte captis. [h] Quidam tamen ſic dicunt, nulla habita conſideratione, an juſte, vel injuſte quis captus ſit. [i] Edictum prætoris ad metum, qui licito, ut eſt bellicum, infertur jure, non pertinet. Et putem ego tamen, captis in bello juſto vim injuſtam, & injuſtum metum inferri nonnunquam: & propterea non neceſſe eſſe, ſtare eos conventis. Docui antea in titulo de permutationibus, & in titulo de ſervis, quæ ea ſint injuſte captivis illata. Quod ſi quis roget, an jusjurandum captivos obliget in metu injuſto: reſponderim ego, quæſtionem eſſe plurimum theologicam. Et tamen, quod ſpectat ad jus hominum, certum eſt, non obligare. An ſi promiſit, non militare patriæ, jusjurandum obligabit? [k] Jure gentium debetur principi, patriæ. Et itaque nec naturalis eſt obligatio; nec ſit jurata. In cauſſa Franciſci I. id ad rem, non eum potuiſſe de provinciis regni paci-

a Cic. 3. de off.

b l. 2. de orig. ju. l. 1. de extr. co.

c Bal. C. de de. lit. Saly. l. ab hoſtibus, C. de po. re.

d De conſ. 219. 691.

e Guic. 17.

f Bod. 5. de rep. 6.

g Rom. conſ. 316. ubi Mand. Cepb. 654. Bal. ub. C. de re. ve.

h Decia. 3. conſ. 102.

i Duar. l. 1. de paſt.

k Bar. l. 46. de fide juſſ. Bod. d. c. 6.

paciſci. Non defendo, quin rex ille redire ad carceres non debuerit: obligatione rei ſalva: perſona erat valide obligata. [a] Et alter Gallus rex, captus, ita dimiſſus ſub obſidibus rediit. [b] Non poteſt princeps in rebus, ac bonis ſtatum ſuum graviter lædere: eſſet enim (ut loquuntur) homicida ſui principatus; ſi poſſet hunc notabiliter lædere. [c] Et rex Galliæ nec quidquam poteſt minuere. Atque ex his, quæ dixi, vides luſum ſuiſſe Clementis VII. verbum: [d] quod res eſſet indigniſſima, ut probaret vivus, quæ pepigerat mortuus: id eſt, ut quæ pepigiſſet captivus, ea probaret liber factus. In principe captivo hoc putem, non eſſe neceſſe, ut ei obtemperent ſubditi. [e] Et ita rex Neapolis Alfonſus ait captivus. [f] Et ita Scoti, ſe ei (regi ſuo) non parituros, qui in aliena poteſtate eſſet. [g] Et Delphinus, aliique principes Galliæ abnuunt pacem cum his conditionibus facere, quas illorum rex accipiebat in Anglia captivus. [h] Atrociter is, qui arcem Cæſenæ cuſtodiebat Valentino duci, miſſum ad ſe, qui Valentini mandato arcem reciperet, ſuſpendit: & addidit, inhonorificum ſibi, ſi pareret Valentino, domino ſuo, tum captivo: itaque pœnam meritum, qui auſus fuiſſet, id exponere. Sed quid ſi fœdus percuſſum eſt cum minore? [i] Et Eduardus III. Angliæ negabat, ſe fœdere teneri, quod ſe minore cum Scotis ictum erat. [k] Atque hic tenendum ſic eſt, non eum eſſe minorem, qui jure regnandi aptus regno eſt, & muneribus regni. Et ſic ſane ætas minor majore conſideratur pro re, de qua agitur, ut eſt ad ſponſalia ſeptennium, major ad matrimonium pubertas. &c. [l] Et illa definitio annorum viginti quinque eſt civilis juris Romani. Non etiam dicet princeps, ſe eſſe filium familias qui pater immo populorum eſt. Et cum nec conſideretur in publicis poteſtas patria. Nec dicet iſta miles: & minus is, qui pater militum eſt. [m] Quod Alciatus in Philippo I. Hiſpaniarum reſpondit. Etiam & de abolita patria poteſtate conſiderat. Et tandem facto, ac ſilentio hic quoque, ut in privatis, dices ratificari fœdus. Nec dicetur, tempus non currere impedito, cum fructusque capitur beneficii fœderis. Fraudis exceptio admittetur hic: quæ dedecet malitia principem valde: & ab omni contractu reiicitur. Neque nunc putes quicquam hoſticum, cum pacis negotium agitur. [n] Fraus vi fœdior, quæ inſidiis juſti propoſiti graſſatur. Erroris etiam exceptio ad-

a *Bod. 1. de rep. 8.*
b *Cephal. 408. 615.*
c *Hot. de re. Fra.*
d *Guicc. 18.*
e *Colen. 6.*
f *Buch. 10.*
g *Polyd. 19.*
h *Guicc. 6.*
i *Polyd. 19.*
k *l. 57. de re. jud.*
l *Hotom. 2. de feudis 53.*
m *Alc. 9. conſ. 59.*
n *Thucyd. 1. 4.*

admitti debet. [a] Si verum eſt nihil eum agere, qui errat. [b] Et demens ſit, qui fidem præſtat errori. Item excipitur de rerum ſtatu immutato. [c] Si mutatio nequiit prævideri. [d] Etiam & adjecto jurejurando ſubintelligi clauſula, *Rebus ſic ſtantibus*: non in teſtamentis modo, ſed & in contractibus aliquando: immo in qualibet diſpoſitione ſemper: & omnium eſt opinio. Eleganter autem Seneca, *Tunc fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant permittente me, non præſtitero promiſſum: alioqui quicquid mutatur, libertatem facit de integro conſulendi, & meam fidem liberat*. [e] Caſus ſuperveniens facit, ut provideri ſubditis poſſit, etiam ſi conſequutive hinc aliquid fieret contra capitula pacis initæ cum alio principe. Quod Baldus. [f] Novæ perturbationes fœderatum excuſant. Quod Venetus ſenator magnus. [g] Et Baldi frater, quod ſi auxilium promitto fœderato, mihi autem tanta ingruat vis, ut res meas vix valeam ſuſtinere, non ei jam teneor: nunquam enim auxilium alteri præſtandum ſic intelligi, ut me debeam ſpoliare: nam ordinata caritas incipiat a ſe ipſa. Generaliter illæ omnes exceptiones admittentur, quæ pactum quaſi contra naturalem rationem eſſe dicent, in malis promiſſis nec obſtringitur fides. [h] Et ut ſe habet conventio inter privatos, ita inter principes: qui faciunt ſe ad inſtar privatorum. [i] Et fœdera, & conventiones principum exponendæ ſunt, quantum pote eſt, a lege, & ratione civili. Id Alciatus. Sed quod eodem loco Alciatus ex hac regula, quod ſi in capitibus pacis convenit, ut ita poſſiderent, quemadmodum ante bellum poſſiderent, is ſit per caput iſtud reſtituendus, qui fuit ultimo ſpoliatus: id proculdubio non bene. Nec enim, quia ita ſit in diſceptationibus civilibus, ita & in bellicis eſt. Scilicet reſtituitur ſemper in civilibus poſtumus ſpoliatus: quoniam illic ſpoliatio ſemper improba, ubi jure agitur: at hic vi, & ferro res geritur. Et igitur ultimumque ſpolium juſtum eſt. Alia cavillatio Alciati in eodem reſponſo, ea patefacta in titulo De induciis.

[a] *l. 116. de reg. jur.* [b] *Sene. 4. de benef.* [c] *Alc. 8. conſ. 35.* [d] *Alex. 2. 72. 7. 170. Alc. 8. conſ. 39. Ceph. 60.* [e] *Bal. 2. conſ. 195.* [f] *Guicc. 14.* [g] *Ang. l. 7. ad le. Rh.* [h] *Bal. d. 195.* [i] *Alc. 5. conſ. 37.*

CAP.

CAP. XV.

De quibus cavetur in fœderibus : & de duello.

[a] ILla autem translatitia in isto contractu, ut de legibus, libertate, agris, locis, ædificiis, amicitiis, armis, exercitibus, classibus, arcibus, præsidiis, aliis ejusmodi rebus caveatur. [b] At, de his prius quam incipio dicere, absolvam unum, si princeps duello potest de pace ineunda, & de his omnibus constituere. Et duellum vetitum canonico, & civili jure esse, receptum est. [c] Hotomanus tamen disputat, videri posse duellum licitum: quia bellum licitum sit: inquit. *Si quod belli jus est, (de quo inter omnes sanos convenit) etiam duelli jus esse oportet: nam si centenis millibus pugnare jus est, etiam denis millibus, & millæ, & centenis, ad extremum etiam binis pugnare, jus est.* Et vero sic videtur licitum duellum, ut bellum licitum est: cum non personæ privatæ sunt. Etiam admittitur duellum, ubi est bellum: quoniam cessat tum ratio altera vetans duellum, quasi per hoc Deus tentetur. Hæc scilicet ratio & adversus bellum videtur. Et hæc tamen nullo modo est adversus bellum: quod dixi a necessitate esse: ubi non cadit tentatio. Et igitur duellum improbatur, quia non necessarium: & quia non sit jus privatorum pugnare: non quia parvo, aut magno pugnantium numero depugnetur: nec quia minori, aut majori incommodo conficiatur: [d] ut in hoc decipitur Casertanus, dum licitum magis duellum respondet, quia a duello minus malorum exsistat. [e] Et ergo bene nostri, & philosophi docent, detestandum duellum. [f] Sed & nostri, & philosophi probant, & valde laudabile, & glorioſum ajunt duellum ex causa, ut bellum finiatur, ut majus vitetur malum. [g] Sic institutum fuisse duellum inter Davidem, & Goliatum: inter Menelaum & Paridem: inter Æneam, & Turnum. Sic inter alios de quibus alii recenſuerunt. [h] Sic finitum bellum inter Romanos, & Albanos ternorum certamine. [i] Et aliud inter Romanos, & Persas sub Valentiniano. [k] Et aliud pugnante Heraclio Imperatore cum rege Persa. [l] Finitum certamine binorum inter Ætolos, & Elæos, [m] Et ad finiendum electi Lacedæmonii, Argivique trecen-

a *Sig. 1. de a. i. t. 1.*

b *Alc. fi. ca. c. 3.*

c *Hot. de fœd. c. ult.*

d *Caser. 2. de fi. ce. 5. 24. & lib 6. fc. 5.*

e *Dec. 487. ubi Mol. P. c. 6. ci. phi. 22.*

f *Bal. rub. C. de de. li. to.*

g *1. Sam. 17.*

h *Liv. 1.*

i *Cedr.*

k *Bonf. 1. Ung. 8.*

l *Pauſ. 5.*

m *Herodo. 1 Plut. coll. Ro. & Gr.*

ni. Suborta autem lis de victoria: quod nox cum diremisset prælium, & duo superfuissent Argivi, Laco unus: illi victoriam suam pro majori superstitum numero dicebant: Lacones autem vindicabant sibi, quoniam ille unus, hostibus mox timidis, & fugientibus, & admansisset, & spolia collegisset. Sane qui locum retinet pugnæ, is victor creditur. Et ita Amphyctiones pro Laconibus judicarunt. Sed hic hostis hostem videtur non
a *Plin.4. ep.* 9. pepulisse: [a] *nox prælia dirimit*: itaque Lacon per naturæ & temporis inducias substiterit: si non de fuga per timorem facta ostensum sit. Quod si utrinque disceditur, tum unus, qui ceciderit amplius ab una parte, ostendere hanc victam potest etiam in magnis præliis. Et hic valet argumentum a duello ad prælium: quid ni? [b] Et apud Livium, & alios exstat exemplum unum. Et hoc tamen ego sic accipio, nisi una pars suorum ca-
b *Liv.1.Plut Publ. Zonar.2.*
c *Just.5.Plut. Nic. Lys.* davera repetat ad sepulturam. [c] Nam est receptum consuetudine, ut pars victa censeatur hæc. Sed & rationis est, ut, qui rogat, inferior censeatur, & victus. Et potest tamen nec ita esse: nam victus rapuisse potest, in locum tutum fugiendo. Quid si Patrocli cadaver raptavissent Trojani in urbem? Quid si acie victi fugissent in castra, ubi ingressus aliquis a victoribus occubuisset?
d *Liv.39.40.* [d] At ad hæc audi etiam Livium, qui sic de Romanis, & Celtiberis, *Incerta victoria discessum, nisi quod Celtiberi castra inde nocte proxima moverunt: Romanis & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestas facta est.* Et postea, *Nec aliud magnopere victores fuisse Romanos, nisi quod postero die manentes intra vallum prælio lacessierint, spolia per totum diem legerint.* Potest esse, ut pars abeat, & altera maneat, legatque spolia:
e *Cuic.2.* & nec illa tamen sit victa, nec ista victrix. [e] Ecce ego consensui universali accedo: & victoriam Gallis ad Tarum tribuo. Etsi abierint illi: Itali autem manserint, & spolia legerint. Nam Italorum cecidere longe plures: & pulsi loco a Gallis fuerunt: & hoc unum contendebant Galli transire: & transierunt Italis
f *Ariost. can.* 31. *Just.ann. Ge.* 5. invitis: [f] ut sic etiam Ariostus, alii. [g] Alia fuit quæstio de victoria inter Philippum regem Macedoniæ, & Attalum Pergag *Polyb.16.* mi. Vindicabat victoriam Philippus sibi, qui cepisset regiam alterius navem, & non a pugnæ loco procul stationem fecisset, & spolia collegisset: sed fallo (Polybius ait) id vindicabat: cum ex suis multa hominum millia, naves sine comparatione

plures

plures perierint. Attalus autem naves pauculas, & paullo plures centum viris amiſerit. [a] Plutarchus in Sympoſiacis habet quæſtionem ſuper Paridis duello, & Menelai: ſed quæ naſcebatur ex verbis pactorum: nam dictum a principio erat, *Victori conjux Helena, omnis gazaque cedat*, poſt vero, *Si Paridi dabitur, Menelaum ſternere letho: Tum gazam teneat, ſitque illi Tyndaris uxor. Fulvus Alexandrum ſi vero necat Menelaus, Dardanidæ gazam reddant, Helenamque marito.* Et quidem ex primis verbis fuit ſatis Menelao fugaſſe Paridem. Sed ex ſecundis mors ſequi debuit. [b] Atque ad jus noſtrum apte ille apud Plutarchum in decretis, legibus, fœderibus, pactis ſemper poſterjora prioribus plus valere. Item non eſſe poſteriora hic adverſa prioribus, ſed quaſi declarativa ejus, quod illic eſſe obſcurum potuit, quando victor intelligi ſive Menelaus, ſive Paris debuiſſet. Nam audis, non ſemper exploratum, quis vicerit: quod eſt exploratiſſimum altero mortuo. Et ergo (ait Plutarchus) ut in legum repugnantiis judices id amplectuntur, quod nihil habet controverſiæ, obſcuriore repudiato: ita hic id pactum cenſeamus eſſe potius, & plus valere, quod finem certaminis exprimit notum, & nulli obnoxium præſcriptioni. [c] Sic & interpretes dicunt juris noſtri, verbum ambiguum in una parte poſitum, ex alio verbo claro declarari. Et ſine dubio hæc eſt recepta interpretandi ratio omnibus. [d] Sed & illud noſtrorum hic facit valde, quod præcedens verbum generale a ſequenti ſpeciali & declaretur, & reſtringatur. Et id genus afferri plura poſſunt. Nec nocet, quod ex adverſo proferebatur, priorem conditionem oblatam a parte altera, non potuiſſe ab altera mutari: tamquam ſit auctoritatis majoris oratio ejus, qui offert, quam ejus, qui accipit. [e] Nam immo qui reſpondet, is eſt, qui dicit. [f] Et diverſitas ſecundæ orationis placuiſſe hic intelligitur: cum in verborum obligatione nec ſimus. Adde, quod tamen victus Paris ſemper cenſebitur, per quem fugientem ſtetit ſcilicet, ne finis fieret certamini. [g] Ecce tradunt noſtri interpretes, quod ſi promiſi dare, ſi me in curſu viceris, & nolim currere, dare tenear. Vides, quam multa ſint, quæ in judicando de victoria examinantur. Et nobis notata non ſunt incommode propter victoris plura jura, inque primis illud, quod victoris diximus eſſe, proloqui, & proferre pacis conditiones. Nunc abſolvo quæſtionem de duello. Obtulit iſtam

a *Plut. 9. Symp. 13.*

b *Alex. 4. conſ. 122. Alc. 6. pare. 22.*

c *Bal. l. 15. de legi.*

d *Aſſl. deciſ. 319.*

e *Pla. Alc. 1.*

f *l. 1. de V. O.*

g *Dec. l. 121. de Reg. Jur.*

istam conditionem Tullus Albano: ut ipsi populorum duces certamine singulari dimicarent de imperio, quod utrinque quærebatur. Respondebat autem Albanus, non se sibi, aut sibi Tullum quærere potentiam, sed ipsas civitates, Albam, & Romam: itaque justum non esse, ut pugnarent ipsi. [a] Plutarchus pro Metello notat, qui petitum a Sertorio detrectavit duellum: quod non ducis sit, obire militis mortem: quæ hæc in duello foret: [b] Augustus, provocatus ab Antonio, respondit, patere Antonio multas ad mortem vias. [c] Et hoc, & alia adfert Alciatus, & probat. Etiam tradit, duces exercituum nec debere munus sibi mandatum in casum dare, & provinciam suam sic deferere: Idem vero & nos de principibus dicemus: qui sunt duces populorum. [d] Antonius Caracalla furoris etiam notatus ob hujusmodi provocationes. [e] Sed Scytha rex, idem quod Augustus, Joanni Imperatori Constantinopolitano, si Imperatori non vacaret vivere, infinitas esse mortis vias: se intelligere melius, quam hostem, quid sibi e re esset. [f] Notat Guicciardinus Carolum V. Franciscum I. Henricum VIII. eadem ratione isthic, quod non reges, sed milites agerent. Et istam ipse probo partem magis: ut descendendum principibus non sit in duellum; si non de privatis ipsorum controversiis agitur. Nam si certatur, quis nam regnare habeat: immo principatum affectantes certabunt ipsi sanctissime. [g] Et sic indictum pro regno Neapolitano certamen inter Alfonsum, & Renatum: inter Petrum, & Carolum. [h] Et de hoc constituto a Pontifice Romano laudabiliter differit Alciatus. [i] In Germania sic lex est dicta duobus imperium vindicantibus, ut ipsi certamine singulari controversiam finiant. Sic subditi aliquando compellunt, ut apud Alciatum est. Exempla autem plura sunt hujus duelli: cum de principatu duo contenderent. Meminit in Atticis Pausanias regum duorum. [k] Livius duorum in Hispania regulorum: sed & Silius. [l] Xenophon recitat, aut fingit ipse (quod magis valet) Cyri provocationem. Sed & collegit alia Hotomanus. Atque hæc erit de regno legitima pugna: non ut regno legem imponat tamen: sed ut suum jus regni alteri adferat, contra alterum: & victo potius adimat, quam victori adjudicet. Non regno legem imponit, nisi populus ei, & in eum dederit istam potestatem: vel nisi populus is fuerit, quem alteri subiicere rex possit, quive alteri contenden-

a *Plut. Sert.*
b *Plut. Ant.*
c *Alc. de ſi. ee. c. 27. & 3. conſ. 40.*
d *Zon. to. 2.*
e *Cedr.*
f *Guic. 18.*
g *Collen. 6, F. Æm. 7.*
h *Alc. de ſi. ee. 3.*
i *Hot. de feu. c. uit.*
k *Liv. 28. Sil. 16.*
l *Xenoph. 3. Cyrop.*

tium

tium esse subditus habeat. [a] Alioqui interest subditorum, non mutare dominum: itaque requiratur in alienatione consensus eorum. [b] Et ut subditi ipsi nequeunt contrahere in præjudicium superioris, ita nec superior in præjudicium subditorum: in hoc videlicet æquiparantur, & vices sibi reddere tenentur. [c] Bellissime Jacobus Cujacius de alienatione rerum regni, & ipsius regni, quod etsi nulla lege speciali prohibetur, generali tamen omnium regnorum, cum ipsius regnis nata, & quasi jure gentium videtur vetita. Et Philippus Decius, donationem illam Constantini sic factam cum consensu populi Romani oportuisse, respondit. Quamquam de Imperatore Romano diversum quis dixisset: [d] *cum lege regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium suum, & potestatem concesserit.* Sed hoc tamen nihil facit ad alienationem. Nam etsi tribuerit principi populus illam etiam in populum, & in quemlibet de populo (quod contra libertatem, & contra leges erat Portias) potestatem: non tamen & quamlibet tribuit, & istam alienandi. Omne dedit populus imperium, & potestatem sane: sed ad regendum quasi homines, non ad alienandum quasi pecudes. Ut sic ratio dictat: & sic verba sonant. Audi: [e] *Imperia, potestas, cum senatus creverit, populusve jussit, ex urbe exeunto.* Imperia exercitum, potestates urbem spectant. Hæc duplex jurisdictio data, propria facta Imperatori. Aut num plus dederit populus, quam ipse habuit? Ipse populus non id poterat. [f] Hallucinantur theologi, adulantur jurisconsulti, qui persuadent, omnia principibus licere, summamque eorum, & liberam esse potestatem. Ridiculum est affirmare, Pontificibus absolutam in subditos potestatem competere: quæ nec ipsi Imperatori in Italos competit: a quo isti caussam habent. Ut hæc Alciatus scribit omnia. Finge igitur potestatem quantumvis liberam Imperatori: ea est tamen non dominationis, sed administrationis. [g] Et qui liberam administrationem habet, is non habet potestatem donandi. [h] *Tutor tum domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat:* Julianus ait. Et igitur ego, non cum donat pupillum ipsum: qui hic ipsa mater Roma fuerit: [i] quæ se effœtam regendam filiis tradidisse dicitur. Matrem donabit filius? etsi cum filio in dignitate constituto tribuit pater peculium, huic & jus donandi tribuisse intelligitur. Quid huc afferimus de caussa? Certe qui liberam administrationem habet, justa ratione motus

dona-

a *Dec. cons.* 564. 689. *Alc. 7. cons. 3. l. 25. C. de pact.*

b *Ceph. cons.* 628.

c *Cuja. c. 38. de jure jur.*

d *Inst. tit. 2.*

e *Cic. 3. de legi. ubi Ture.*

f *Alc. l. 3. de V. S. l. 25. C. de pact.*

g *l. 7. de don. l. 1. qua res pi. da. ob. non pos. l. 8. qui. mo. pi. so.*

h *l. 17. præ tmp.*

i *Amm. 14.*

donare poteſt. Sed an ipſumque, qui dedit adminiſtrationem? Aut quænam illa cauſſa tam profuſæ donationis? [a] Romam cum aliis civitatibus in Italia amplius ſeptuaginta, & oppidis duobus millibus donat. *Conſtantini* (ait Zonara) *in largiendo ſtudium magnificentiæ non tribuebatur, ſed plane: verum temperandum eſt calamo, ne quam divino illi viro labem aſpergam.* Sic ſane ſanguinum vir ille decennio primo, ſecundo princeps probus, tertio pupillus prodigus audit. Neſcio ſi ſit etiam dicendum de perſona accipientis: [b] quemadmodum nec donari poteſt, niſi quod ejus ſit, cui donatur. Forte tamen hic quæſtio eſt prioris tabulæ: quæ ſupra juriſconſultum eſt. Et igitur taceo, *Reges gentium dominantur*. Et quod Baldus, *Quod Deus ſeparavit, homo non conjungat, Sacerdotium, & imperium*: hac ipſa de re ad proœmium Digeſtorum. [c] Et lepram Nahamanis Gechazo, & ſemini ſuo in ſeculum: qui item propter accuratam lepram munera quæſiit, rejecta Eliſæo, & interdicta. Quamquam & Reſtaurus Caſtaldus, qui donationem Conſtantini defendit, auditam refert eo die de cælo vocem, *Hodie effuſum eſt venenum in eccleſiam Dei*. Ceterum de illa donatione ſunt volumina quæſtionum juriſque, factique. Audiſti, in jure quid dicat Decius. Idem & alii dicunt, Civiliſtæ communiter negant valuiſſe. [d] Et Bartolus, qui adfirmat contrarium, ludit, dum adfirmandum ait ſibi, qui in terris amicis eccleſiæ verſaretur. Et itaque canoniſtæ idem adfirmant communiter, qui in eccleſiæ partibus habent. [e] Non poteſt rex alienare populum, nec illi alium dare regem: quia populus eſt liber, licet ſit ſub rege: ut pupillus eſt liber, qui ſub vi ac poteſtate tutoris eſt: liberorum autem nulla eſt alienatio: quia nec eſt commercium: & cetera apud Baldum. Sunt autem iſta naturalis rationis; ut pleraque omnia, quæ de libris Digeſtorum hauriuntur, & aliis per Juſtinianum compoſitis, & promulgatis. Itaque nec invenies philoſophos diſcrepare. [f] Quod ſi liber exſtaret Samuelis, qui erat De jure regni; & nec ille fuiſſet de jure regni Judaici; certiores in hac tota quæſtione ageremus. [g] Deus aliquid tradit per Moyſem: Ne rex multiplicet ſibi equos, ne uxores: Ne efferatur præ fratribus ſuis: Ne in Ægyptum (quod videtur oſtendere jus regni Judaici: an quid allegoricum, & morale elicimus univerſis?) reducat populum. [h] De alienatione conſtat ſane: ut quæ eſſent finium tributæ terræ,

[a] *Caſtal. de imp. q. 51.*
[b] *l. 9. de don.*
[c] *2. Reg. 5.*
[d] *Bar. proœ. Digeſt.*
[e] *Bald. proœ. Digeſt.*
[f] *1. Sam. 10.*
[g] *Deut. 17.*
[h] *1. Reg. 9. ubi Tr.*

terræ, alienari nec poſſent: nam quæ Chiramo donata voluit Salomon, ea intra eos fines non fuerint. Etiam illa levia, & ſpreta a donatario. Aut num quid a factis Salomonis argumentari licet? [a] Sed ille contra præceptum Moyſis num non habuit equilium præſepiorum quadraginta millia? an non contra præceptum, quia non *ſibi*? Uxores certe habuit *ſibi*, principes ſeptingentas, concubinas trecentas, & alias innumerabiles: uxorem etiam, nec unam alienigenam: contra ſpecialem legem Dei. [b] De quibus alienigenis nec excuſatur per omnia in omnibus; verum de filia ſola Pharaonis. Et neque excuſari aut in iſta poſſe videtur, quæ jungitur in malo (an non)? cum aliis a Scriptura ſacra. [c] Non mihi aut doctiſſimi, aut politiſſimi noſtri theologi ſatisfaciunt. Si neque licuit; (quod iſtique docent) captivam ducere, etiam initiatam religioni: cur licuiſſet, non captivam? Non licuit, extra tribum nubere, ducere. Et licuit, Ægyptiam? & populum ita in Ægyptum provocare? [d] Nihil me movet, quod dicat ſcriptura, Salomonem erga Deum affectum bene: & dicat illico, atque de his expoſuit nuptiis. Nam huic rei aliquid etiam ſupradicti reſpondent doctiſſimi: & ego ſic cenſeo, intelligi eam rem oportere de præceptis tabulæ prioris: ubi proprie amor erga Deum notatur: & ſic igitur Scriptura, *Amabat enim Salamon Jehovam*, &c. Quartum porro ad jus regni, quod quærimus, num ſervavit Salomon, & ſe non extulit ſupra fratres ſuos: [e] quibus durum impoſuit jugum? Num & contra eum non eſt quidquam eorum, [f] quæ non boni regis a Samuele tanto antea prædicebantur? Illinc & jus regis habes: ſed & ex tota lege? [g] ut ſic regi libros ejus legendos tradit Moyſes. Verum ego a propoſita quæſtione de alienatione ſubditorum abii fortaſſe longius. [h] Scribunt alii de omni alienatione, quam princeps faceret: quæ non neceſſe huc tranſcribere. [i] Si princeps ſit feudatarius, is & ſuperioris principis habere voluntatem debet. Et ſic Oldradus in illo duello Petri, & Caroli pro regno Neapolitano. [k] Non etiam alienabuntur vel vaſalli in ſervitutem graviorem: quod Baldus. Ergo neque in dominum ignobiliorem: quod alii. [l] Et, ut ille ad Octavium, dignitate domini minus eſt turpis fortuna ſervi. Quæ ego duo nunc dico in cauſſa, quæ nunc rapit Italiam univerſam a diuturno otio in arma, ac bellum. Ferraria in ſervitutem graviorem

a 1. Reg. 4. & 11. Hier. 1. co. Jov.

b Deut. 7.

c P. Mar. Tr. Ju.

d 1. Reg. 3.

e 1. Reg. 12.

f 1. Sam. 8.

g Deut. 17.

h Hot. ill. q. 1. Alc. l. 25. C. de pact.

i Oldr. conſ. 91.

k Bald. præc. Digeſt.

l Cic. ep. ad Oct.

rem vocatur, ſi eccleſiæ reſtituitur: quæ de civitate principe, & principum ſede vetuſtiſſima nobiliſſimorum, civium ſuorum, immo patrum, fundatorum, amplificatorum, ornatorum, defenſorum, retraheretur in imperium eccleſiaſticorum: qui illuc novi ſemper, & homines ſæpe etiam novi mitterentur, recturi veluti aliam quamlibet civitatem: non nati, non educati, non aſſueti caritati civitatis: nunc adeuntes, nunc abeuntes; itaque nec parcentes populis, (ut de Statio Alciatus affert) regnum breve. Et plurima hic valent: quæ (non dubito) exponentur jam, jam a clariſſimis juriſconſultis Italiæ. Quid ſi alius inveſtiretur dux a pontifice? An princeps major, qui item regeret urbem per legatos? An minor, qui minuſque poſſet civitatem tueri? Sub potentiori & alacrius vivitur, & tutius. Et hæc ad ipſos quod pertinet Ferrarienſes. Ad perſonam vero quod attinet hujus, qui heres ab Alfonſo relictus eſt, & ipſe per merita ſuorum majorum, quaſi de Alfonſi ore, petere poſſe videtur gratiam inveſtituræ: & niſi impetret, injuriam conqueri, [a] ut hæc duo ſtare ſimul poſſunt optime. Merita dicimus fundationis, alia. Sed & vicini principes hic habent, quod jure agant. Audiſti; quid Veneti egerint cum Pio II. in cauſſa Sigiſmundi Malateſtæ. Nos retulimus antea in primo libro: ubi de jure vicinitatis plura.

a *l. 1. de aq. quot. l. 12. de relig. Alex. 1. con. 80.*

CAP. XVI.

De legibus, & libertate.

NUnc de illis explico: de quibus caveri in fœderibus conſuevit. De legibus caveri ſolitum, ut quiſque vivat ſuis. [b] Et cum eſt comprehenſum, ut alter alterius majeſtatem comiter conſervaret: tum nec quidquam de libertate, de æqualitate multum minuebatur, ut Briſſonius, Sigonius, alii iſta expoſuerunt. [c] Baldus ſimplicem adhærentiam iſtam dicit: & ex ea ſolum uno caſu eſſe alteri fœderato juriſdictionem majorem: qui eſt notatus caſus in fine ſeptimi capitis Pandectarum de captivis. [d] Ait Romanus, ſolere minus potentes adhærere potentioribus, non ut fiant ſubditi, ſed ut defendantur. Minus hoc eſt, quam eſſe ſub protectione. [e] Et tamen ſub protectione, aut commendatio-

b *l 7. de cap. Briſſ. 4. de form.*

c *Bal. 5. conſ. 506.*

d *Rom. conſ. 417.*

e *Alex. 6. conſ. 13. Deci. 3. 117.*

datione esse non est esse sub jurisdictione, sed sub defensione facti ab injuriis, & violentiis: & ea per milites, armaque. [a] Ridiculus est Bartolus, & non nemo alius, & Alciatus caussæ inservit, dum ajunt fœderatos Latine loquentibus subditos esse, non socios, aut adhærentes. [b] Immo subjectio nec est dare aliquid in signum superioritatis. Et vere nec subjecti dicebantur Pœni, Macedones, alii, qui tributum tamen pendebant annuum. De privilegiis est quæstio, si quid datum sit privilegii nomine, id an pro arbitrio dantis recipi possit. [c] Et rex Galliarum ita credidit: qui omnia quasi privilegia reliquit Genuensibus, pacta esse noluit: ut in sua potestate esset, illa revocare. [d] Revocari scilicet privilegium posse creditur, non pactum, aut contractus, sive distractus. An itaque illud est, quod donata revocari posse audimus? [e] Audi, ecce, senatum Romanum Volscis respondentem, *Nam si donatos nobis agros pœnitentia ducti repeteretis, injustum esset, eos non restitui pristinis dominis, quorum vero dominium jure belli amisistis, hos jam alienos injuste repetitis*. Et quod senatus Romanus Volscis, id Philippus rex Macedoniæ Romanis: hos dedisse sibi civitates quasdam: & quod si suum munus, qui dedissent, adimere vellent: scire se, cedendum esse. [f] Data repeti potuisse, declarat grammaticus vetus, laudatus, Hieronymi præceptor: & sic distinguit a deditis: [g] quod & aliquis interpres juris politus. Dona, nisi & fierent propria, sic sane revocabilia fuerint, non perpetua. [h] *Beneficium homini proprium quod datur, proprium erit: quod datum utendum est, id repetendi copia est, quando velis*: Plautus. [i] Et Lucretius amorem proprium pro stabili, & perpetuo dixit: quod eruditissimus Gifanius observat. [k] Et Virgilius sic de uxore perpetua, *propriamque dicabo*. Et de stabilibus muneribus, *Si proprium hoc fuerit, Propria hæc si dona fuissent*. Et de stabilibus sedibus, *Da propriam Thymbræe, domum, & He vobis propriæ sedes*. [l] Et Horatius, *Ut propria hæc munera faxis*: qui alibi, *Si proprium est, quod quis libra mercatur, & ære*. [m] Et Cornelius Nepos, *Parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt*: atque alibi, *Lysander decemviros ubique constituit: nec admisit in eorum numerum, nisi se illius fore proprium fide confirmaret*. [n] Et sic igitur Macrobius, *Proprium habere diceretur, si semper tenere liceret*. Et sic grammatici alii. Itaque donatio-

a *Alc. 7. cons.* 13.
b *Castal. de imp. q.* 109.
c *Guicc. 7. Just. an. G. 6.*
d *Alex. 2. cons.* 216. *Ceph.* 155. *Al. 5. cons.* 105.
e *Dion. rs. 8. Liv. 39.*
f *Don. And.*
g *Hor. Inst. de nox.*
h *Plau. Tri.*
i *Lucr. 4.*
k *Virg. Ecl. 7. Æn. 13. 6.*
l *Horat. 2. Saty. 6. 2. ep.*
m *Corn. Nep. Thrasib. & Lysan.*
n *Macr. 1. Sa. 21. Scho. 3. vers. 3. Serv. 1. Æneid.*

nes illæ fuerint precaria potius: [a] ut etiam precaria appellantur aliquando donationes: & quæ utcumque data revocari & ab hæredibus, & ab ipso datore valent: [b] Aliæ fuerant donationum infirmitates. [c] Et nunc quoque revocari donationes in quibusdam casibus, in quibus alienata alia non revocentur, constat. Etiam scribit Baldus, nec probare habere principem donatorem, nunc revocantem donata, de ingratitudine: quoniam venire in odium principis, id sit satis magna caussa ingratitudinis. [d] Minores revocant ex sua persona bona majorum donata per medios: nec repelluntur, quasi quos teneret actio de evictione, ipsos repellat exceptio magis: nam evictio in donatione non est. [e] Donatio dicitur neque contractus esse, neque pactum. Et hæc plura. [f] Etiam ut possit princeps auferre ab eo rem, cui quæsita res fuit facto ejusdem principis. Privilegia igitur revocari possunt. Et id certum atque receptum. Sed privilegia mera. [g] Ecce enim datum pretio privilegium non revocatur, quia magis est contractus: non revocatur nec ex potestate absoluta: immo nec ex justa caussa secundum Socinum, ac Ruinum. [h] Etiam concessum ob benemerita transit in contractum: nec revocatur. Et quod mixtum (ut ait Andr. Alciatus) cum jure communi est: id nec subditis revocatur. [i] Adstringitur enim princeps suis contractibus: & nec potest aut ex jure quærendo minuere; aut per potestatis plenitudinem; aut propter novam, & justam caussam. Extra subditos hæc tanto sunt certiora, quanto cum aliis princeps est quasi alius privatus: [k] ut sic recepta opinio est contra Joannem Andreæ: qui etiam cum non subditis facere videtur principi potestatem discedendi a contractibus. [l] Illa autem potestatis (tempestatis, dixit Baldus) plenitudo nec est nisi adversum subditos: nec jure civili cognoscitur: & nihil est aliud, quam violentia; ut ut alio verbo modestiori utuntur interpretes. [m] Princeps cum subditis contrahens, tenetur eis jure naturali, gentium, & civili. [n] Pacta, quæ naturalem justitiam habent, & æquitatem, servanda esse per summum quemvis principem & subditis: &, pactum his factum de arce non ædificanda servandum, responsum est. [o] Profecto si princeps aliis non obligarentur, ei nec obligarentur alii, ut regula poscit correlativorum: & principi interdiceretur commercium: & fieret sicuti exsul, qui est omnium præsul: ut inquit Baldus: & probant innumeri rationem. Et hæc plu-

a *l.* 2. 12. 14. 15. *de prec. l.* 32. *de don.*
b *l.* 35. C. *de donat.*
c *Bal. 1. conf.* 338. *tit. C. de re. don.*
d *Alc. 9. conf.* 97.
e *Alc. 9. conf.* 110. *Cujac. nov.* 119.
f *Goz. conf.* 8.
g *Dec. conf.* 604. *Alc.* 5. *conf.* 23. *Cepb.* 451. 549.
h *Alex.* 1. *conf.* 101. & *lib.* 2. *conf.* 109. *Rom.* 436.
i *Cepb. conf.* 58.
k *Castr. l. princeps, de legi.*
l *Alc. l.* 25. C. *de pact.* & 4. *conf.* 5. & 5. *conf.* 23. 132.
m *Dec. 1. conf.* 25.
n *Rom. conf.* 12.
o *Bal. l.* 31. *de legi. Dec. conf.* 286.

plurima. [a] Et quod princeps eſt quidem ſupra omne jus poſitivum: ſed & poſſit ſe ſubiicere, & ſubjectus ſit rationi: quia & creatura rationalis eſt: itaque nec valere ejus facta contra rationem: & itaque obſtringi pacto feudi, pacis, tranſactionis, &c. privilegium quoque non revocari ab eo ſimplex de congruentia, ac ordinaria poteſtate. Quæ idem Baldus omnia. Sed ſupradicta tamen omnia non ſunt pariter certa. [b] Ecce verius ſit, non poſſe privilegium ſine cauſſa revocari. [c] Et non eſſe ita fragilia, quæ facit princeps, ut vel de abſoluta poteſtate revocari poſſint: etſi ratio poteſtatis revocandi hæc videtur, ut ſubditi ſemper ſerviant cum timore, & reverentia. Et in ſucceſſore quoque malum ſit conſilium dicere, poſſe eum revocare gratias præceſſorum: quia ſic & gratiæ ejus revocari poterunt: itaque eſſe ſatius, ſimplicitati ſtare, & bonæ fidei. Quæ itidem Baldus. Attamen quod poſſint revocari privilegia ex cauſſa, & alii tenent: & veriſſimum mihi videtur. [d] Revocari privilegium, quod poſtea nocere incipiat; Panormitanus, & alii tradunt: vires amittere ſtatim, ac incidit in iniquitatem: & revocari cum primum timeturve, ne in abuſum devergat: atque id genus alia putem ego veriſſima: etſi ſcio rejecta noviſſime Joanni Cephalo. Etiam illud eſt conſiderandum hic, quod nec fiet privilegium non gratuitum, ſi quid leve reponitur in compenſationem. Ut de donatione, alia qua re remuneratoria docent omnes. Neque enim quodlibet onus facit titulum oneroſum. Et ergo hic quoque contendo, non fieri Hanſiaticis civitatibus injuriam, ſi quæ illis tributa ſunt privilegia ab Anglis regibus, imminuuntur nunc aliquantum: quum nec vinci poſſint onerolo prorſus conceſſa titulo; & in graviſſimum ipſorum Anglorum, mercatorum exeant damnum, adeoque & in iniquitatem: dum exteros meliori facerent conditione, quam ſuos. Diſceditur propter magnum damnum, quod alii, & Alciatus. [e] Atque magnum damnum quod ſit, etiam alii explicant. Magna hic æquitas mihi videtur Anglorum: qui æquale ſibi: & Hanſiaticis petunt jus: dum alii exteri ferunt multo iniquius. Sed & de hoc Angli viderint juriſconſulti. [f] Dictum vetus, & in ore etiam puerorum, *Recte data non adimi.* Hæc igitur ſit & regula. At videndum, ſi ſint recte data, quod (ut dicam unum adhuc) negare de privilegiis Hanſiaticarum Angli poſſunt: & quoniam privilegia illa

[a] *Bal. 1. conſ. 248. 3. 6. 327. & 5. conſ. 300.*

[b] *Alex. 5. conſ. 3. Alc. 5. conſ. 23.*

[c] *Bal. 1. conſ. 326.*

[d] *Pan. c. ad hæc de cl. non reſid. adi. Ceph. d. 540.*

[e] *Bar. l. 78. pro ſoc.*

[f] *Plaut. Protag.*

la ſunt in ſucceſſiva datione, etiam addent Angli, poſſe ſe negare, nunc dari recte; etſi data recte negare non poſſent. Concludo autem ex his omnibus in quæſtione noſtra, ſatius eſſe, privilegia indulgere, quam fœdera paciſci. [a] Et hoc Lentulus monebat, ne Pœni fœdere acciperentur: id enim ſæpe violari per prætextus, qui ex controverſiis naſcuntur facile: at non ſic evenire in privilegiis: ubi quicquid accipitur, non eſt quaſi debitum capienti, nec pacto imputatur, ſed deputatur gratiæ, & tamquam alienum cognoſcitur. [b] *Quem modum eſſe beneficii ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe, qui dedit*, Neratius conſultus reſpondit. In fœderibus etiam leges fœderis iniquæ prætexi ſolent: ut idem ajebat Romanus ſenator. [c] Cum ſubditis etiam ſervantur fœdera difficillime omnium: quod Bodinus veriſſime. Indignantur enim principes agi ſecum a ſubditis tamquam ex æquo, & ex ſignatis tabulis obligationum. [d] Etiam Hiſpanus modo abnuit, cum Luſitanis paciſci: quibus privilegia obtulit ultro, & largiter.

a *App. Punic.*

b *l. 191. de reg. ju.*

c *Bod. 5. de rep ult.*

d *Conneſt. lib. 5.*

CAP. XVII.

De agris, & poſtliminio.

DE agris, locis, ædificiis nunc dico, manere omnia in poteſtate ejus, qui tenet tempore factæ pacis: niſi cautum fœdere aliter eſt. [e] Nec enim redeunt in priſtinum dominium, ſi hoſtes non expelluntur. [f] Et ita Braſidas dicebat, non ſe receſſurum de eo agro, quaſi de Bœoto, quem armis tenebat. Quamquam ſane cavillaretur: qui juſſus recedere de agro Bœoto, non potuit de alio intelligere, quam de eo, in quo erat: aut recedere eſt non accedere: & id eo fœdere cautum eſſet, ut deinceps in agrum Bœotum Braſidas, aut alius exercitus Spartanus non progrederetur. Etiam potuit tum eſſe quæſtio, ſi Braſidas in eum agrum veniſſet poſtquam fœdus illud ictum a ſuis civibus fuiſſet, & necdum tamen fuiſſet ſibi nunciatum. [g] Quem ſtatum quæſtionis magis puto Picennini fuiſſe contra milites Scanderbegi: qui captivos facere milites Picennini poſtquam ipſi duces de bello tranſegiſſent: [h] cum eſſe jam non poſſent captivi. At in quæſtione agrorum inſeſſorum ab hoſti-

e *l. 20. de cap.*
f *Thucyd. 4.*

g *Scander. 10.*

h *l. 2. de au. & ar. le. l. 4. de mil. vi.*

ſtibus, an tu putas, quod ſi fuiſſet cum Hannibale pax ad portas urbis, Pœnus eos agros, quos cum exercitu inſidebat, & cenſebat eſſe ſuos, retinuiſſet? Et pax ſi fiat cum obſeſſa civitate, manebunt circumquaque agri omnes obſeſſoribus? Nam quid refert: ſive prope, ſive longe poſiti agri iſti ſint? An ita diſtinguendum tibi videtur, ut quæ inſidentur, tenentur ab hoſtibus ſic quaſi a viatoribus, & quaſi momenti cauſsa, illà nec remaneant hoſtibus: quoniam nec animus eis fuerit, illa quærere. [a] Nec domicilium dicitur illic eſſe, ubi quis momenti cauſsa eſt, ſicuti in meritoriis: ubi tamen eſſe quis diu poteſt; ne quis mihi non ad cauſsam, ſed ad tempus referat momenti verbum: ut ſic explicavi in primo libro De legitimis temporibus. [b] Alveus fluminis publici eſt publicus. Sed quod inundatum eſt, id publicum non eſt. Quod texit barbarorum inundatio pluries, barbaricum nunquam fuit. Inundatio non mutat. Arces itaque, oppida, regiones captæ manebunt hoſtium: at ager caſtrorum, & ſtativorum readquirantur priſtinis dominis pace facta. Utque videmus, ita fieri ſemper. Et itaque cavillatus Braſidas eſt dupliciter. [c] Etiam eſt reſponſum, fundum manu captum ab hoſtibus tum eſſe capientium, & perditum omnino eſſe primo domino, cum ſpes nec eſſet proxima recuperationis. Pari porro ratione, ſi non conventum de captivis eſt, deque rebus aliis, manent omnia in poteſtate hoſtium. [d] *Pacem fecerat, captivis (ita enim convenerat) dimiſſis*: inquit Zonara. [e] Et vero ſic conventum ſæpe, & expreſſum legimus: ſimul & intelligimus, non dimitti, niſi exprimatur. Hujus autem juris fundamentum dixi, quod refugere in pace, aut recuperare manu non licet. Belli tempore eſt poſtliminium. Quod ſi illo quoque tempore negatur aliquando: tum non gentium jus, ſed civitatis ſpectatur. [f] Ita denegatur transfugis: quos tamen recipimus jure belli: id eſt, transfugæ ipſi non redeunt per ſe ad ſuos: nec apud ſuos recuperant ſtatum priſtinum: ſed ſui transfugas recipere poſſunt, quaſi rem tuam. Sed hic quæſtio eſt, ſi, quemadmodum de captivis diximus, nec recipi debeant transfugæ, & fugitivi facta pace. Et de his utique reddendis ſimul cum captivis exprimi in fœderibus ſolitum. Et ſic civitates integræ, & provinciæ ſic transfugiſſent ad hoſtem, nec reciperentur poſtliminio in pace: cur ſinguli homines recipientur? [g] Ut totum ad totum, ita pars ad

a *l. 5. de in-jur.*

b *l. 1. de fl. l. 7. de ad. re. do.*

c *Alc. 8. conſ. 93.*

d *Zon. to. 3.*

e *Briſſ. 4. de for.*

f *l. 19. de cap. l. 51. de ad re. do.*

g *Plec. 6. ct. pb. 2. l. 76. de re. vi.*

ad partem ſe habet. Si bellum juſtum inter publicum & publicum: etiam juſtum inter militem publici, & alterius militem. Si juſtum non reddere civitates transfugas: etiam erit jus non reddere transfugam civem. [a] Etiam in bello lex videtur negare poteſtatem recuperandi transfugam: atque inter eum, & fugitivum notat differentiam, quia *de ſua qua civitate cuique conſtituendi facultas libera eſt, non de dominii jure*. At hoc itidem illud eſt, quod non recipiatur transfuga in ſtatum priſtinum: ut bene etiam alii declararunt. Hoſtis eſt transfuga: & quaſi hoſtis capitur; etſi ſævius cum eo agitur, quam cum juſto hoſte. [b] Item naves quædam, arma, veſtes non redeunt in priſtinum ſtatum: hoc eſt, prioribus non recuperantur dominis. In quo differunt mobilia hæc ab immobilibus: ſiquidem immobilia amittuntur etiam ſine culpa, cum portari nequeant in tutum. Olim autem aut omnia, aut multo plura, quam per leges nunc, videntur ad priores dominos rediiſſe. [c] Et ſic ſimpliciter Polybius, *L. Æmilius prædam de victis Gallis captam reſtituit eis, quorum fuerat*. Et Livius, *Præda de Volſcis capta in campo Martio omnis expoſita, ut ſuum quiſque cognitum abduceret*, [d] Et is, ita ſæpius factum, narrat; etiam ut ſocii ſic recipere poſſent. Quod mihi jus omnino juſtius, æquius eſſe videtur. De quo tamen non diſputo contra magnos juris noſtri auctores. Etſi quæſtio hæc in eo ſpectat ad noſtrum tractatum juris gentium, quod docet, quibus aut rebus, aut perſonis tribui, nec ne, debeant jura hoſtium. Ultimis igitur Occidentalis imperii temporibus valuiſſe jus noſtrum civile videtur. [e] Nam Boethius ſcribit, *Poſtliminio redeunt homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frenos recipere ſolet, id eſt domita*. Sed & olim ſic fuiſſe rerum aliqua diſtinctio videbitur: ut ita ex Gallo ait Feſtus, *Servus redit in poteſtatem ejus, cujus antea fuerat: equi, & muli, & navis eadem ratio eſt*. Non igitur omnia ad priores dominos revertebantur. [f] At vero Juſtiniani novo jure reſtituuntur armenta prioribus dominis: & ſimpliciter bona, etiam ſucceſſoribus uſque in tertium gradum, [g] & generaliter omnia jure canonum. [h] Sic Alexander, Alciatus, alii quidam, quos ſequor, cenſent reſtituendas res primis dominis: ſive recuperatæ ſint incontinenti, id eſt ante quam ductæ infra præſidia hoſtium ſint: ſive (quod obſervari in Italia, & vulgo ajunt)

cum

a *l. 12. de capt. Dom. 4. com. 21.*

b *l. 51. de capt.*

c *Polyb. 2. Liv. 3.*

d *Liv. 4. 5. 10. 34.*

e *Boeth. Top. Cic.*

f *Nov. 36. & prag.*

g *c. 1. 16. q. 3. & c. 2. 34. q. 1.*

h *Alex. Alc. alii l. 1. de ad. po.*

eum adhuc apud hostem non pernoctarint: sive recuperatæ, ex intervallo sint. Alciatus adfirmat, nec putat distinguendum, justo, an injusto bello amissæ fuerint: quoniam non sit miles audiendus noster, qui dicat, abstuliſſe nobis hostes juste: & itaque nos dominio excidisse: cur enim qui defendere nostra habet, is nostris sic frueretur? Quæ sine flagitio amittuntur, ea cur non prioribus dominis recuperentur? Quid autem de his, qui non dedunt se victos, sed deduntur a suis, ut satisfiat hosti in obligatione, in qua sunt, qui deduntur? Et recepti ab hostibus desinunt esse nostri. Si non recipiuntur: non quidem obtinuisse deditio censebitur: [a] ut nec donatio sine acceptione intelligitur. [b] Sed, nostros esse desiisse, verius est: [c] sicut res pro derelicto habita desinit omittentis esse statim: etsi alterius non fiat, nisi possessaque ab altero est. Consideres scilicet duo in deditione, expulsionem de sua civitate, & translationem in civitatem alteram. Et ita jus nostrum Justinianæum non adversabitur aliis, qui de his deditis scribunt: nec ullo modo ineptum erit: [d] ut hoc ineptus ipse accusat Bodinus. Quamquam & jus controversum id fuit: adeoque nostri conditores juris potuerunt partem sequi, quam voluerunt. Atque hactenus de his. Nunc aliquas addo quæstiones de agris. [e] Argivi cum Athenienſibus olim expostularunt, ut quando in fœderibus scriptum esset, ne utri per ea loca, quæ suæ ditionis essent, sinerent hostem transire: Athenienses suo mari permisissent transire Spartanos hostes. Justa expostulatio: [f] quoniam mare portio terræ: ut gymnosophista respondit, & agnoscunt nostri. [g] Mare adjacens pars ditionis est: & territorium de terris dicitur, & de aquis. Ne quid dicam de Venetis, aliisve, qui integra maria sibi vindicarunt. [h] Sed & proditor dicitur feudatarius, qui permittit gentem transire inimicam. [i] Secunda est illa quæstio, quæ ex distinctione finium in dividendo regnum Neapolitanum nata est inter Hispanum & Gallum. Nam fines his erant nominibus demonstrati, quæ aliud olim, aliud postea significabant. Et vetera Galli, præsentia Hispani urgebant. [k] Nostri vero interpretes docent, intelligi actum de proximis, præsentibus, immediatis terminis, & finibus. Et ergo ratio præsentis significationis nominum habebitur. Et mihi certissima definitio videtur per multa, quæ dici possunt de usu verborum, significationum nor-

a Cic. Top.
b l. 4. ult. de legatio.
c l. 1. 2. pro derel.
d Bod. 1. de rep.
e Thucyd. 5.
f Plut. Alex.
g Bal. l. 8 & ibi Barb. C. de impub.
h Bal. 2. conſ. 195. 4. 54. Decia. 3. 123.
i Alc. l. 5. de juſt.
k Alex. 5. 35. 7. 81.

ma, atque arbitrio. [a] Tertia eſt quæſtio, an recte abbas Panormitanus reſponderit de capite pacis inter Burgundum, & Auſtrinum, ut quæſita uſque ad concluſionem pacis eſſent Burgundi: non ea quæſita videri, quorum quæſita non eſſet civilis poſſeſſio: & hanc poſſeſſionem non videri quæſitam, licet locorum habitatores fidelitatem Burgundo juraſſent: quoniam ſubditi non habent jus ejus transferendæ poſſeſſionis. Mihi ineptum videtur in tractatu armorum de alia poſſeſſione quærere, quam de ea, quæ vi & armis comparatur. Quum eſt quid captum de hoſtibus, nulla dubitatio eſt, quin & quæſitum capienti ſit: ſive jurarint ei fidelitatem captivi, ſive ſecus. Non novit iſtas varias poſſeſſiones jus gentium: quo hic utimur uno. [b] Non novit ſimplicitas juris gentium has formulas: inquit Baldus de utili, & directo dominio. Satis poſſeſſio juris gentium, id eſt, naturalis. Et ergo quæ etiam ex conſtituto eſt: [c] quæ & vera, & naturalis eſt. Et hanc tamen, effici hoſti a ſubdito non poſſe crediderim: & cum Abbate reſponderim. [d] Nam colonus per veram traditionem poteſt dominum poſſeſſione privare, non per fictam, conducendo ab alio. [e] Etiam hic dico, non conſiderari poſſeſſionem, quæ retineri nequit. Et itaque nec eſſe quæſita, quæ retineri non valent. [f] Audi hæc Baldi: quæ & ille interpres dicit notanda. [g] Is dicitur occupare, qui ſic incipit occupare, ut poſſit conſervare, & poſſidere, qui autem nequit tenere, niſi capiat aliquem locum principalem, is occupaſſe non dicitur. Itaque ſi templum quis teneret, alter autem turrim, quæ tamquam arx ſit, & unde pelli alter de templo poſſit, facile non eum deniemus poſſeſſorem, niſi qui in turri eſt, ſic eſſet circumvallatus, & obſeptus, ut nihil poſſit, nec abire; [h] tum enim diceretur teneri, non tenere: eſſe in poſſeſſione, non poſſidere. [i] Adde his, quod, quæſita tamen, perque momentum poſſeſſa, id eſt ſatis. [k] Et ex omnibus definias controverſiam, quæ inter Cæſarem, & Gallum fuit, an ſolutus is eſſet fœdere convento, donec ille Terviſium occupaſſet; nam, quo momento occupavit, perdidit. Baldus poſſeſſionem tridui deſiderat. Incurrit autem articulus quoque, ſi ſufficit, exſtitiſſe conditionem ſemel, etſi non duret. De quo dictum mihi libro ſecundo De conditionibus. Ubi & aliud tracto late, quod itidem reſpondebatur.

Ca-

a *Pan. 2 conſ. 62.*
b *Bald. 5. de juſt.*
c *Soc. 1. 147. Rot. 5. 151. Alc. l. 8. de ad. po.*
d *Alex. l. 3. de ad. poſ.*
e *Decia. 3. conſ. 74.*
f *Bal. l. 1. de div. re.*
g *l. 22. de adq. po.*
h *l. 1. de vi. & vit. ar.*
i *Decian. 3. conſ. 37.*
k *Guiec. 9.*

Cæſari, ſtetiſſe per ipſum, quominus Terviſium tenuiſſet. Et tertium afferebatur: quod pecunias pro urbe accepiſſet: quod illico abſcindit jura omnia Cæſaris. Quarta nunc eſt quæſtio, cum quid raptum bello his eſt, qui in ſocietatem belli non venere, ſunt tamen ejuſdem nationis cum hoſtibus. [a] Et illis reſtituenda ſunt ſic injuſte rapta: [b] nihil enim peccavit cognatio.

[a] *c. ult. ubi Cuja. de reſt. ſp.*

[b] *l. 22. C. de pœn.*

CAP. XVIII.

De amicitia & ſocietate.

AMicitia ſi contrahitur, aut ſi convenit, ne contrahatur cum aliis: hoc nomine non leve aliquid ſignificatur. Et miniſteria quædam deberi, ſignificatur fœdere a Romanis contracto cum Lacedæmoniis, [c] in quo dictum, ut hi viverent legibus ſuis: & nihil tributi nomine conferrent, præter amicorum miniſteria. [d] Quæ tamen fuiſſe quid modicum videntur: & tributa coronaria: quæ liberique ferebant Rhodii. [e] Etiam conventio, ut fratres ſint, etſi fratres non facit, aliquid ſane operatur: [f] ut ſunt quoque reſponſa quædam Decii reddita celſiſſimis Lantgraviis Haſſiæ. [g] Et notum eſt de Cæſare, aliiſque, quid fraternitatis nomine cum Hæduis Romani ſibi eſſe cenſuerint. An igitur non majus aliquid præſtabit conventio de amicitia, quæ amicos facit? Aut conventio de fraternitate & hoc habet, ut amicitia tanta conjuncti ſint convenientes, quanta eſſent conjuncti, ſi fratres eſſent? [h] Sic reſpondit poſt alios Aleiatus, pacta fraternitate ſocietatem univerſalem omnium bonorum contractam intelligi, & publice, & privatim. Conventio fraternitatis ſimul & amicitiæ tanto ſtringet arctius, [i] Et eam a Romanis ſcriptam Batavis fortiſſimis ſcimus, BATAVI FRATRES ET AMICI P.R. ut eſt in veteri lapide. [k] Ergo audire Bodinum non oportet, qui cenſet, per amicitiam contractam deberi nulla auxilia. [l] Atque Baldus reſpondit, unum etiam eſſe corpus duarum ciuitatum propter amicitiam. Sed & refutatur Bodinus perpetuo Romanorum judicio, cogitantium, ſibi neceſſaria pro amicis bella. Aut quid tribuit iſta conventio, & iſtud nomen amicitiæ? Privatus utique ſi privato amico non ferret auxilium, læſiſſe graviter jura amicitiæ videretur. Quidni idem in publicis perſonis fuerit? Atque

[c] *Strab. lib. 8.*

[d] *Suida.*

[e] *Alex. 6. conſ. 141. ubi Natta.*

[f] *Dec. 516. 524. 655.*

[g] *Cic. 7. fa. 10. 1. Att. 16. Tac. ann. 11.*

[h] *Alc. 8. conſ. 91.*

[i] *Leuncl. Dio. 69.*

[k] *Bod. 5. de rep. ult.*

[l] *Bal. 2. conſ. 29.*

loquimur nos de privatorum amicitiis, quas videmus communiter: non ab illis argumentamur, quas philoſophia fingit nobis; & quas videmus nullas; ſed tantum legimus nunnullas. Perfectæ illæ amicitiæ habent communia amicorum omnia. [a] Et multæ ſunt aliæ inter has amicitias differentiæ. [b] Amicitias dicimus hic, quales conſiderat jus noſtrum, hoc eſt, uſus hominum. Forte tamen eo caſu poteſt vera eſſe Bodini ſententia, ſi amicitia cum externis contracta eſſet: id eſt, cum iis, qui natura veluti hoſtes habebantur: aut etiam cum his quibuſcum bellum gerebamus: nam cum primis reſtituta naturæ amicitia vera, communis videbitur; cum ſecundis ipſa, quæ ante bellum communis erat. Aut num putas eam reſtitutam, ſi qua intercеſſerat ante bellum ſingularis? Sane ſi non contrarius actus intercеſſiſſet, bellum, putaremus ſine dubio reſtitutam, etiam & continuatam priorem amicitiam. [c] Et in id afferrentur aptæ definitiones juris civilis. [d] At exſtinctum quod eſt, id per generalia verba non reviviſcit. [e] Redit res in naturam ſuam originalem, abſque qualitate extranea, & accidentali, quæ erat a ſpeciali contractu. [f] Alias cum ad aliquam familiaritatem quilibet obligatus ſit naturaliter: ſpecialis iſta convenio non poteſt aliquid præterea non exigere. Si ſocietas juncta ſit, & auxilia non debentur; quid venit in communionem? Et igitur hic quoque debentur auxilia. Et dixi de his etiam in primo libro. Solent autem principes & de hoc paciſci, & de ſumma auxiliorum diſerte: Quod ſit cautius. [g] Notes vero, eſſe ſocietatis genera duo, συμμαχίαν, & ἐπιμαχίαν: illam, cum iidem utrinque amici ſunt, & inimici: [h] & quomodo obligare ſibi ſocios Romani conſueverunt: alteram quaſi ex dimidio, cum ferre opem habemus ſocio injuria laceſſito, non etiam injuriæ illius ſumus adjutores, aut inferendo bello. Nam nec in priori ſocietate id venit, ut quo jure, quave injuria adeſſe ſocius debeat. [i] Neque enim rei turpis ſocietas intelligitur: neque confœderati intelliguntur ad bellum illicitum. [k] Qui promiſit defendere caſtrum, is nec defendere tenetur, ſi culpa ejus, cui facta promiſſio bellum movetur: ut ſic Alexander doctiſſimus. [l] Et Caſtrenſis optimus, quod de neceſſario bello omnis ejuſmodi pactio intelligitur, non de voluntario: id eſt, ut tu capere debes, de juſto, non de injuſto. Scilicet juſtum bellum habet ſemper neceſſitatem; ut ex neceſſitate

a *Pſal. 7. ci. pb. 15. 20.*
b *l. 223. de V. S.*
c *l. 13. §. ult. loca. Rom. conſ. 459. ubi Mind.*
d *l. 10. comm. præd.*
e *Bald. l. 2. Cod. de edil. edict.*
f *Alex. 5. conſ. 154.*
g *Suid. Thucyd. 1. Rhod. 11. ann. le. 6.*
h *Man. 12. fa. 15. Briſſ. 4. for.*
i *l. 57. ubi Bal. pro ſoc.*
k *Alex. 3. conſ. 114.*
l *Caſt. 1. conſ. 295.*

te bellum descendit: & neque ulcisci, neque præcavere injurias nostras, aliorumve aliter valeamus adversus eum, qui sub magistratus imperio non est. Justum bellum habetque semper aliquam defensionem. Et itaque dixerit idem Castrensis recte, ad defensionem spectare eamdem pactionem. [a] Hoc certum in isto tractatu, quod qui tenetur defendere, etiam armis tenetur. Etsi in privatis id non est. [b] Et auxiliorum neque unum hoc genus est. [c] Qui tenetur adesse personaliter, is pecuniariter magis teneri dicitur: etiam cum extra territorium alter gereret bellum. In quo tamen ipse subsisto, si spectem pactum: non si simplex jus. [d] Cum quis defensionem alteri pollicetur, non faciet suis sumtibus; si ex liberalitate est pollicitatio, non ex compensatione. Et idem in protectione promissa, commendatione suscepta: Quando autem socius socio teneatur, sive ad defendendum, sive ad offendendum: id de primis disputationibus cognosci potest. Nam illic ostensum est, quatenus moveat quis juste arma, vel injuste. Et hic est concluſum, justo bello oportere adesse. [e] Et hic dicimus, tum oportere adesse, cum alter nequit necessitatibus suis providere. Et si quid aliter conventum expresse non est. Quæ Alciatus ad feudatarios tractat. Ubi hoc quoque, quod duces ad aliosque vasallum certi dominii non cogi juvare principem in bello contracto propter alia regna: etiam si Turca bellum facit ecclesiæ universali, ut nunc in Ungaria, non teneatur tamen aut pecuniis adesse Papæ Romano. Dux Ferrariensis: qui subditus Ecclesiæ Romanæ: quæ distat ab universali. Nunc quæro, si cum pluribus contracta amicitia est: & illi invicem bellum gerant; cui adesse oporteat [f]? Et cum quis promisit duobus præstare advocationem, eum præferri responsum late est, cui est promissum primo, si nunc alter contra alterum litiget. Et idem in vasallo duorum, ut priori domino magis teneatur: quoniam in jure pari potior sit conditio, quæ tempus occupat. [g] Et diserte sic consuluit Romanus, Comitem quemdam regi Gallarum auxilia præbere oportuisse, non regi Anglo, tum gerentibus bellum invicem: quia Gallo fœderatus ille Comes prius fuit. Mihi tamen ista Romani definitio non satis placet. [h] Nam inter creditores personales non est temporis privilegium. Illud verum est, quod cum occupasset Gallus, & tenuisset jam auxilia, Anglo post petenti, non debuerit Comes. [i] Hoc jus est personalium creditorum

a *Dec. l. 50. de reg. ju. Deci. 3. conſ. 117. Barb. 4. conſ. 62.*
b *l. 19. de Sila.*
c *Alc. 3. conſ. 2.*
d *Barb. 4. conſ 62. l. 18. 19. 20. 21. 22. 33. 50. de op. lib.*
e *Alc. 3. conſ.*
f *Alex. 5. conſ. 118. Cepb. 615.*
g *Rom. conſ. 47.*
h *l. 7. depo. l. 19. de re. jud. l. 1. 24. quæ infra. cr. Dy. c. 34. de reg. ju.*
i *Cepb. conſ. 86.*

rum in præoccupatione ſitum. Quæ occupatio & in momento eſt. Ut idem tradit in captivo plurium: qui eodem tempore vocatus a ſuis capientibus, non ibit ad priorem, ſed ad eum, cujus literæ apertæ priùs fuerint, quaſi prævenientem. [a] Nec me movet Ulpiani reſponſum, *In operis duobus ſimul locatis, convenit, priori conductori ante ſatisfieri*; quo Romanus in illam definitionem movetur. Eſt enim operarum præſtatio ſucceſſiva: per quam utrique ſatisfit, primum primo nominato in locatione, nec ſecundo in exactione. Operæ (inquit Caſtrenſis) non poſſunt eodem tempore diverſis perſonis præſtari: igitur præſtantur priori: quia ſic videtur promiſſio facta ſecunda abſque primæ detrimento. At vero in quæſtione noſtra juvarètur prior, læderetur alter: tantum abeſt, ut huic unquam ſatisfiat. [b] Baldus hic diſtinguit inter perſonas & res: ut perſona, quæ individua eſt, priori debeatur per dictum reſponſum Ulpiani: res autem debeantur utrique. [c] Sed & Bartolus, & alii ſic accipiunt idem reſponſum in facto cohærente perſonæ. Quare ratus illinc definiretur in propoſito noſtro caſus, cum perſonæ deberetur auxilium. Sed mihi ſic eſt ſententia: primum ut ei feratur auxilium, qui non in amicitia modo, ſed & in ditione ſit, etſi hic tempore poſtulet. Sic probo Romanos, qui contra Samnites ſocios veteres pro Campanis novis, ac dedititiis, bellum ſuſceperunt. [d] Sic Venetos, qui opem Conſtantinopoli ſerunt, etſi pacti Genuenſibus, nemini eſſe auxilio: erat enim Venetis in ea urbe aliquid; adeoque rei opitularentur illi ſuæ. Ac ratio expedita hic eſt, quod ſua tueri contra omnes liceat. Et potuiſſe Romanos tum accipere in ditionem Campanos, id trado in libris de armis Romanis. Secunda eſt hic concluſio, ut uni auxiliemur, cum nec eſt aliter conditio par ſociorum. In quo ſequor Romanum, & alios. Verum paritas juris conſiderari varie poteſt. [e] Helvetii ferunt Helvetiis opem contra alios fœderatos: nam eſſent Helvetii fœderati antiquiores: verius, quia junctii fœdere ſanctiori unius gentis, & veluti unius corporis. Ut pacta videri non debeant auxilia contra ſe ipſos. [f] Privilegia autem non ex tempore, ſed ex cauſſa æſtimantur. Et itaque vel ſi nullum ictum fœdus ſit differte cum his, quibus amicitiam debemus propter neceſſitudinem conjunctionis, non tamen auxilia aliis contra iſtos feremus, ſed iſtis contra alios. [g] Et prima promiſſio

a *l. 36. loca.*

b *Bal. 2. conſ. 291. l. 7. C. de adopt.*

c *Alex. 5. conſ. 122.*

d *Sabell. 9. Enn. 6.*

e *Guicc. lib. 5.*

f *l. 32. de re. d. p.*

g *Caſtr. d. l. 26.*

sio (inquit Castrensis) sic intelligitur, si cui de jure antea obligatus non sit. Et exemplum habet de scholari, qui non abire Bononia juravit: quique vocatus a patre abiit: ut is periurus non sit. [a] Optime vero legati Acarnanum Spartæ, *Dicite, utrum majus malum commissuri sitis, jura cum Ætolis seorsim inita negligentes, an ea transgredientes, quæ Græcos omnes concernentia scripta sunt? putatis, amicis sua deberi servari jura? atqui tam sanctum non est, fidem scripto comprehensam servare, quam profanum, & impium in ipsum publicum corpus inimicando, & bellando peccare.* Non contra ictum fœdus negatur nunc auxilium: sed respondetur, fœderis huc non spectare sententiam: quoniam quod non honeste promitteretur, id nec intelligi promissum oportet. Illis sic conjunctionibus ferendum est auxilium. [b] Videlicet *stringit semper* (ut in Proverbio est) *indusium magis, quam tunica.* [c] Et vasallus, qui domino militem promisit in omni bello, contra se non dabit, si contra se faciat dominus bellum; nec contra junctos sanguine, nec contra patriam: neque enim videtur quis contra se promittere. Et conjunctos tueri debemus; & patria est omni persona major, secundum omnes. Non intelligitur promissio contra suos; quia naturales illa exsueret affectiones; & itaque bellum contra naturam induceret. Tertia conclusio est, ut causæ justiori auxiliemur. Etsi enim fœderatus non invocetur judex, sed advocetur obligatus, tamen quia obligatio non est ad injusta, utique nec injustæ feret causæ opem. Et ergo dispicere fœderatus de justitia habebit. [d] Exprimitur id aliquando, ut, si quis fœderatorum alteri fœderato bellum faceret, ceteri omnes justiori causæ opitularentur. Quod indicium, & ita jus esse. Et sic Romanus, advocatum duorum juvare eum debere, qui litigat justius: & eum in dubio, cum quo prius contractum est. Quæ quarta erit conclusio in dubia re, ut aliquid & tempori deferatur: inque pari causa is sit potior, qui est tempore prior. Ita idem Romanus, ac Baldus, ut captivus successive plurium, si vocetur eodem tempore ab omnibus, redire primum debeat ad primum capientem. Cum & est dubium, quis duorum, pluriumve petitorum agat pro jure fœderis, quod quisque pro se citant. Quinta erit conclusio, ut nemini auxilium præstetur. [e] *Duo sunt* (ait lex) *Titii, pater & filius: datus est tutor Titius: nec apparet, de quo senserit testa-*

a *Polyb. 9.*

b *Ang. l. cum ita, de leg. 3.*

c *Bald. l. 1. de div. reg.*

d *Na. Co. 3.*

e *l. 30. de test. l. 10. 21. 27. de test. tut.*

ſtator: quæro, quid ſit juris? reſpondit, is datus eſt, quem de-
te ſe teſtator ſenſit: ſi id non apparet, non jus deficit, ſed pro-
a Dig. 42. *batio: igitur neuter eſt tutor.* Et aliæ ſic ſunt. [a] Et ſic memorabile dicitur rectiſſime Maſſilienſium reſponſum ad Cæſarem in civilis belli Pompejani initio: eſſe ſe ſocios populi Romani: ceterum neque curioſe inquirere, neque ſufficere ad dignoſcendum, utrius eorum cauſſa ſit injuſta, utrique adverſarios ſuos patriæ hoſtes appellares; in quo ambiguo valere debere, ut ſi amici more vellent abſque armis ad ſe venire, uterque reciperetur: neuter, ſi ad bellum. Sexta fuerit concluſio, ut defenſio alterius fœderati contra alterius ſuſcipiatur offenſionem, permulta, quæ dixi de jure ſingulari defenſionis. [b] Etiam alieniſſimi defendendi
b Cic. pro Mur. ſunt, accuſantibus etiam amiciſſimis: [c] ut a majoribus ait tra-
c Cic. pro Syl. ditam diſciplinam Cicero, ne ullius amicitia ad propulſanda pericula impediremur. Et hic vero ita temperanda res eſt ſemper, ut meminerimus, contra amicum facere pro periculo alterius. [d]
d Cic. pro Planc. Suis & ponderibus examinandum hoc eſt, non ſolum quid cuique debeatur, ſed etiam quid cujuſque interſit: & quid cujuſque tempus a nobis poſcat. Salutis cauſſa præferenda laudi, & alii cuique rei. Quas habet veras theſes in orationibus M. Tullius: etſi hypotheſes attexat fortaſſe non veras. Videndum eſt, defenſio unde ſit vere. Ne favorabile hoc nomen captandæ benevolentiæ, honeſtandæ cauſſæ, querimoniis colorandis, fugiendo nomini contrario odioſo ſit per injuriam. [e] *Mire defenſionem vult*
e Aſcon. divi. *eſſe, non accuſationem*: inquit de Cicerone Aſconius accuſante Verrem. [f] Et de Ariſtotele Baldus itaque, quod non
f Bal. 2. conſ. 143. is incipit, qui per iram aliquid facit, ſed qui provocavit ad iram. Septima eſt concluſio, ut utrique fœderato, bellum gerenti invicem, non ſit auxilium ferendum: nam auxiliaris ſuas invicem committere copias, ſuos cives haud debet; non debet civile committere bellum, pila mittere minantia pilis. [g] Recte Helvetii negarunt aliquando pugnare contra Helve-
g Guicc. 12. 14. tios, qui in exercitu altero contra ſtabant. Et recte revocant auxilia a Pontifice, & Gallo, fœderatis ſuis, interque ſe ipſos belligerantibus: etſi Pontifex ratione ſecum initi fœderis antiquioris petierit auxilia. Nam ſic Helvetii reſponderunt, quod ſemper verum eſt: indignum eſſe, ut duobus in exercitibus eſſent publicæ ipſorum inſignia, & milites. [h] Hi Zapoletæ illi eſſent,
h Mor. 2. II. cap. quos

quos turpiſſimos, & nefarios dicit Thomas Morus, qui mercenarii ſunt in contrariis exercitibus. [a] Et a Philippo exprobratum Ætolis olim ſic fuit, quod vel adverſus ſocios, publica tantum auctoritate demta, juventutem ſuam militare ſinerent; & contrariæ perſæpe acies in utraque parte Ætolica auxilia haberent. [b] Et affictum crimen Genuenſibus, quod, ut Herculis ſacerdos aliquis apud Auguſtinum ſolus utraque manu alternante, dextera pro ſe, læva velut pro adverſario, teſſeris ludebat, ita Genuenſes in re ſeria luderent. Quod ſi tamen auxilia eſſent alterius generis, ut commeatuum, pecuniarum, tum afferri utrique poſſent, & vero deberent. Aut quid eſt, cur contrariis partibus quis vendere, donare non poſſit? Immo amici communes præbere communiter ſic commercia ſolent. Et hujus tamen exceptionis eſt exceptio, ſi utrique fœderato ſatisfacere fœderatus poſſit. Audi. [c] *Si vagari per orbem terrarum velit patronus, non eſſe injungendam neceſſitatem liberto, ubique eum ſequi, Proculus ait. Et ſi patroni plures conſulto in diverſas regiones diſceſſerint, & liberto ſimul operas indixerint: poſſe dici, diem operarum cedere, ſed libertum non obligari, Julianus ſcribit: quia non per eum, ſed per patronos ſtaret, quominus operæ darentur, ſicut accidit, cum ægrotanti liberto operæ indicuntur. Quod ſi diverſarum civitatum patroni ſint, & in ſua quiſque moretur: conſentire debent in operis ab eo accipiendis: durum alioquin eſt, eum, qui ſe liberare poteſt decem diebus operando, ſimul operis indictis: ſi in accipiendis non conſentiant, compelli ad præſtandam alteris quinque operarum æſtimationem.* Quæ legum verba & non invicem pugnantibus apta fœderatis. Et fane etiam apta octavam hic conſtituere concluſionem: ſi fœderatus nequit utrique ſatisfacere: & cauſſa non eſt, cur uni magis, quam alteri ſatisfiat: ut neutri auxilia ferantur: vel, ut electioni ſit locus: [d] *nam illud durum eſt dicere, ſi cum duobus auxilium ferre non poſſit, elegit, alteri eſſe auxilio: electione crimen eum contraxiſſe*: ut Ulpianus in ſervo ſcribit, qui, cum omnes domini adgreſſuram paterentur, uni opem tulit, cum omnibus ferre non poſſet. Huic ego electioni non facio locum: [e] (quicquid Baldus, & Romanus faciunt) contra alterum pro altero fœderatorum, [f] *Si non poteſt alteri ſubveniri, niſi alter lædatur, commodius eſt, alterum non juvari, quam gravari alterum*; ut ſunt Ambroſii verba: & ſen-

a *Liv. 32.*

b *Juſt. xviii. Gr. 3.*

c *l. 20. 23. de op. lib.*

d *l. 3. de Sila.*

e *Bal. 3. conſ. 193.*

f *Ambr. 3. de off. 9.*

ſus juris, ac regulæ, quæ vitationem damni æſtimat ſupra lucri rationem. Quid ut uni fœderatorum fiat dupliciter male, alteri ut fiat bene? Si duo fratres domini feudi bellum alter contra alterum gerant, neutri eorum adeſſe vaſallus tenetur: quia ipſi ſibi invicem obſtant; ait Baldus. [a] Mutuo ſe impedient fœderatique: ut in aliis fit caſibus, quos Romanus notat. Si alter cum altero non gerit bellum, & par eſt cauſſa utriuſque, & diviſionem recipiunt auxilia: hæc utique dividentur, ſicuti alia debita. [b] Etiam duorum ligius alteri adeſt per ſubſtitutum. Ut vero feudatarius duorum tenetur dominis juxta proportionem feudorum: ita fœderatus juxta proportionem eorum, quæ utrique debet fœderato: ut Baldus ſcribit. [c] Et eſt regula in omnibus diſpoſitionibus procul dubio vera. Aut ſi expreſſum de ſumma auxiliorum non eſt in fœderibus, tum pro ratione neceſſitatis cujuſque auxilia diſtribuentur: quod naturalis docet intellectus. Si arctius fœdus conventum cum altero eſt, num illi etiam feretur auxilium ſoli? Et adfirmat Romanus: & concluſum ex ſecunda concluſione noſtra videtur. Ceterum in convento hoc fœdere ego ſubſtiterim: quia de jure alius non poſſit imminui per obligationem cum alio contractam. Aut etiam iſtam arctiorem fingis poſteriorem. [d] Et legem habes, & Romanum ipſum, quemadmodum priori non nocet obligatio ſequens: & clauſula *ſalvo jure prioris* intelligitur in confœderatione poſteriore. Aut & prior eſt, quæ arctior, & certe non facit candide, qui fœdus cum aliquo contrahit, quem non facit certiorem, ſi quid ſibi cum alio ſit, quod novo fœderi incommodet. [e] Acculatur dux Mediolani, quod permiſerit, de terra ſua armatas ire naves auxilio contra fœderatum: at excipit Dux, eas conductas hoſti naves ante hoc ictum fœdus. Et nemo negaverit, egiſſe Ducem cum fœderato minus candide. Si ſecundus admonitus fuit de arctiori fœdere, nihil habet, quod conqueratur: ut iſtum quoque caſum Romanus habet. [f] Tum acculabit dolum, & aget ad intereſſe? cum admonitus non fuit. In fœdere illo naturæ neceſſaria non eſt admonitio: [g] nam qui cum alio contrahit, vel eſt, vel eſſe debet non ignarus conditionis ejus: alteri autem hoc imputari non poteſt, cum facta aliena juſte homines lateant. Nunc duo quæſierim. Si quis obliget variis futura, an ex iſtis ſolvet æqualiter omnibus? Et reſpondit Caſtrenſis ad illud

a *Bal. l. 1. de div. reg.*

b *Cujac. 4. feu. 99.*

c *l. 8. §. 10. de pact. & Juſt. de le. Fal.*

d *l. 2. & c. q. p. i. p. h. l. 25. C. de pact.*

e *Guicc. 3.*

f *Alc. l. 12. C. de pact.*

g *l. 19. de reg. jur.*

lud idem Ulpiani, priori prius ſolvendum: licet enim eodem tempore incipiant obligari omnibus, quæ poſt quæruntur; tamen ex intellectus ordine prius priori obligatur. Quod & communiter tenetur. [a] Secundo quæro, an fuerit ridiculum, ut creditum, & dictum eſt Duci Gallo, quod jactabatur, bellum geri Parmenſe ſine ulla offenſione fœderis inter Hiſpanum & Gallum: cum illę Pontifici, iſte opem ferret Parmenſi, invicem belligerantibus. Ridiculum (inquiebat Briſſacus) adverſus eumdem hoſtem & non hoſtem pugnare eodem tempore: & nomina differrent, perſonæ eædem eſſent. [b] Lacedæmonii etiam vituperati, qui inducias, quas proprio nomine condixerant, ex ſociorum prætextu, quibus ferebant auxilium, ſe non violare aſſerebant. Et illud ſane turpe fuerit, quod per conductitios milites ſic injurii Meſſeniis erant. Sed de ſociis, & bello illo Parmenſi forte contrarium eſt. [c] Nam generalis eſt regula, ut ſemper attendamus ad id, quod principaliter eſt actum. Et in feudis ea eſt, ut ſemper attendatur perſona, quæ principaliter offenditur. Per quæ Alciatus reſpondit, Uldricum ducem Wirtembergenſem non fuiſſe felonem in Ferdinandum, etſi moviſſet arma in Carolum, cui Ferdinandi fuerant arma conjuncta. [d] Sic Veneti reſpondent, manere ipſis cum Gallo fœdus, etſi auxiliarentur fœderato Mediolanenſi. [e] Sic Philippus, non ſe expugnaſſe Chium, ſed adjuviſſe Pruſiam amicum. Atque hoc eſt, quod dixi in ſeptima concluſione, contrariis quem poſſe partibus amicum eſſe, & amicitiæ officia exhibere. [f] Et licet cum diverſis fœdus contrahere: immo etiam & nunc cum inimico fœderati: ſi juſta cauſſa ſubſit: nec unquam intelligitur fœdus ruptum ex ſolo actu verbi, & confœderatione nova: quia & intelligitur iſta inita in caſu licito: ut de his Baldus.

a *Nat. Co.* 4.

b *Juſtin.* 3. *Pauſ.* 4.

c *Alc.* 3. *conſ.* 36.

d *Guicc.* 3.

e *Liv.* 32.

f *Alex* 5. *conſ.* 136. *Bal.* 1. 369.

CAP. XIX.

Si fœdus recte contrahitur cum diverſæ religionis hominibus.

SEd an licet fœdus contrahere cum hominibus diverſæ religionis? Atque eſt quæſtio partim theologalis, tractataque theologis; partim & noſtris tractata civilis. [g] Diſputatur autem a Deciano noviſſime per integrum reſponſum. Et pro parte, quæ

g *Dec.* 3. *conſ.* 20.

quæ suadet fœdus licitum, facit in primis exemplum Josue, qui fœdus cum Gabaonitis contraxit. Quo ego tamen exemplo non valde moveor. Nam ad aliquod tantum fœdus concludit: ut dicam. Et puto, nec potuisse Josue inire cum illis fœdus ullum: quicquid magni Bibliorum interpretes aliter censeant. Videlicet Deus, *Ne pangito cum iis fœdus: neque gratiam facito eis: ne habitanto in terra tua: eiicietis omnes a facie vestra: omnino internecioni devovete eos.* Et sic neglectum mandatum hoc Dei a Manassitis, atque aliis tribubus, qui aliquos istorum populorum reliquerunt, etiam sub duris conditionibus tributarios, illi ipsi alibi notant interpretes, & scriptura ipsa diserte attestatur. Isti interpretes opinantur, fieri illud cum Gabaonitis, & reliquis illis populis potuisse, non perstantibus in idololatria, pacemve non repudiantibus oblatam sub conditionibus sanctis, antequam ad ipsorum urbes accessum esset. Quæ sane distinctio cum aliis civitatibus est, non cum devotis illis. *Sic facito omnibus civitatibus longinquis, quæ e civitatibus istarum gentium non sunt; sed e civitatibus populorum istorum, quas Deus dat tibi in possessionem, ne sinito vivere ullam rem*: ait Dominus: nec eas interpretum distinctiones admittit. Præterierat illis devotis populis tempus conversionis, & veniæ. *Novit Deus, cui parcat usque ad commutationem in melius: & cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari: & cui non parcat, ita ut vitæ mutationem ejus expectet. & cui non parcat, ut non mutetur in melius: ut sunt insecutabilia judicia ejus.* Et itaque Josue interrogabat Gabaonitas, an essent ex illis populis, cum quibus pangi fœdus non poterat. Et Scriptura notat, in eo pangendo fœdere consultum non fuisse Dei os: & pactum fœdus male. Quod si tamen servatum est pactum Gabaonitis, alia ratio ejus est, & quæstio. Potuit, non servari: sed reverentia quadam jurisjurandi (ut dixi in disputatione De mendaciis) clementer servatum est. Hic quærimus, si potuit contrahi cum Gabaonitis: si potest contrahi cum hominibus diversæ religionis: non, si contractum servari debeat. Cum Gabaonitis attamen potuit nec servari. An cum Rachaba pactum itidem potuit non servari exploratorum? Quid enim si pacti fuissent cum tota civitate Jerichuntinorum? Ceterum non ego dubito, quin

a *Josu. 9. & 10.*

b *Exo. 23. 24. Num. 33. Deut. 7. 20.*

c *Jud. 1. Tr. Ju. & Jud. 2.*

d *Aug. Exo. q. 148.*

e *Jos. 2. & 6.*

quin exploratoribus ea fuerit poteſtas paciſcendi in his, quæ juvabant explorationem: ut de his intelligis, quæ de pactis ducum conſcripſi. Etiam nec eſt contra Rachabam, quod contra Gabaonitas eſt. Neque enim errarunt Iſraelitæ cum illa: non decepit illa Iſraelitas. Etiam & pro ea eſt, quod tota illa res acta ſpiritu Dei eſt: indentis confeſſionem illam ſanctiſſimam ori miſeræ mulierculæ, *Jehova Deus veſter eſt Deus in cælis ſupra, & in terra infra*: & volentis, eam ſervari feminam, de qua naſci Servator habuit. Et verum eſt tamen, nihil horum conſideratum videri a Joſue: qui voluit, pactum Rachabæ ſervari: ſed tantum jusjurandum exploratorum, & meritum mulieris: *Educite mulierem, quemadmodum juramento promiſiſtis ei. Sed Rachabam ſervavit Joſue, eo quod abſcondiſſet exploratores*, &c. Nunquam ea ratio dicta, quia ſic liceret, deberetque iniri cum illis fœdus, dedentibus ſe antequam Iſraelitæ ad civitates quaſi arietem promoviſſent. Cum murmuraret totus cœtus contra duces, qui pacti cum Gabaonitis erant: cur non legem obtendunt duces, ſed jusjurandum ſolum? [a] Sic igitur non me movet, quod Deus & in poſteris punit non ſervatum hoc fœdus: in poſteris Saulis, qui cecidit Gabaonitas, affectus Zelo. Fuit enim Zelus non ſecundum ſcientiam: nam quibus olim parſum fuit propter jusjurandum, eos poſt cecidiſſe Saul non debuit. [b] Non me movet, quod etiam Salomon ſub tributum ſervile fecerit, non deleverit quoſdam eorum populorum: quoniam jam delendi tempus præterierat. Nolebat Deus, eos tum deleri: [c] *Non expellam eos a facie veſtra, ſunto vobis ad latera*. [d] Præterierat ſic per malum murmur pugnandi antea cum Hamelekitis tempus. Præterierat & ſic tempus ingrediendi promiſſam terram. [e] Illud me movebat aliquando, quod legi, *Nulla fuit civitas, quæ pacem fecerit cum filiis Iſraelis, præter Gabaonitas: omnia ceperunt bello: a Jehova enim fuit, quod obfirmarent cor ſuum ad occurrendum bello Iſraeli: ut internecioni devoveret illas: nec fieret illis gratia: ſed ut perderent eas, quemadmodum præceperat Jehova Moyſi*: hic enim ſermo ſignificare videbatur, potuiſſe & aliis his parci populis, ſicut Gabaonitis, non occurrentibus bello: Verum neque iſte locus facit aliquid. Etenim id dicit, obfirmatos eos ad occurrendum bello, ne parceretur ipſis, quemadmodum parſum Gabaonitis

a 2. Sam. 21.
b 1. Reg. 9.
c Jud. 2.
d Num. 14.
e Joſ. 11.

tis erat: non etiam dicit, parci illis potuiſſe: ſed immo perdendos eos fuiſſe, quemadmodum præceptum Moyſi erat. Hue ad præceptum: huc ad legem, & teſtimonium. Præceptum autem Moyſi ſimpliciter de illis populis perdendis, non cum ulla diſtinctione fuit. Et ita etiam ſupradictis verbis ſignificatur. Indurati porro populi fuerant, ut contra ipſos juſtior, & evidentior foret cauſſa belli internecini. Sic induratus Pharao. [a] Sic petit ab Emoreo tranſitum Moyſes pacifice, quem perdere in terris ſuis habebat. Ac notes, quod homines perdendi erant, non urbes. Itaque nec referendum ad ſupradictam diſtinctionem cum ſupradictis theologis, quod narratur, civitates, quæ cum aggere manſerunt, fuiſſe ſervatas: tamquam civitates hæ ſint, quæ obſidionem quidem exſpectarint, ſed dediderint ſe antequam aggeres vi deiicerentur: & ſic reciperentur, & ſervarentur ex lege. Etiam poſt quam acceſſum ad eas erat? [b] Id ipſi illi interpretes denegarunt. Etiam poſtquam obſeſſa fuit civitas? [c] Id ipſa Scriptura etiam in aliis non devotis civitatibus negat. Semper parci urbibus potuit, immo etiam oportuit, niſi ſingulariter conſtitutum de aliqua fuit. Parci illis ſolet, quæ munitæ (hæ cum aggere) ſuperſunt. Ceterum ad hoc primum argumentum nimis multa. [d] Secundo igitur affertur exemplum Davidis; qui cum rege Philiſtæorum in exercitu erat contra Saulem, & contra Iſraelem. Nos autem reſpondemus, aut male pugnaturum fuiſſe Davidem contra regem ſuum, & gentem ſuam, & hereditatem domini; aut non pugnaturum fuiſſe omnino. [e] Is enim ille eſt David, qui tum perſequebatur hoſtes Iſraelis bello mortali: & fingebat tamen, de gente ſua prædas abigere, cædes facere. Sane principes Philiſtæorum per ſuſpicionem infidelitatis Davidem amoverunt ab exercitu ſuo: vel ita per iſtos principes conſuluit Davidi Deus, ne quid a pietate, ac juſtitia remotum faceret. Nam quis facta Davidis omnia probat? [f] Cædem Uriæ, adulterium Berſabeæ, cenſum populi, accuſatum mendacii Samuelem. Quæ res (ſcilicet, quod mentitum de regno ſuo Samuelem putaſſet) cum Philiſtæis adjungere potuit. [g] Tertium Achazi exemplum, qui cum Aſſyrio pepigit fœdus, movet omnino nihil. Impius enim, & improbus ille rex: & Scripturæ verbis late damnatus: & ipſum illud fœdus improbatum. [h] Non movet quartum exemplum fœderum a Macchabæis initorum cum Ro-

a *Num.* 21. *Deut.* 2.

b *Tr. Ju. Ju.* 9.

c *Deut.* 20.

d 1. *Sam.* 29.

e 1. *Sam.* 27.

f 2. *Sam.* 11. 12. *uſt. Pſal.* 116.

g 2. *Reg.* 14. *Jer.* 13. *ubi Tr. Ju.*

h 1. *Macch.* 3. 10.

Romanis, Spartanis, aliis. [a] Quo utitur ante Decianum & Reſtaurus Caſtaldus in iſta definitione. Scilicet iſti Macchabæi, utcumque hominum laudati ore, teſtimonium nondum tulere Dei, quo ipſorum facta omnia juſtificentur. Immo & ab hominibus tulere contumeliæ aliquid: Quam antea alicubi recitavi. Et quidem ſic exemplis aliis quibuſdam reſponſum eſſe volo: quibus reſpondere ſingulis longum foret. Mox vero affert Decianus, quod Paullus ad ſui defenſionem invocavit Phariſæos, & milites infideles. Sed id taceri maxime potuit. Nam a magiſtratu legitimo petiit defenſionem Apoſtolus, quod ſemper licet: Secta autem proba Phariſæorum in eo, in quod a Paullo advocabatur, de reſurrectione mortuorum. Et id nec eſt foedus contrahere. Nec ullibi ſic accipitur aut ſcriptor ſacer, aut alius eccleſiaſticus, qui ſententias profanorum, & ſuas conſentientes dixit. Sic ſcriptores faciunt, ut de profanis profanos vincant. Sic Paullus, ut Judæos vinceret de ſecta eorum frequentiori: [b] Tertio notat Decianus, poſſe quemlibet militare, & auxilio eſſe infideli regi: quod in Decreto. Sed hoc tantum eſt de ſubdito, qui etiam tenetur in id principi ſuo. Et ratio ſingularis illic eſt. Sed jam rationes efficaciſſimas ſe afferre, Decianus ait: & quarto probat foedus, quia omnes leges, & omnia jura permittunt corporis, & fortunarum defenſionem. Quæ ratio eſt hic vana. Scilicet non propterea jura permittunt quamlibet, & quomodolibet defenſionem. Quæ hic quæſtio eſt. Et falſiſſimum eſt argumentum quintum, quod liceat arte magica hic: ut de re iſta antea expoſui, & alibi. [c] Sexto addidit, licere ex cauſſa neceſſitatis communicare, & foedus inire cum excommunicato. Ego tamen de foedere nihil lego. Contractum non diſſolvi per excommunicationem ſupervenientem, ſi excommunicato res prodeſſet, noceret alteri, hoc lego: & inquit per ſupervenientem: nam difficilius ſolvitur contractum, quam impeditur contrahendum. Quem contractum? conductionis. Qui conduxit navem ejus, qui poſtea excommunicatur, poteſt in nave navigare, ſi naulum ſolverit, quod recuperare non poſſit. Illi, qui naves conduxerant, cruce ſignati contra infideles. Ut nihil hic ſimile ſit. Etiam nec eſt excommunicatus conferendus homini diverſæ religionis: ut nec ægrotus mortuo: nam excommunicatio medicina eſt. Reliqua ejus conſtitutionis non ſat certa mihi: qui ca-

[a] *Caſt. de imp. q. 109.*

[b] *c. 94. 11. q. 3. c. 4. 23. q. 1.*

[c] *c. 34. de ſe. exc.*

careo tertia Decretalium collectione: ſine qua vix poſſe iſtam intelligi conſtitutionem, adnotatum eſt. At ſatis ſunt tamen, quæ reſpondi. Commercium nec interdicitur cum infidelibus.
a 1. Cor. 1. [a] Neque lex Dei jubet, nos de mundo exire: & lex omnibus humana jubet commercium cum hominibus omnibus. De fœdere, conjunctione ſingulari, hic quæritur, quod licitum cum diverſæ religionis hominibus, ſupradicta non convincunt. Ego igitur facio plures caſus. Dico licitum fœdus univerſale commerciorum: etiam de his fœdus ſingulare: [b] quale Iſaaci cum Gerari; Davidis cum rege Hammonitarum, & Tyri; & cum hoc etiam
b Geneſ. 26. & 2. Sam. 5. & 10. & 1. Reg. 5. Salomonis. Item dico, licere ſub non æquo fœdere habere hos diverſæ religionis. [c] ut ſic alii extra devotos habentur per legem Dei: *ſint tibi tributarii, & ſerviant tibi*: inquit Dominus. Quod adhuc nota pro religione victis non immutanda. Et ipſi illi Gabaonitæ ſic ſub ſervitium accepti ſunt. Et ex hoc dico, etiam poſſe nos ſtipendiarios habere, qui nobis militent,
c Deut. 20.
d Macc. hiſt. 8. Guicc. 9. infideles. [d] Ut ita cum rege Neapolitano, etiam & Bononiæ Veneto ſtipendio turma fuit Turcarum non admodum pridem. Quintus mihi eſt caſus liciti fœderis, cum cogitur vi fidelis eſſe ſub infideli. Quod enim hic peccatum eſſe cenſebitur, ubi voluntas abeſt? [e] Jubet Jeremia, ſub imperium regis Babyloniæ
e Jer. 21, 27. Judæos ire. Sic principes hodie aliqui, & aliquæ reſpublicæ Chriſtianæ ſub fœdere tributi ſunt cum Imperatore Turcarum: & totum redimunt detrimento partis. Sextus nunc eſt caſus fœderis æqui, & armorum: de quo videre bifariam oportet. Nam aut arma fidelis conjungit cum infideli contra alium infidelem: aut contra fidelem. Contra infideles Macchabæici, & reges Judæ, & his temporibus Luſitani. Atque fœdus non mihi licitum
f 1. Reg. ult. Macbro. 16. & 19. videtur. [f] Ecce enim reprehenduntur illi reges Judæ: alter, quod regem Syriæ vocavit in auxilium ſibi adverſus ingruentem regem Iſraelis: alter, quod regi Iſraelis auxilio ierit contra Syrum. Itaque nec ferre auxilium infidelibus, nec ab illis capere contra itidem infideles licet. Atque ſi non licet id facere contra infideles, quanto minus contra fideles licebit? Vituperatum fœdus contra Syrum: quod pro bonis Iſraelis recuperandis
g 2. Reg. 17. Tr. Ju. erat. [g] Iſrael quaſi gentes. Vituperatum fœdus contra Iſraelem: quod erat ad præſentem defenſionem. Exitus non dico nunc iſtorum fœderum: [h] nam poteſt juſta cauſſa ſuccumbere per juſtiſſi-
h Alc. 7. de fi. cc. mum,

mum, inſcrutabile Dei judicium. [a] Ceterum ita maneo cum doctiſſimo noſtri ſeculi theologo: qui negat, cum infidelibus arma recte conjungi unquam: etſi pax fieri, pax ſervari cum iiſdem poſſit. [b] *Cum omnibus pacem habete*: ait Apoſtolus. Et ſcripſimus nos, moveri bellum non oportere propter religionem. Non poteſt contra fidelem hoc fœdus cum infideli contrahi: quia contra juſtos hoſtes, religionis, & conſuetudinis, & bellicarum legum ſervantes adducuntur aduerſi religione, & expertes, & plurimum contemtores omnis moris, & omnis belliei juris. [c] *Me non pœnitet*, ſcribit Cicero, *ab armis diſceſſiſſe: tanta erat in illis cum barbaris gentibus conjunctio. Me Getarum, Armeniorum, & Colchorum copias ad urbem adducere? Me meis civibus famem, vaſtitatem inferre Italiæ?* Hoc iſtorum infidelium barbarorum, incendere, vaſtare, perdere. Horum eſt injuſto agere dolo, veneficiis pugnare, internecinum gerere bellum, certe referre ſervitutem ſublatam de omni fidelium bello. Sic fœdus non probo regum Galliæ Turcis: per quod aliquando tot hominum millia, puerorum, feminarum capta, abducta in perpetuam, & intolerandam ſervitutem. Etiam nec fidere infidelibus potes. [d] Nam etſi jusjurandum poteſt recipi infidelis impium: infideli tamen qui fides? [e] Alexander nec dubitavit, fidem, quomodo poſtulabant Perſæ, dare. [f] Immo etiam Deus in jurando aptaſſe ſe ad morem gentium, & infirmitati ſerviiſſe Abrahami aliquando, notat Cyrillus: & ab aliis talia poſt quoque notata ſunt. [g] Sed hoc tamen nemo poteſt homo. [h] Fallitur Duarenus cum aliis, qui licitum Chriſtiano ſcribunt, jurare per Maumethem, ſi illi ſit res cum Turca, qui aliud jusjurandum contemnat. [i] Non licet per idola jurare, itaque nec per Maumethem, qui eſt idolum. [k] *Addebat Sultanus, ut juraret rex, ſe ſervaturum conventa: ſin fidem falleret, ea addebat verba, quæ etiam rerum ſcriptoribus referre, effarique nefas ſit*: ait alicubi magnus ſcriptor. [l] Jusjurandum erit per ſuum cujuſque cultum. [m] Et ſic quidem exigitur. [n] Nam & ſic obſtrictum putat ſe, qui per ſuum juravit, non qui per alienum. [o] Quamobrem prudentia potius fuit laudanda Abimelechi, qui ſic exegerit ab Iſaaco jusjurandum per ſuum Iſaaci Deum: quicquid æquitatem laudent theologi. Et ſic igitur poſſit jusjurandum intercedere cum iſtis infidelibus. Sed dic, quod rogo ſæpius, ſi illis fidere poſſumus? In eo, quod li-

a *P. Mar.* 1. *Reg.* 15.
b *Rom.* 12.
c *Cic. 9. Att.* 12. & 11. 6.
d *Aug. ep.* 154. & *c.* 16. 22. *q.* 1.
e *Curt. lib.* 7.
f *Cyril.* 10. *co. Jul. adi. T.* 1.
g *Geneſ.* 34. *Jer.* 15.
h *Deut.* 6. *Duar.* 11. *de jure jur.*
i *c.* 8. 22. *q.* 1.
k *P. Æmil.* 7.
l *l.* 5. *ubi Bal. de jure jur.*
m *Geneſ.* 26. & 32.
n *c.* 16. 22. *q.* 1. *l.* 5. *ubi Bal. de ju.*
o *Geneſ.* 26. *T.* 1.

citum illi faciunt in bello ſibi: & eſt illicitum? [a] *Pacis quæ poteſt eſſe cum Antoniis ratio, in quibus eſt incredibilis crudelitas, fides nulla?* ait Cicero. [b] Etiam negatur hæreticis ſervanda fides. Et ergo hæretici nec fidem ſervare neceſſe putent. [c] Hæreticorum nec eſſe jusjurandum, ſcribunt: etſi ſit & Judæorum, & Saracenorum. Quod igitur vinculum hic fidei erit? [d] Eſt quidem verum in contrarium. [e] Sed Orientales theologi dicebant regi Hieroſolymorum, pactum non ſervandum in communi terrarum cauſſa religionis. Occidentales theologi Ungaro regi idem ſuaſere; & cladem illam effecere lamentabilem, in qua ille cecidit rex, & Ungaria ferme univerſa: ſuaſere Scanderbego: & lumina totius Europæ profuderunt. [f] At audi Guicciardinum, qui narrat. proprium id cenſeri pontificum, non curare promiſſa: effeque ſtatutum, ut eccleſia, nullo obſtante contractu, promiſſione, adepto beneficio, poſſit retractare obligationes, & contra eas diſerte etiam venire, quas peregerint prælati ſolemniter. Sic non tuto cum iſtis contrahitur: & nec itaque iidem contrahunt tuto. Et nec contrahitur juſte: quia hæretici nec juſti hoſtes ſunt: itaque nec hæreticis alii hoſtes juſti. [g] Monebat Gallus ſuos, non fidendum hominibus diverſæ nationis, & religionis, aut jurantibus: cui non obtemperarunt non ſine magno malo.

a *Cic. ibi.* 4.
b *Hoſ. ep.* 19. *ſeq.*
c *Bald.* 5. *de jureju.*
d *Joſ.* 9. *Ezech.* 17. *& P. Æa.* 3. *ſem.* 18.
e *P. Æmil.* 5. *Scand.* 11.
f *Guicc. lib.* 8.
g *Cedr.*

CAP. XX.

De armis, & claſſibus.

POſt hæc de armis dicendum eſt, & de claſſibus. [h] Et armorum nomen latiſſimum utique eſt. Sed in armorum hoc noſtro judicio de legitimis bellorum capimus. Quæ qualia ſint, & indicavimus libro ſuperiore, & incognitum eſſe non poteſt. De his igitur cautum exiſtimabimus, ſi quid de armis cavetur in conventione pacis: puta, ne armorum apparatus fiat: ne arma ad hoſtes deferantur: ut arma tradantur. [i] Et quamquam cetera arma alio reſpectu haberi poſſunt, quædam bello tantum apta ſunt, ut bombardæ ſive murales, ſive campeſtres: quæ tamen omnia apta proprie ſunt non modo privatis uſibus, puta venationibus, ſed etiam iſti publico bello, in hujuſmodi conventionibus

h *l.* 41. *de V. S.*
i *Alc. d. l.* 41.

nibus venient. Et ſic uſus oſtendit perpetuus. An enim juſſi arma tradere, ſola tormenta majora tradunt? Hæc neque generali armorum, ſed ſingulari ipſorum nomine notari ſolent: ſi de ipſis ſolis agitur. Et generali igitur nomine generaliter arma intelligantur: & ex ſubjecta tamen materia, quæ ſint militaria. [a] At quod fœdere inter Auſtriacos, & Helvetios pagos cautum eſt, ne arma Auſtriaca per viginti millia paſſuum accederent ad fines Helvetiorum, id figura ſollemni dictum de armatis eſt. Et poteſt tamen deque armis ipſis intelligi: non ſi forte aut per fines, aut penitius territorium Helvetiorum vehenda arma Auſtriacis eſſent: id enim Helvetii non prohibebunt: ſi commercia viarum prohibere nolint: non prohibebunt, aut homines tranſire quaſi viatores: ne veluti cingulo illo, ſolis ardore torrido, jungi alios aliis, ipſi medii vetent. Nunc (quod quæritur) non poſſunt Veneti, alii negare Helvetiis, aliis, quominus ſic tranſeant, arma tranſmittant ad ducem Cæſarem Ferrarienſem. Sed ſi ad Helvetiorum fines repoſitorium armorum fieret ab Auſtriacis: hoc Helvetii vetare poſſunt per fœdus, quoniam facilius & viri illuc expediti adducentur: & Helvetiis pericula crearentur repentina. Adverſus quam rem cavere etiam pacto expreſſo ſic ſibi Helvetii voluerunt. Ceterum quem definiemus numerum armatorum? Videtur de exercitu accipiendum verbum. Sed exercitus qui eſt? [b] Definitur cœtus militaris uni duci ſubjectus. At cœtus iſte quantus eſt? Certis definire numeris, ineptum eſt. [c] Tres faciunt Collegium, decem faciunt gregem; quindecim faciunt populum; &c. [d] Sed exercitus ſex legionibus, & magnis equitum, & peditum auxiliis a Cicerone definiebatur. [e] Et noſtri ſic Juriſconſulti *Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, ſed numeros multos militum. nam exercitui præeſſe dicimus eum, qui legionem, vel legiones cum ſuis auxiliis commiſſas adminiſtrat.* [f] Et Polybius, *Romani quatuor legionibus exercitum complent: & perfectus apud eos numerus copiarum, ubi de ſumma rerum agebatur, conveniebantque ſimul duo conſules ex ſexdecim millibus Romanorum, & ſociis Latini nominis ad viginti millia conſtabat.* Et hæc quoque nec ſemper, nec ubique apta. Etiam nec conſtituo numerum hic mille hominum: [g] a quo eſt nomen militis. [h] Ait apud Livium, *Speciem juſti exercitus feciſſemus*, de octo, aut decem millibus. Sed ut magnis imperiis nec is dicetur exercitus, ita maximus parvis

a *Nat. Co.* 3.

b *Suida.*

c *l.* 85. *ubi noſ. de V. S.*

d *Cic. parad.* 5.

e *l.* 2. *de his, qui no. inf.*

f *Polyb.* 3.

g *l.* 1. *de te. mil.*

h *Liv.* 25.

ſit. Rectius ex officiis, ſive muneribus, & ſignis, & majoribus tormentis cognoſci res iſta poteſt: ea enim habentur in exercitu, non alibi. Sic & de armis eſt reſpondendum: ut pro ſubjecta materia rem totam expendamus. Exercitus enim ſic quoque noſtris accipitur pro uno aliquo numero militum. Et ſic arma capio ego in fœdere ſupradicto: quoniam & cohors aliqua terrori eſſe, & fraudi Helvetiis poteſt: atque, nec fieri utrum poſſet, cautum fœdere videtur. Claſſem itidem determinare certo navium numero, ineptum: qualitate navium, aptius. Onerariæ vix ſunt ad bellum, & arma. [a] Sed nec noſtrates ſex viſæ Floro claſſem facere. Contra dicebat Hyperides, violatum fœdus, quod vel una triremi in Piræum Macedones appuliſſent. [b] Scilicet & claſſis de navi una dicitur: & ut claſſem non faciat navis una; lex tamen pacis in una non minus poteſt intelligi, quam in homine uno, quod interdictum proponitur de hominibus armatis coactis. [c] Et de quo noſtri, ac Cicero explicarunt. [d] Sapienter & apte hic divus Marcus, *Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur?* Ego illicitum dixi modo repoſitorium armorum. Addo illicitumque militum etſi inermium coactum. [e] Et iſti enim inſtruere ſe armis per occaſiones poſſunt, & vim armatam inferre. Neque vero callide controverſias, ſed æquitate dijudicamus: & jura non litteris exprimimus, ſed utilitati communi. [f] Et hic dicetur, quantum ſpectat ad numerum, quemadmodum multitudine, aut paucitate non eſt differentia ſpeciei. [g] Etſi ſit injuria major accedere cum armatis pluribus: & in ſtatuto itaque puniente accedentes armatos nec intelligatur qui acceſſit cum armato uno. Ea eſt, & vulgo dicitur interpretatio ſtatutorum Judaica: quam hic valde fugimus. [h] *Et quamvis res, de qua agitur, minima videatur, juſtitiæ tamen ratio non ex quantitate, ſed ex ſuis regulis debet æſtimari*: ait anteceſſor Julianus [i] & imperatores. *Dolus qualitate, non quantitate æſtimatur:* [k] & Auguſtinus. *Sicut eadem rotunditas eſt in magno diſco, & parvo: ita eadem ratio juſtitiæ eſt in parvis, & magnis rebus.* [l] Et Caſſiodorus. *In qualitate eſt, non in quantitate, peccatum, ſiquidem menſuram non quærit injuria.* [m] Et Iſocrates, *Non oportet conſiderare, an parum verberarit, ſed an leges violaverit: univerſa enim petulantia coercenda eſt.* [n] Et huc definitiones juris, dantes actionem, accuſationem vel pro re minima. Solet fœde-

ris

a *Flor. lib. 1.*
b *Serv. Æn. 6.*
c *l. 1. 3. de vi ar. Alex. 4. conſ. 85. l. 2. de vi bo ra. Cic. pro Cæc.*
d *l. 7. de vi priv.*
e *l. 3. de vi ar.*
f *Ariſt. prin. polit.*
g *l. 34. de injur. Jaſ. l. Gallus.*
h *Jul. nov. 69.*
i *l. 10. C. de reſ. ve.*
k *Aug. 4. de do. Chr.*
l *Caſſ. 2. var. 12.*
m *Iſocr. co. Lach.*
n *l. 2. vi. bo. ra. l. 3. de bo. ra.*

xis ſermone aliquando auferri omnis ejuſmodi dubitatio: & de una navi caveri: [a] ut in fœdere Cimonis Athenienſis cum Perſis, *Ne extra Cyaneas Medica navis bellico ritu navigaret*. [b] De navigatione vetita etiam in fœdere Romanorum, & Carthaginenſium. Atque vides ex his, ſi defendi Turca poteſt: [c] quem accuſat P. Jovius, quod ex lævi offenſione, uniuſque tantum demerſæ triremis, ſuæ cum Venetis vetuſtiſſimæ pacis leges abruperit. Sequitur.

a *Suida.*
b *Briſſo. 4. form.*
c *Jov. lib. 36.*

CAP. XXI.

De arcibus, & præſidiis.

[d] ET priſca fuit conſuetudo, arces ædificare ad ſecuritatem, & ad ſuppeditanda neceſſaria. [e] Et juris gentium eſſe munitiones, Iſidorus ſcripſit. [f] Et, ex jure gentium ædificia collata, Hermogenianus. [g] Et Athenienſes Lacedæmoniis, volentibus urbem Athenarum ſine mœnibus, reſponderunt, exædificare ſe mœnia jure gentium. Neque dubium hic eſt ullum. [h] *Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur.* [i] Nam mœnia eſſe civitatibus oportere, & arma, Ariſtoteles declarat. Dubium eſt in finibus: ubi tamen exſtrui arces ſolent frequentius. Nam vicinis id ſemper periculoſum eſt habitum. [k] Sic Scytha ultra Tanaim rex ratus cervicibus impoſitam ſuis urbem ab Alexandro vel eis fluvium conditam. [l] Sic Hetruſci indignantur, præſidium Romanorum ad Cremeram. Et Volſci, & Æqui fremunt ob communitam Verruginem. Nobis hic de jure videndum eſt: & quid arx ſit: & quomodo ædificari arx in finibus poſſit. [m] Neque enim (inquit Baldus) fortalitii nomine venit, quod non eſt forte: etſi ſic appelletur: & olim quoque fuerit fortalitium. [n] Et idem Alciatus: quod nequeat jam dici fortalitium, aut domus fortis, quæ undique aditum cuique habet, non murorum ambitum. Et per contrarium ergo eſt fortalitium, arx, etſi non ita nominetur, ſi ita in vero eſt. Et ergo notemus, quod ſi conventum ſit de arcibus non habe[illegible], ſed dimovendis, non iſtæ intelligentur, quæ arces olim fuerunt, nunc non ſunt. Item intelligi alias, quæ

d *Polyb. 6.*
e *Iſido. et y. 5.*
f *l. 5. de juſt.*
g *Corn. Ne. Themiſt.*
h *Cic. Somn.*
i *Ariſt. 7. polit.*
k *Curt. lib. 8.*
l *Dionyſ. 9. Liv. 4.*
m *Bal. 3. conſ. 112.*
n *Alc. 5. conſ. 21.*

quæ quidem non ita nuncupentur, ſed ita ſunt tamen. Quamobrem videri Sangeneſiates cives mei potuiſſent non bene olim ædificaſſe arcem Riparum, propugnaculum in finibus contra Firmanos, ſub nomine neſcio quo ædium: ut conceſſum de ædibus fuit nobis a Principe. Etenim idemque eſt domus fortis, & fortalitium: ut Alciatus ait. Arx igitur eſt ab arcendo hoſtes: & non eſt, niſi quæ munita eſt adverſus arma, & belli vim. [a] Convenire autem ſolent principes ſæpe in hoc, ne arces ædificentur in finibus: nam ſunt illæ caſtra militaria: quo & appellantur nomine: ut Scipio frater in Originibus notat. [b] Ergo citraque ullum pactum fuerit ex juſtitia, nihili iſtiuſmodi facere: quia caſtra admovere alienis veluti foribus, non videtur juſtum, etſi in ſuo. [c] Et convenire igitur videris aliquando principes, ut hæc fieri in finibus utrinque poſſint. [d] Ex conſuetudine tamen mundi totius & hæc ſolita, & licita reſpondit Baldus, & in finibus, & ad æmulationem. Ego de conſuetudine puto idem fere. De jure quod addit, falſum eſt: ut vincit modo dicta a nobis ratio. [e] Immo alii ſic tradunt interpretes, non licere in proprio ſolo fortalitia facere, quæ poſſint cedere ad æmulationem alterius principis, aut civitatis. [f] Videlicet tueri quis debet jus ſuum non injuriam alteri facere. [g] Ipſe docet Baldus, nec vendere quem poſſe caſtri partem ad ſocii æmulationem. [h] Sic & alibi, deque arcibus ſæpius idem Baldus cum reliquis & reſpondit, & docuit. Et contrarium dicit magis ex conſuetudine. [i] Favorabile eſt, has tollereque æmulationes: ut Alciatus habet: & malitiis non indulgere. &c. Difficultas aliqua in eo eſt, quando factum ad æmulationem videatur: & quid iſtud ſit verbum hic. [k] Atque æmulus vel eſt ſtudioſus ejuſdem rei, vel inimicus: atque ita æmulatio hic eſt inimicitia. [l] Et in dubio non videtur fieri ad æmulationem. [m] Sed ſi damnum, incommodum vicino procuratur, id fieri ad æmulationem dicitur. Atque hic Baldus, quod cum intentione ædificantis concurrere habet aptitudo, vel actus nocendi. [n] De intentione autem conſtat judicari ex eo, quod eſt principalius. [o] Si non neceſſe eſt fieri: ſi idem fieri poteſt aliter abſque vicini injuria: factum videbitur ad æmulationem. Etiam & quum facienti levis eſt utilitas, vicino autem magnum incommodum, illicitum factum dicitur. Hic vero fuerit nodus. [p] Nam Alcia-

tus

a *Procop. 1. Perſ. & 2. de Ju. ed Na. Co. 19.*
b *Jaſ. l. 5. de juſt.*
c *Herodi. 4.*
d *Bal. 2. conſ. 205. & 5. conſ. 435.*
e *Pan. 2. conſ. 62. Rom. 52. Jaſ. d. l. 5.*
f *l. 1. quod vi.*
g *Bal. l. 1. C. qui te. fa. po.*
h *Bal. l. 3. de di. re & 2. conſ. 188.*
i *Alc. 2. conſ. 24.*
k *Servius Æneid. 6.*
l *Bal. d. l. 3.*
m *l. 3. §. pe. de aq. plu.*
n *Ang. l. navis, de l. Rb. Cepb. conſ. 451.*
o *l. 1. ubi gl. ne q. i. f. p. Rom. conſ. 52. Alc. 2. conſ. 13. & Cepb. 130.*
p *Alc. 3. præſu. 23.*

tus alibi tradit, conſiderari utilitatem quamlibet, ut in ſuo quiſque facere poſſit, quod velit. Videlicet utitur re ſua is, non abutitur: ut qui faceret ad nullam utilitatem. [a] Et magnus ſemper eſt favor, ut de ſuo quis facere poſſit, quod velit. Et ab eo vix diſceditur illo caſu, cum ſibi non prodeſt, & alteri nocet. [b] Quod tibi non prodeſt, relinque: ait lex. [c] Hoc generale, ut quis non admittatur ad id, quod alteri nocet, & ſibi non prodeſt. Ceterum ſi nec ſibi quis, at proſit vel alteri, etiam facere illum in ſuo poſſe, quod nocet alteri, idem ſcribit Alciatus: quia nec dicatur ille facere, ut noceat principaliter. Atque mihi ſic videtur: non in levi tamen utilitate: & qua facile carere faciens poteſt. Levia enim & ſpernuntur, & ducuntur pro nihilo, & ſemper adſunt. [d] Et ſic igitur, qui procurat ſuam utilitatem, is non præſumitur eſſe in dolo, nec habere animum nocendi, etſi noceat. Suam etiam & alienam. Contra, ſi nec ſuam, nec alienam. [e] Sed tamen ſi nulla inutilitas mea, aut alterius ſit, utilitas autem alicujus eſt, non propterea ego facere teneor: quia magis tenemur, non nocere, quam prodeſſe. Aliud Baldi extra controverſiam, non videri ad æmulationem facere, qui conſtruit, aut deſtruit ad defenſionem, ad propulſandam æmulationem. [f] Neque enim cuiquam facit injuriam, qui ſuæ conſulit ſecuritati. Sed aliud de aptitudine nocendi, quam ſatis eſſe non putat, ut ædificatio prohibeatur, mihi non placet per omnia. Inquit, ædificium in poteſtate nocendi non eſſe contra pacem; nam & poſtumus ante nativitatem non rumpit teſtamentum: & potentia, antequam deducatur in actum, aſſimilatur conditioni: unde interim nec eſt obligatio: & pacem non rumpi per gravem ſuſpicionem, quæ deducta in actum non ſit. Et ego probo de non rupta pace: quoniam nec omnis injuſtitia, etiam quæ dare cauſſam juſtam bello poteſt, frangit pacem. Et vero id hic teneo, ex iſto ædificio, apto nocere, cauſſam juſtam eſſe belli, & diſcedendi a fœdere. [g] Hoſtes namque ſunt, qui apparatus faciunt, ut nos oppugnent. [h] Et lege de ſicariis tenetur, qui cædem conatur, quive hominis occidendi cauſſa ambulaverit cum telo. [i] Et paratus facere proximus eſt facienti. Aut quid expectare habemus, dum offendamur? [k] Signa proxima cauſſæ ſignificant, effectum prope eſſe. Cum id genus reliquis: quæ dixi in primo libro. [l] Paci

a *l.21.C.ma.*

b *l.9.de imp. in res da.*

c *Cepb. conſ. 3.*

d *Dec. conſ. 489.*

e *Alex. 6. conſ.203.*

f *l.87.de leg. 1. l.21. de aq. pl.*

g *Pbi. de ſp. leg.*

h *l.1.de ſicar.*

i *Jaſ.l.20. de no. op. nu.*

k *Cl.Al. 3. pæ.11.*

l *Ang.l. 14. quod me ca.*

a *l.15. de injur.* ei contravenit, qui metum infert. [a] Sane: quoniam hoc ad injuriam ſpectat. At per id, quod eſt in potentia, ut ſit injurioſum, nunquam dixerim pacem rumpi. Et nec putem tamen ſimile de poſtumo raptum ſimile eſſe ædificio jam
b *l.3.C.de poſtr. in.* conſtructo. [b] Cui potius ſit ſimilis poſtumus natus potens vivere: etſi non vivat: qui immo rumperet teſtamen-
c *Alc.5.conſ. 332.* tum: & itaque hoc ædificium rumperet pacem. [c] Alciatus ſic poſt alios tradit, ruptam cenſeri pacem per armatorum collectionem, caſtrorum munitionem. Sed ſic quia id belli videri principium poteſt, & præſens metus inlatio. Et de pace rupta dico poſtea. Nunc vero abſolvo de arcibus, quod ſi illæ ſunt aptæ nocere, etiam ſunt illicitæ. Et ergo fieri arces nolim, quæ
d *Ang.l.6.de ju. & ju.* aptæ ſint fœderato nocere, [d] Et cum novum quid fieri prohibetur, ei nec addi, nec detrahi poteſt, ſed idem tantum con-
e *Alex. 2. conſ.174.211.* ſervari. [e] Illud nihil eſt, quod antea nunquam in loco arx fuerit: licet enim conditionem ſuam facere meliorem, etiam cum detrimento alterius. Si fuiſſet arx, & demolita fuiſſet per aliquas conventiones; tum certum, exædificari non poſſe. Item ſi aliquando volens ædificare eſſet prohibitus, tantumque deinceps præteriiſſet temporis quantum ſatis in hoc certo caſu viſum legibus eſt. Et hæc de arcibus ædificandis in ſuo. Nam in alieno
f *Na. Co.5.* ædificari non poſſe, ſemper eſt certius. [f] Itaque Turca oppidum quoddam ſibi dedi ab Hiſpano petiit, quod is in Turcico ædificaſſet. *Quod ſolo inædificatur, ſolo cedit.* Quæ vero de arcibus dicta ſunt, eadem ſunto & de præſidiis dicta. Eadem & de qua
g *Bal.5.conſ. 507.* alia ſimili re. [g] Semper enim prohibito aliquo, ſive per legem, ſive per conventionem, prohibetur etiam ejus ſimile: quia non in
h *Sigo.14. de ve. ita.* modo, ſed in qualitate eſt jus. [h] Itaque non probem ego Mediolanenſium cautionem, qui jurati, muris nunquam ſe munituros urbem, hanc foſſis, aggeribuſque confirmarunt, ita ut egregie defendi adverſus quemcunque impetum hoſtium poſſent.
i *Bal. d.l.3.* Id enim erat, quod prohibebatur. Iſta & demolienda ſunt. [i] Et ſic Baldus, quod liceat in civitate etiam ædificia perdere, quæ æmulationem, incendium parere *poſſunt*. Præſidia ſi collocentur prope oppidum, aut arcem fœderati: item ſi arx prope ad arcem excitetur, ut inde jacula, tormenta mitti queant: tanto eſt injuſtitia facti evidentior, quanto eſt propius periculum
k *Bal. qui. mo. ve. am. Alc. d.132.* fœderato admotum. [k] Etiam concluditur ex hujuſmodi propiori

facto

facto assultumque factum videri. Et id ego dicebam modo de pace rupta per armatorum collectionem. [a] Unde sequitur, quod si iste, in quem factus insultus est, facit ipse aliquid nunc, fecisse ad defensionem videatur. [b] Neque enim solvunt hi pacem, qui bellum primi movent, sed qui per insidias fœderum tempore arma capiunt; ut sic contra Justinianum nostrum dicebant Atmeni legati Persæ regis. Et hoc est sine dubio verum, donec stat arx, & præsidium prope. Etiam si tollitur non pœnitentia facti, sed desperatione proficiendi, Sed nec pœnitentia excusat, quatenus, aut quoties interest adversarii: ut explicat Alciatus: aut delictum jam consummatum est. Atque satis de his, quæ caveri fœderibus solent, aut ad fœdera notari. Et quidem exempli gratia plus quam satis. [c] Pax sunt capitula pacis.

a *Dec. cons.* 459. 460.

b *Procop.* 2. *Pers.*

c *Bald. d.* 195.

CAP. XXII.

Si successores fœderatorum teneantur.

Fœdere inito quæri valde consuevit, si successores, de quibus nihil expressum est in fœdere, continentur. [d] Et nobilis, & vexata quæstio dicitur, an rex decessoris sui pactionibus teneatur. Et responsum est, considerandum esse prius, quorum bonorum nomine se obligaverit decessor. Nam esse quædam, in quibus nec se ipsum obligaverit, qui contraxit. Et hoc est, quod dixi antea in casu Francisci I. Galliarum, & ipse prædixit ante omnes rex: non se pacisci potuisse, ut quid de regno Galliæ alienaretur. [e] Nequeunt principes convenire in detrimentum regni: quibus commissa tutela est, non dilapidatio: ut sic Baldus: & sic nos antea. Finita causa (idem Baldus hic) finitum habet effectum. Et principis potestas finitur morte, cum id genus plurimis. Tutor, curator, administrator, usuarius, usufructuarius non sic alienant, ut substantia rei salva non sit. [f] Potest princeps vectigalia, alia emolumenta alienare: non alia, nec quidem modica, in quibus modicum regno est detrimentum, si alienatio sit penitus, id est expropriatio. Quæ videris apud Alciatum. Removet autem Baldus vulgatum illud de donatione Constantini: de quo itidem ante est dictum. Non licet nec in minimo alienare: quia sic ad maximum, immo ad totum deveniretur: [g] *can.*

d *Hott. de succ. re. Ga.*

e *Bal. prec. Dig. & 1. cons.* 327.

f *Alc. l.* 25. *C. de pact. l.* 11. *D. de V. S.*

g *Horat.* 2. *ep.* 1.

caudæque pilos ut equinæ paullatim vello, & demo unum, demo etiam unum, dum cadat elusus ratione ruentis acervi. Possunt vero principes esse, qui statuere pro libitu de principatibus valent: veluti Turca: cui omnes servi in suo imperio. Isti alienantur.

a c.3.de sent. Bal 3. cons. 359. Hot. d. b Sen.4.decl. 3. & 9. constr. 3.

Etiam qui soliti alienari. [a] Tenet etiam obligatio successores, si regni nomine percussum est foedus: aut si is sit princeps, cui hæc & facultas sit. [b] *Imperator fœdus percussit: videtur populus percussisse Romanus: & fœdere continetur:* Aut etiam si in ea re est foedus, quam quæsiit princeps non opibus, & operibus principatus, sed suis. De hac enim statuetque quasi de patrimonio

c Gmic. 2.5.

privato. [c] Et ita visum ex facto est non semel. Sed generalis videtur admovenda distinctio, an de bello solum transactum sit, & facta pax; an etiam sit amicitia contracta, & societas. Et priore casu obligari successores credantur: vel nunquam posset

d Cepb. cons. 24.

pax exsistere, si successores exspectandi semper forent. [d] Etiam legitimus administrator, qui est, qui habet in potestate eos, de quorum te agitur, transigit sane, &, si facit bona fide, obligat eos valide. Principi autem tribuere minus non quidem possumus:

e Crav.cons. 9. 241.

qui pater patriæ est: [e] & subditos sic habet tamquam liberos.

f Alc.5.cons. 42. Decia. 2. cons. 38.

[f] Etiam tutor, cujus est omnino potestas minor quam principis, pacem pro pupillo facit: certe cum de injuria adversarii non constat liquido: & cum pupillo utilis pax exsistit. Quæ in hac pace publica esse intelligentur per ea, quæ de utrinque justo voluimus bello, & de bellorum acerbitate perpetua, &

g Alc.1.36.3. 79.8.107.

victoriæ incerto semper: [g] Etiam de feudatariis, etiam de prælatis sic est traditum, obligari & dominum, & successores transactionibus factis fide bona: de prælatis hoc amplius, etiam contradicente capitulo transigentibus. Sic & ad debita utiliter contracta successorem teneri. Atque tu dic utilitatem hic, ut modo dixi: nisi evidens magna inutilitas appareat: ut nec ista relinquatur ansa successoribus discedendi pace. Et animadvertendum est tamen, quemadmodum sint etiam principes, quibus nec ista potestas est:

h Alc.3.cons. 134.

ut dux Venetorum est, & rex Poloniæ. [h] Isti de re ad propriam suam personam tantum spectante pacem facere possunt. Neque de hac pace movebunt successores in principatu: quia illa persona

i Alc.5.cons. 134.

nihil ad hos pertinet. [i] Et neque successor privatus reclamare paci auctoris sui. Et itaque nec successor publicus. Si non sit successor, nec quicquam mirum, si nec tenetur conventis priorum.

rum. [a] Eleganter reſpondit Alciatus, Vicecomitum facta non pertinere ad Sfortiacos, in ducatu Mediolanenſi ſuccedentes. [b] Alias nec de plenitudine quidem poteſtatis licet vel ſucceſſori abire a contractu & cum ſubditis inito, & nec domino feudi. [c] Pax igitur perpetuo durabit pro natura ſua: & belli cauſſæ conſopitæ jacebunt. [d] Niſi forte ſic remiſſæ ſint injuriæ ſub conditione, ſi poſtea nulla inferatur alia injuria: hoc enim caſu, ſi alia infertur, manent priores. Hactenus vero de pace. Amicitia, & ſocietas non videtur ad ſucceſſores tranſire. [e] Quoniam & in privatorum ſocietatibus definitum eſt, illas ad ſucceſſores non tranſire. Atque ex natura ſocietatis cum ſit iſtud, etiam & amicitiæ: utique erit idem & in publicis: eadem ubique exiſtente ſemper natura rerum. Conſideratur perſonæ qualitas in ſocietate, item & in amicitia: & illa in ſucceſſores non tranſit qualitas. [f] Itaque jus amicitiæ, & ſocietatis, a Romanis tributum regi alicui, ſucceſſori hujus renovabatur. [g] Quinimo de privatæ ſocietatis natura illud addetur, ut ad ſucceſſores nec pertineat, etiam ſi id cautum fuiſſet, & conventum expreſſe, ut pertineret. Quod tamen hic non cenſeo. [h] Nam in ſocietate vectigalium, & ubi utilitas, ac negotium publici agitur, hoc obligari modo ſucceſſores, & præter rei agi naturam, traditum eſt. [i] Et ita in facto negabatur aliquando fœdus morte finitum, de quo conventum eſſet, ut duraret per annum cum ſucceſſore cujuſque. [k] Etiam, cum eſt præfixum ſocietati tempus, & cauſſa eſt publica, obligari ſucceſſores, docent interpretes juris. Immo, ſi cum populis agitur, ſucceſſores ſemper continebuntur: quoniam illic idem ſemper. [l] *Principes mortales æterna reſpublica*. Sic fœdera Romanis contracta cum Latinis, cum aliis populis, ut perpetua eſſent. Aut numquid dicimus exemplo privatorum ineptos contractus initos? [m] Et inepte etiam dixiſſe hac de re Demoſthenem, *Etiam poſteros implicaſtis pace*, &c. [n] Et hæc tamen fœdera finiunt aliquando morte civitatum, & populorum. [n] An & alia facta forma reipublicæ? Movet Ariſtoteles quæſtionem in ſermonibus politicis, nec definit tamen: quia nec propria operis, quod tractabat. [o] Ceterum Sabini ſic dicunt, ſolutos ſe fœdere, quod cum Tarquinio icere, pulſo Tarquinio regno ſublato. Fidenates, qui idem ajunt mortuo Romulo: Latini, qui mortuo Tullo, & iterum Anco mortuo: Hetruſci, qui defuncto Priſco.

a *Alc.2.conſ.* 38.
b *Ceph.conſ.* 23.
c *Alc.2.præſu. uſt.*
d *Eng.1.conſ.* 82.
e *Mol. Alex.* 1. *conſ.*130.
f *Briſſ.* 2. *form.*
g *l.*32.52.59. *pro ſoc. Rom. conſ.*191.
h *Dec. conſ.* 213.
i *Guicc.* 16.
k *Dec.1.conſ.* 22.
l *Tac.ann.*3.
m *Demoſth. phi.* 2.
n *Ariſt.*3.*poli.* 2.
o *Dionyſ.* 3. 4. 5.

Sabini, qui peremto Servio: foederibus se non teneri, contendunt, quæ cum deceſſoribus illis regibus pepigerunt: male dicere videntur. Niſi Sabinos & hic defendimus: quia nec cautum de ſucceſſoribus erat in illorum foedere: & neque rex Superbus ſucceſſor Servii, ſed tyrannus: ipſi autem cum rege præceſſore foedus percuſſerint. Quæ & Sabini tum attulere. [a] Juſtinianus hoc de tyranno dicit Vandilis, ſe non cum eis bellum, neque contra fœdera gerere, ſed contra tyrannum, qui illis regem dejecerit, & captivum teneret. [b] Ac licet non laboretur, ne quis eorum, qui communibus fœderibus continentur, injuſtus ſit: ſed hoc tantum, ne alteri ab altero injuria inferatur, quod & reſponſum Juſtiniano fuit, curare eum aliena non debere, ſed ſervare fœdus cum regibus contractum Vandilis. Non tamen Juſtinianus his adquieſcit: at bellum movet. Et generaliter dici poſſe videtur, non eumdem eſſe tyrannum, & regem. [c] Scilicet ut ſubtiliter diſputando non ſit iſta reipublicæ mutatio: tanta eſt tamen alteratio, ut nec ſuperſit idem nomen, & res corrupta prorſus appareat. [d] Et quid eſt regnum? poſſeſſio reipublicæ. Quid eſt tyrannis? poſſeſtrix reipublicæ. Quid diverſum, adverſum magis? Atque ſi a noſtrorum legislatorum inſtituto, & a præſenti ratione diſputandi non diſceſſerimus: omnia & metiemur pinguius: & pronius admittemus mutationem. Ceterum & pro Fidenatibus, Latinis, Hetruſcis dixerit aliquis, eos in caſibus ſupradictis non degere obligatos: quoniam nec reges illi ſucceſſores ex adverſo eſſent obligati: [e] ut id de Baldo, & Jaſone Joannes Bodinus tentat: utque Perſeus ſic negaverit, patris ſe teneri conventionibus. Ego tamen non adprobo iſtam inæqualitatem, ut populi illi tenerentur ſemper, quia populi idem ſunt ſemper: reges ſucceſſores non tenerentur. Et igitur verum eſt, quod ſi reges ſucceſſores non tenentur contractibus deceſſorum, nec populi teneantur, qui cum defunctis illis regibus contraxerunt. Quod ſi autem non tam rege, quam cum populo Romano fœdera contrahebantur: dubium non eſt, quin populi illi omnes obligati Romanis manerent, & illis Romani. Et ſi ſtatus rei Romanæ fuit democraticus, etiam (quod defendit Bodinus) ſub regibus: magis certum erit de obligatione manente: quicquid is deceſſerit rex, cum quo fœdus ictum eſt. Sed ſi fuit ſtatus democraticus, ſequitur ex adverſo, alium illum ſtatum factum ſub

a *Procop. 1. Vand.*

b *Ariſt. 3. polit.*

c *Ariſt. 5. polit.*

d *Suid. Ariſt.*

e *Bod. 5. de rep. fi.*

ſub Superbo, non modo alteratum, cum democratia in monarchiam verſa fuit. Et itaque, quod antea dicebam, fœdera omnia ſoluta videantur. Attamen ineptiſſimum Bodini commentum eſt de ſtatu Romano. Etſi enim leges populus ferebat, magiſtratus deferebat, bella inferebat: quæ ſumma ſunt ſtatuum: [a] quod tamen neque populus non præeunte ſenatus auctoritate; neque ſenatus ante regis, conſuliſve vocationem, & rogationem, & conſultationem, aliquid ſtatuebat: ſtatus ille merito ex tribus mixtus dicitur a Polybio, & Cicerone. Et argumentum contra hos de populi poteſtate ſupradictum Bodini nullum eſt. Hæc proprie mixtio eſt, cum non integra ſimplicia conveniunt, aut perſpicue apparent, ſed cum temperata altera cum alteris ſunt, & per quaſdam qualitates deprehenduntur. [b] Sed & cum principes ſucceſſores non obligantur, eos tamen decere contractibus deceſſorum ſtare, dubium non eſt. [c] *Juſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua a ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem & ſtatuta cuſtodiat.* [d] Sic & alicubi Demoſthenes. Et ſic Athenienſes, qui recuperata republica diſſolvunt alienum triginta tyrannorum æs. [e] Et ſic Alciatus, ſervari debuiſſe ſtatuta regis Galliarum, etiam pulſis Mediolano Gallis: quæ magna nitebantur ratione: etiam ſi Gallus tyrannus fuerit. Nam & pro utiliter geſtis tempore tyrannidis tenetur dominus verus: & contractus tum geſti valent: & prædoni etiam pro utiliter geſtis eſt ſatisfaciendum. [f] Et conſtat alioqui in jure, quod pacta non ligant ſuccedentem magiſtratum diverſum a priori, cum quo inita pacta fuere. [g] De qua re & illud eſt Alciati, non debuiſſe & itaque noluiſſe ſtare contractibus Maximiliani ducis Mediolanenſis Gallos, qui in ejus locum, ſed non ex ejus perſona, ſucceſſerunt. Et tradit late Tyberius Decianus libro tertio reſponſorum. Quamquam hic idem in eodem libro affert in argumento, & probat ſententiam Decii, & Panormitani, docentium, exempli gratia, inita fœdera cum republica Florentina ligare etiam Coſmum ducem, ſucceſſorem reſpublicæ. [h] Sed ſucceſſores tenentur, ſi contractus ſint ex natura, & conſuetudine principatus. Ut illi quidem ſunt pacis, & fœderum. [i] Et ſic traditur, pacta inter Fridericum, & civitates Lombardiæ tranſiiſſe in ſucceſſores ejus: nam & hæc regulari ſecundum terminos juris: & itaque quaſi inter privatos facta.

a *Polyb. 6.*

b *Dec. conſ. 165.*

c 35. q. 1.

d *Dem. adv. Lept.*

e *Alc. 1. conſ. p. 6. conſ. 18. 7. conſ. 19. 8. conſ. 107.*

f *Dec. 3. conſ. 19. 117.*

g *Alc. 8. conſ. 110.*

h *Alc. 6. conſ. 28. Caras. de pri. 127. 205. Bal. 3. conſ. 159. l. 5. de juſt. l. 1. de conſt. pri.*

i *Alc. 5. conſ. 18.*

* Hæ-

a *Bal.5.conſ. 506.* [a] Hæredis eadem perſona & defuncti. Venit hæres in contractu ad hæredem tranſitorio: & cum durat ratio eadem paciſcendi in perſona hæredis: & cum eſt contractus conceptus in rem: ut per Baldum in reſponſis. [b] Quod ſi etiam ullibi verum eſt, quod ajunt, totum eſſe unum imperium præceſſorum, & ſucceſſorum: idem eſſe ſemper imperium, ſive de ſuo, ſive de præceſſoris contractu agatur: hic utique veriſſimum eſt. Et ergo non mutato imperio nec lex imperii mutetur. [c] Alciatus putat, concludi non abſurde contrarium ex eo vero dicto: quia non ſint igitur ſucceſſores, ſed æque principales omnes principes: non hæredes, ſed quaſi novi adminiſtratores: ut ſucceſſores, de facto præceſſorum non etiam teneantur. Sed certe fallitur. An enim ſequens tutor revocet factum anteceſſoris? Si unum eſt imperium, una & eſt perſona omnium imperantium. Sequens Pontifex revocat diſpenſationem a præceſſore conceſſam ad beneplacitum. Sed quid ſi non pendet res a beneplacito? Revocat damnoſa, & inconſulto capitulo facta: quæ nec de jure tenent. Sed hæc non ſunt in quæſtione, nec ad quæſtionem. [d] Addit de conceſſo feudo: quod ſolves cum Baldo, & Cujacio facillime. [e] Etiam omnibus (& hæc omnium opinio) tenentur ſtare ſucceſſores contractibus deceſſorum, ſi non electione, ſed ſucceſſione (mediata, vel immediata non refert) ſunt principes. Quo & dictum eſt caſu, privari regno principem poſſe, non ſervantem teſtamentum patris. Tenentur (ut dixi) ſi cautum & de ſucceſſoribus ipſis ſit. Aut numquid nihil eſt cautio toties uſurpata? [f] Fœdus inter Florentinos, & Ferdinandum ſic fuit, ut ad Alfonſumque filium porrigeretur. Inter Gallum, & Hiſpanum: ut inter ipſos, & legitimos ipſorum ſucceſſores perpetua pax, & ſempiterna amicitia foret. Quæ etſi comprobata fuit a proximis hæredibus futuris: non tamen a ſucceſſoribus omnibus, qui erant nulli. [g] Confirmatio ſequentium regum probat contractum deinceps perpetuum. [h] Inter Danum, & Suecum ſic de ſucceſſoribus conventum. Sic conventum inter alios. [i] Pius V. pontifex in proprio ſuo, & ſuorum ſucceſſorum nominibus pepigit cum Venetis, & cum Hiſpano. Sed hoc tamen pontifex de conſenſu ſenatus Cardinalitii. [k] quia, ſucceſſoribus non poſſe pontificem præjudicare, ipſi dicunt pontifices. Quod ſi tamen quid ſit, cui præſtando ſucceſſor aptus non ſit: tum nec

b *Bal.1.conſ. 326. Ceph. 617. Decia.1. conſ.25.*

c *Alc.4.conſ. 4.*

d *Qui ſucc. ſe. da. tt.*

e *Alc.3.conſ. 23.6. 28. Dec. 1.4.1. con.25.*

f *Guicc.1. Na.Go.12.*

g *Bal.3.conſ. 259.*

h *Nat. Co. 20.*

i *Nat. Co. 22.*

k *c. 20. de reſcr.*

nomi-

nominatus cenſebitur in fœdere: ut nec vectigalium tranſit ſocietas. [a] Nec movet tamen, ſi plus paullo, minuſve ſucceſſor poſſit. [b] Illud probari mihi nunquam poterit, quod ſcribit Baldus tamen, obligatum ad pacem ſervandam pro ſe, & pro filiis, non videri egiſſe de poſtumis. Hæc enim ſubtilior eſt in jure civili differentia, quam quæ in tractatu hoc noſtro ſimplicioris juris gentium probari poſſit. [c] Etiam tutores ſocietatem contrahunt ultra tempus officii tutelæ finiti: ſi habent, quam principibus aſſerimus, adminiſtrationem cum plena, & libera poteſtate. At probandum eſt, maxime, quod & fieri conſuevit, ut fœdera cum ſucceſſoribus renoventur. Illa autem de fœderis renovatione incurrit quæſtio, ſi tacitam intelligere factam poſſumus unquam. Et in ſocietate privatorum certum eſt, eam renovari tacite, quæ fuerit diſſoluta. [d] Societas vero omnium ſolvitur morte unius: niſi tamen cautum fuit, ut duret: cautum vel tacite: ut explicat Alexander in reſponſis. [e] Et renovari talis prorſus cenſetur, qualis fuit. Si tamen & olim fuit ſponte contracta. Nam quam populus Romanus his dabat pro imperio, quos non in æquum fœdus accipiebant, diſſolutam renovatam talem non intelligemus, qualis fuit, ſed qualem nunc intelligit jus. Quod [f] Alciatus. Renovatur porro his actis, geſtis, quæ admitti citra nomen, & jus ſocietatis non valent. [g] In fœdere tamen inito ad certum tempus inter duas civitates, negant, renovationem fieri. At mihi, quæ ſententia eſt de ſocietate, illa & hic placet magis: quia nec apparet diverſa ratio: nec affertur ab iſtis doctoribus quidquam quod urgeat. [h] Idem facile afferemus in caſu, cum unius morte ſocii ſocietas ſolvitur reliquorum: ut adfirmata, & renovata cenſeatur, ſi reliqui in fœdere pergant tacite. [i] Finit ſocietas morte unius: nam electa perſonarum induſtria in ſocietate eſt. Et itaque conſtitui duos debendi reos illic non poſſe, nec altero moriente poſſe alterum ejus fungi partibus, Alexander reſpondit. [k] Et a principio tamen convenire poſſe, ne ſocietas morte diſſolvatur unius, veriſſimum eſt. [l] Et diſſediſſe tamen videntur juriſconſulti: & plures contra unum ſtetiſſe; & contra hoc, quod ego veriſſimum dico. [m] Videntur iſta Hotomano. Sed nihil nec in ſpeciem diffident. Nam ut ſocietas tranſeat ad hæredem, hoc fieri poſſe negatur. [n] Sive ſcilicet hæres incertus relinquitur voluntati paciſcentis pro hærede; ſive certus no-

a *l.* 13. *C. de co. ſtip.*
b *Bal. c.* 71. *de app.*
c *Alex. 6. conſ.* 128.
d *Alex.* 5. *conſ.* 136. *Guicc.* 17.
e *Dec. conſ.* 548.
f *Alc. 8. conſ.* 89.
g *Deci. conſ.* 407.
h *l.* 37. *pro ſoc.*
i *Alex.* 7. *conſ.* 61.
k *l.* 65. *pro ſoc.*
l *l.* 35. 52. 59. *pro ſoc.*
m *Hot. com. pro ſoc.*
n *Bal. l.* 53. *pro ſoc. l.* 1. *C. quæ ſit. ſa. po.*

nominetur, qui futurus hæres, & ſucceſſor in ſocietate: neque enim ſocietas contrahi poteſt cum incerta perſona: ut fieret in priori caſu: neque ſic contrahi unquam poteſt, ut tollatur per contractum libera teſtamenti faciendi facultas: ut fieret in caſu poſteriore. At quid hæc de hærede ad ipſoſmet contrahentes? De hærede nihil eſt diſtinguendum. Quod facit Hotomanus. Et falſa eſt ejus definitio, quod immo valeat pactum, cum certus dictus non eſt hæres. Nam etſi valet pactum, ut nulla pars damni ad ſocium pertineat: & liceat facere conditionem ſuam deteriorem: & itaque hic adſtringere ſe ſocio incerto: quæ Hotomanus ait: tamen hæc conſequentia de incerto ſocio non conſequitur: quæ eſt contra naturam contractus. [a] In ſocietate vectigalium etiam inducuntur hæredes: quoniam ea durat neceſſario: ut alii interpretes declarant. Etiam in his publicis ſocietatibus inducuntur, quæ cum principibus fiunt in figura magis principatus, quam ſuæ illorum perſonæ, adeoque nec diſſolvi hoc modo poſſe videntur morte perſonæ. Ceterum in fœderibus his publicis nec multum facit, quod de incerto dictum eſt hærede: nec quod dictum eſt de libertate voluntatis ultimæ: nam ſolet non eſſe teſtamentum de principatibus; & ſolet eſſe principum hæres certus.

a *Bal. l. 60. usr. l. pro ſoc.*

CAP. XXIII.

De ratihabitione, privatis piratis, exſulibus, adhærentibus.

AN de ratihabitione nunc addimus aliquid plenius? An, quicquid eſt, petetur rectius de copioſis noſtrorum interpretationibus? [b] Et ſiquidem pax facta pro ſe, & pro adhærentibus eſt, atque hi offendantur ante, quam pacem ratam habuerint: pacem non violari, expoſitum antea eſt. Ratihabitio ſequens nihil movet. Et itidem eſt, ſi quis publicus tabellio pacem intra conſtitutum tempus ratam pro parte abſente habuerit, pars vero poſt illud tempus [c] Donec altera pars ratificet, cujus nomine conventum eſt, neque altera tenetur, ut ſit æqualitas. Nec æquitis eſt ſtipulatio notarii pro abſentibus: non eos enim tenet, niſi ſecuta ratificatione. Sed ſi ſubditus aliquis ſit, pro quo & facta a domino pax eſt, ſubditus tenetur ſtatim pro pace a domino

b *Dec. l. 23. de reg. ju.*

c *Dec. conſ. 331.*

mino facta. [a] Atque si subditi sic tenentur ante ratihabitionem: etiam ex adverso sunt ei obligati: quia contractus claudicare non debet. [b] Et neque ab initio fieri potest, ut altera pars sola obligetur. [c] Est enim contractus obligatio ultro citroque: ut non sit pactio valida contra contractus essentiam: [d] utut disputetur, & distinguatur, si pactum adversus naturam contractus teneat. [e] Quamquam princeps offenditur ipse satis, si subditis, & partialibus suis fit injuria. [f] *Majores vestri sæpe, mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt*, ait Cicero. Et alio loco, *Quot bella majores nostri susceperunt, & quanta, quod cives Romani injuria affecti, navicularii retenti, mercatores spoliati dicerentur?* Et de privatis statim plura. [g] De adhærentibus illud adhuc notandum, quod si pro his est promissum, non intelligitur promissum de inimicitiis, quæ erant inter ipsos adhærentes: non enim sunt adhærentes in illis, sed principales. Et itaque si promisi pro me, & pro meis consanguineis, quod te nec ego offendam, nec illi: si illi te offendant sua caussa: promissio mea non læditur. Sed illa est quæstio, si non universitas sola, at singuli quoque universitatis comprehensi fœdere censeantur, cum de singulis dictum non est. [h] Et Decius respondit, quod si Veneti promittant, aliquid non facere, promissio intelligatur, ne faciant universi: nam dispositio, quæ plures ut universitatem respicit, non habet locum ut in singulis. [i] Singulæ igitur personæ pacem non rumpunt: ut a Baldo responsum est. *Privati non nocent universitati*. Hinc repetitio raptorum. Et hinc Romanorum petitio, si Hannibal publico consilio Saguntum oppugnaverat. [k] Hinc excusatio Ceritum non publico consilio privatos suos quosdam militasse contra Romanos. [l] Hinc & defensio Rhodiensium: quod etsi illic plerique suaserint, juvandum Perseum: nullum tamen super ea re factum fuerit decretum publicum. Et id genus alia plurima. [m] Neque ergo verum est, quod dicebat rex Agrippa, esse Partho curam tueri cum Romanis amicitiam: & arbitraturum, fœdus esse violatum, si quis de his, qui subjecti erant imperio ejus, adversum Romanos in bello processisset. [n] Nisi tamen hoc sit expressum in fœdere: ut neque privati, singuli offenderent: tum enim pax rumperetur certe. Aut nisi sic censuit Agrippa, quod qui suis id permittit princeps, ipse id facere videtur: nam prohibere

a *Zas. disp. co. Eck.*
b *Alex. 5. cons. 40.*
c *l. 19. de V. O.*
d *D.D. l. 2. fi ce. pe.*
e *Bal. §. Opizoni. de pa. co.*
f *Cic. pro le. Ma. & 5. ac. Ver. 2.*
g *Bal. l. pe. de ed. ed. Cod. Ceph. con. 587.*
h *Dec. cons. 61.*
i *Bal. 2. cons. 195.*
k *Liv. 7.*
l *Gell. 7. c. 3.*
m *Jose. 2. bel.*
n *Corn. 3. cons. 107.*

poteſt: & vero etiam debet. Licet enim ſinguli non ſic continentur in fœdere, ut rumpant univerſitati pacem: continentur tamen ſic, ut facere ipſi aliquid contra pacem univerſitatis non poſſint. Et id curare ipſæ univerſitates habent. Aut quid prohibet, quin multitudo ingens impune fœdera vexet? Aut quomodo dedi Hannibalem ſibi petiiſſent? [a] Et itaque diſſimulatio dicitur, ut ut dicitur etiam egregia, quod Sigiſmundus rex Poloniæ auxilia quidem non miſerit contra Solymanum propter inducias, permiſerit tamen ire ex ſuis: ut Chriſtianæ cauſſæ non deeſſet. Diſſimulatio eſt, nec egregia. Si vero reſpublica facit aliquid contra privatos, temerari, opinor, fœdus. Et poteſt diverſi juris eſſe ratio, quod ſinguli nocere univerſitati non debent: quin vero non ipſa ſibi noceat univerſitas vel privatos lædendo, jus non eſt. Aut quid obſtat, quominus, carpendo ſingulos, tollere queat univerſos? Non diſtinguebant Romani, an privatis, an publico illata eſſet injuria, ſed an a privatis, vel a publico illata eſſet. [b] Et Baldus ait, quod contra fœdus venit, qui offendit ſubditum confœderati. Et ſunt caſus tamen, in quibus nec per facta publica fœdus offenditur. Atque iſti ſunt cum neque in toto, neque in ſingulo ullo univerſitatis, cum qua eſt fœdus, offenſio eſt. [c] Fœdera non violari patre violato, filio, fratre, alio, qui ad alteram partem pertineat non tamquam imperii ſubditus, ſed tantum propter alia illa nomina & vincula, recte mihi traditum videtur. [d] Etſi enim patris injuria ac malum, ſit injuria & malum filii: & contra. Et injuria cognati, vel adfinis ad cognatos, vel adfines omnes pertingat: & inimici omnes de genere propter unum ſint; tamen fœdus ſpectat publicum jus: & illæ perſonæ ad jus publicum non pertinent. [e] Quo defendi forſitan jure poteſt ſubtilitas, & cautio, quam *Italicam* dicit, & notat ſane Guicciardinus: ut filius Virginii Urſini militaret regi Galliarum: Virginius cum hoſte eſſet, quo cum ſibi aliqua intercedebat obligatio. Et ducis Ferrarienſis filius Duci Mediolanenſi accederet, pater pro obligatione maneret ab hoſte. [f] Sane reſpondit Fulgoſius, debuiſſe Florentinos auxilia comiti Urbini: etſi is tamquam Officialis eccleſiæ comminationes quaſdam fecerit amico (quod contra fœdus comitis, & Florentinorum videbatur (Florentinorum: nam & civiliter ea Urbinas fecerit, & ex officio. [g] Et cum quis prohibetur, ne poſſit

a *Jov.* 30.

b *Bal.* 1. *conſ.* 369.

c *Ceph. conſ.* 587. *Bod.* 5. *de rep. ult.*

d *l.* 1. 5. 11. *de inju.* l. 1. *de liber.* l. 2. *de nave. Bal.* 5 *conſ.* 1. *Ceph.* 712.

e *Guic.* 1. 2.

f *Fulg. conſ.* 335.

g *Dec. conſ.* 624.

poſſit cum ſua perſona ſervire, poterit ſervire tamen per alios; etiam & per filium, & per alia, ut reſpondit Decius. [a] Docta vero Baldi ratio ad ſupradictam rationem eſt, quod non rumpatur pax, ſi quis fratrem occidat ejus, cum quo pacem fecit: quoniam ſi iſte occiſus occidiſſet ipſe occiſorem ſuum: fracta pax non diceretur: atque contractus debent eſſe compatibiles. Et huc Baldus affert leges, & doctores. [b] Facit quod itidem Baldus, quod vaſallus offendens adhærentes domini, aut fratrem ejuſdem occidens, non peccat in feudum: niſi hæc fecerit odio domini. Scilicet nihil commune habet feudum cum iſtis conjunctionibus: & extrinſecus non intelligitur perſona. Et recte illud: niſi fecerit odio domini. [c] Nam injuria facta domeſtico mea cauſſa mihi dicitur facta. [d] Alii juris interpretes adfirmant, quod ſi quis promiſit, me non offendere, & is fratrem offendat meum, non faciat contra promiſſionem: [e] quia frater in lege non numeretur, quæ de injuria facta cognato, redundante ad alterius cognati injuriam, notat. Sed hæc ſane mihi non placent. Nec ideo tamen ſequitur, violatum eſſe fœdus, etſi ita fiat injuria fœderato: neque enim fit quaſi fœderato. Etiamſi moveri bellum poſſit a nobis ob injuriam amico, aut cognato factam: non propterea qui fecit injuriam, & contra quem movemus nos bellum, is in fœdus commiſiſſe videbitur, quo nobis tenebatur. Sed neque nos nunc in foedus committimus, qui a foedere diſcedimus ex nova cauſſa juſta: quæ eſt juvandi, aut vindicandi noſtros: quorum videlicet caritatem non exſuimus, aut abjecimus per foedus cum alio contractum. [f] Contra fratrem quidem, & contra filium, immo (ut quidam volunt) etiam contra patrem vaſallus tenetur juvare dominum. Sed obligatio feudi major eſt, quam foederis. Diſcedat vaſallus a feudo: & nec tenebitur domino. At feudum ut habeat, & dominum non juvet, rationis non eſt. [g] Quærunt philoſophi etiam hoc, ſi amico, vel cognato teneamur magis. Et vero cum cetera meritorum ſunt paria, dubium non eſt, cognatum præferri: *Æqualem fratri caveas feciſſe ſodalem*: dixerit Heſiodus hic: & in his, quæ ſunt naturæ, & ad vitæ conſervationem ſpectant. De his tamen hactenus. [h] Rurſus non violari fœdera cæle piratarum, juſte Scotis reſponſum ab Anglis aliquando fuit. [i] Nam piratæ ſunt hoſtes: & impune offenduntur ab omnibus: quia ipſo jure diffidati. Sunt con-

a *Bal. 2. conſ. 195.*
b *Bal. 2. conſ. 268.*
c *Cott. me injuria.*
d *Alex. 2. conſ. 113.*
e *l. 1. 2. de injur.*
f *Cuja. feud.*
g *Picc. 7. phi. mo. 16.*
h *Buch. 13. hiſt. Sco.*
i *Rip. l. cen. turio. Bald. auth. navigia. C. de fur.*

contemtores juris gentium: ut in eo jure nihil habere præſidii poſſint. Iſtos & a nobis (Angli dixiſſent) & a vobis communiter, & ab omnibus affligi oportuit. [a] Commune hoc omnium gentium eſt bellum. Et ſi vos Scoti habebatis eos piratas, vos juris violatores exſtitiſtis. Quæ Philippus rex recte Athenienſibus ita dicebat. [b] Nec objecta refutat, ſive ille eſt Demoſthenes, ſive Hegeſippus, qui contra Philippum diſſeruit. Sed hoc dicit orator juſte, quod recepta, & recuperata de latronum manu, quæ erant Athenienſium, ea non titulo reſtitutionis juſto, ſed donationis gratioſo dare antiquis dominis Philippus cogitabat non juſte. [c] Id videlicet iniquum: [d] quicquid cavillatum & a comicis fuerit. [e] Quoniam latrones rem ut eripiant, rei tamen dominium non eripiunt. [f] *Non deſinit noſtrum eſſe, quod a lupo eripitur, vel alia beſtia.* Si de aliis cepiſſet Philippus, qui juſto vel bello, vel titulo alio occupaviſſent: nihil ei dici contra potuiſſet. [g] Ut ſic Hebræi ſe tuentur in agro, quem ceperant de Emoræo, & repetebant Moabitæ: quibus bello Emoræus abſtulerat. [h] Scio, quod dicitur, *Rei furtivæ æterna auctoritas*, id eſſe contra ipſos latrones: alios vero, qui habeant a poſſeſſore malæ fidei, tutos aliquando eſſe. Sed neque id ad Philippum. [i] Et ſic igitur in quæſtione prima reſponditque rex Hiſpaniæ Ferdinandus Solymano Turcarum regi juſte, licere per conditiones pacis, atque etiam induciarum, piratis infeſtus eſſe, & latronibus, & maleficis hominibus: & piraticas inſidias undique convellere. Nunc injuſtum putavit idem Solymanus, quod piratas perſecuti ſint Veneti ad portum uſque Dyrrhachii: eoque exploſerint etiam tormenta contra oppidanos, qui tuebantur piratas: & agrum etiam vaſtarint. Et de his etiam ſatis. Quæro aliqua de exſulibus, & cæteris ſimilibus. An fœdera non violentur, ſi exſules alterius partis ſuſcipiuntur? [k] Banniti hi noſtri, hoſtes noſtri dicuntur. Et igitur videtur fieri hoſtis noſter, qui ſuſcipit hoſtes noſtros. [l] Habitans cum inimico meo, & inimico meo amicus, & cum eo contrahens cognationem, aut exſiſtens eidem commenſalis mihi inimicus judicatur: & itaque recuſari judex poteſt. Et itaque dixi alibi, recuſari Pyrrhum a Romanis potuiſſe arbitrum in cauſſa Tarentinorum: qui ei regi cognati, commilitones, commenſales. [m] Cognatio non modo ſuſpicionem, ſed & diffidentiam affert. [n] Et paria ſunt doctoribus, inimi-

Ang. conſ. 290. *Alc.* 1. *conſ.* 11.
a *Cic. pro Le. Ma.*
b *Demo. de Halo.*
c *l.* 2. *Cod. de fur.*
d *Athen.* 6.
e *l.* 27. *de capt. l.* 34. *de donat.*
f *l.* 8. *fam. erciſc.*
g *Num.* 21.
h *Bal. l.* 4. *de juſt.*
i *Nat. Co.* 4. 32.
k *Jaſ. l. in ſuis, de lib. & poſ.*
l *Panor. c. accedens, ut li. non co. Far. de ind. & ior.* 9. 49.
m *Dec. prac.*
n *Alex.* 1. *conſ.* 99.

inimicus esse, & inimici amicus. Cum id genus pluribus, quæ in istam partem afferri possunt: ut fœdus violatum crederetur ex susceptis exsulibus. [a] At in contrarium facit, quod isti immo hostes non videantur: qui civitatis expertes tantum facti sunt. [b] Et ita Livius narrat, Perseum quiritantibus Quiritibus, aut apud Quirites aliis, quod apud se essent exsules, respondisse, attinere nihil, ut cuiquam pateret exsilium, si nusquam exsuli futurus locus esset. [c] Etiam in fœderatas civitates proficisci solitos exsules Romanos, notum est, & alii adnotarunt: sed quæ tamen jus nullum civitatis Romanæ tenuissent, & liberæ essent penitus. [d] Atque hoc idem ait Joannes Bodinus, vel si fœderibus cautum esset expresse, ne alterius cives alter susciperet: quia (ut diximus) exsules amodo non sunt cives. Quod si non exsules, sed perfugæ, & fugitivi forent: horum quidem susceptione tum sine dubio violabitur fœdus, cum repetiti non redduntur: Reddendos enim vere scribit idem Bodinus. [e] Et nos legimus, bella sic illata, quia non redderentur, qui relictis locis patriis in aliam ditionem abjerint habitatum. Legimus & illa, *Fœdus, imperator, tibi nobiscum est, non igitur debuisti recipere, qui a nobis defecerunt*. [f] Verior illaque jure est, etsi usu aliter est, sententia, ut teneantur principes principibus mutuo dedere delinquentes: ut magistratus tenentur magistratibus. Aut si principes principibus non tenentur: quid erit contra jus gentium, si hoc non est, alienos homines suscipere? Fugitivus suus principi manet, a quo fugit: atque injuria ei fit, cui suum non redditur. [g] Caveri aliquando solet fœderibus tamen, edicique diserte de his aut reddendis, aut non reddendis. Et præstat semper expressisse. [h] Nam improbi (sic ait historia) consiliarii Theodosio suadent, hos non reddi, sub obtentu falsæ pietatis ex illo Domini, *Eos qui ad me venient, non eiiciam foras*. [i] Item cavetur de transfugis non recipiendis: &, promissionem non extendi ad futuros, ajunt nisi promissio foret mutua: tum enim æquius sit, propter parem obligationem, admitti extensionem. [k] Et sic de pacis conventione, quæ reciproca & utrique parti utilis esse valeat, quod latam, & favorabilem interpretationem recipiat, Angelus, & Alciatus volunt. [l] Multa, quæ simplicia nec valent, si reciproce fiant, sustinentur. Atque hoc postremum est verissimum, non item reliqua. Sed præstat exprimere, ut vitentur controver-

a *l. 2. de publ. ju.*
b *Liv. 42.*
c *Sig. 2. de ant. ju. It.*
d *Bud. 3. de rep. 6.*
e *Cod.*
f *Bal. l. 3. de off. præs. l. 2. C. de fer. fug.*
g *Str. 16.*
h *P. Diac. 24.*
i *Jas. l. 1. de co. ex le. l. 76. de V. O. Aug. conf. 261.*
k *Alc. 5. resp. 17.*
l *Jas. 4. conf. 173. Crav. 245.*

verſiæ. Nam quis putet, Doctores tradere, promiſſionem de transfugis non recipiendis intelligi non de futuris oportere? Eſt quidem quaſi conflictus legum ſi verba ſint de præſenti, vel de futuro etiam accipienda; ut dico in libris de armis Romanis. Sed nihil hic ille habet ut tum audies; [a] Baldus autem reſpondet ſolide, quod ad ſubſtantiam, & realitatem ſint verba referenda hæc vel pacti, vel juris de hoſtibus non recipiendis. Ergo ad omnia tempora, primum, medium, ultimum; idque patere etiam ex contrario, quod rebellis mox reconciliatus ſuſcipi poteſt. Etiam noto, neceſſarium videri, ut caveatur de transfugis tempore belli; nam hi hoſtibus quæſiti fuerint. [b] At quæro unum adhuc de exſule, quod in Eduardo rege Angliæ tractatum legi: an exſuli regi teneatur fœderatus? Et a Gallo rege reſponſum tum Eduardo fuit exſuli, pulſo de regno, fœdus cum rege, & regno contractum Angliæ, non cum Eduardo. Quæ reſponſio juri conſona fuiſſe videtur: & his, quæ de myſtica principis perſona ante aliquando notavi, [c] Principis perſona organum eſt, referens totam rempublicam. Et ergo nec quidem poſſe ferri videtur auxilium nunc exſuli: nam contra regnum ferretur fœderatum. Si captum eſſet regnum ab externis, regi exſuli utique feret fœderatus auxilium. Sed contra regnum, quod æque fœderatum, cur feret? [d] Latini neque Tarquiniis, neque Romanis adeſſe voluerunt, ſic Tarquinio regi, populoque Romano fœderati. Rectiſſime: ut intelligis ex his, quæ diſſerui de amicitia, & ſocietate. Etiam & de mixti parte reſoluta alibi dixi, ut jus mixti ſic reſolvatur.

a *Bal. 5. conſ. 326.*

b *Bod. 5. de rep. 6.*

c *Bal. 3. conſ. 159.*

d *Dionyſ. 5.*

CAP. XXIV.

Quando fœdus violetur.

NUnc unum ſupereſt, ut de fœdere violato paullo explicatius videamus: aut id ſubnotemus potius, quod ejus rei omiſſum ſuperioribus diſputationibus forte eſt. Fœdus non violatur, ſi ab eo diſceditur per rationem juſtam: [e] quod Ulpianus, & Pomponius de privatorum ſocietate tradunt: [f] & illorum præclaram ſententiam ad hæc fœdera, & ad publicas has ſocietates produci poſſe, manifeſtam per rationem interpretes notant. Si con-

e *l. 14. 15. 16. pro ſoc.*

f *Hot. comm. pro ſoc.*

conditio quædam, qua ſocietas erat coita, ſocio non præſtatur: vel ſi ea re frui non liceat, cujus gratia ſocietas ſit inita: rationem habet renunciatio ſocietatis. Et ergo videtur, quod ſi in uno non fiat ſatis ſocietati, diſcedi ab omni ſocietate poſſit. Attamen ſic eſt de illo uno capiendum, cum illud quid principale eſt, ut ſic verba ſonant juriſconſultorum: & (quicquid [a] aliqui etiam de minimo velint) ſignificat ratio, ne ob rem levem quamlibet a magno contractu diſcedatur. Occurrunt levia ſemper, quia levia ſunt: & itaque omnes eſſent contractus infirmiſſimi: ſi ob levem, & nihili quamvis rem abire ab ipſis liceret. Non id æquitas patitur juris gentium. At propter levem cauſſam bellum ſuſcipitur? Legulejorum iſthoc jus eſt in ſyllabis, & apicibus. [b] Diſcedetur a toto propter partem non ſervatam conventionis: [c] quia juncta cenſentur capita omnia contractus, alterumque alterius reſpectu conventum. [d] Et contractus omnes individui ſunt: [e] certe, qui non dare, quod eſt dividuum, ſed continent facere, quod eſt individuum. Et ſemper contractus omnis eſt individuus, quia non debet poſſe pro parte impleri, pro parte deſeri. [f] Et neque contractum ſuſtinet neceſſitas forte fœderati: qui graviſſimo caſu preſſus nequeat ſatis conventis facere. Nec enim tantum poteſt neceſſitas cum homine unquam, quantum poteſt cum lege ſæpiſſime. Niſi (in quod animus inclinat) contractus hos principum ſic quaſi leges accipimus. Certe excuſabit fœderatum neceſſitas, & vis major: ut non fœdifragus judicetur. Etiam & alterum fœderatum admonebit, ne ſummum ſequi jus velit. Eidem huic tamen non objicietur deſertum fœdus abeunti a fœdere ob conditiones fœderis quomodocunque non obſervatas. Et iſte tamen, antequam a fœdere abeat, intelligere debet, culpa, immo dolo non obſervari conditiones ab altero: & mox etiam agere, ut obſervet. [g] Sic enim & veriſſimum in privatis eſt, & receptiſſimum. Ad extremum deferetur fœdus in his publicis: ubi illa privatorum judiciorum coactio non invenit locum. [h] Etiam nec dicetur pax rumpi, ſi non id ſervetur, quod nec tendit ad offenſionem: puta, erat promiſſum, ut quid fieret intra tot dies: & id factum non fuit: ut ſic Corneus. Quæ notanda definitio eſt: [i] nam dicitur ſoluiſſe minus, qui ſoluit tardius. [k] Offenſio eſt, quicquid maleficium habet, vel actionem injuriarum: [l] vel etiam quod juſte

a *Rub. conſ.* 30. *Bal. l. 7. de pact.*

b *Cagnol. l.* 41. *Cod. de tranſ.*
c *Dec. conſ.* 269.
d *Ceph.* 459. 461.
e *Alc. B. conſ.* 106.
f *Ceph.* 451.

g *Ceph. conſ.* 24. *Caſtr. Alc. l.* 41. *C. de tranſ.*

h *Cor. 1. conſ.* 51.

i *l. 1. de ed.*
k *Bal. 2. conſ.* 195.
l *Rom. conſ.* 183.

juſte provocat iracundiam: ſive pœna admiſſum ſequitur, ſive non ſequitur. [a] Alias vere Cicero, *Non omnia, quæ dolemus, eadem jure queri poſſumus*. Inquit Ulpianus, ſi ita injurioſus, & damnoſus ſocius ſit, ut non expediat, eum pati, renunciare ſocium ſocietati poſſe. Quod interpretes aliis definitionibus adornant. [b] Cenſetur etiam revocatum mandatum propter mutationem morum procuratoris: etiam & cum mandator tantum poſſe cum procuratore deſiit. Et id genus alia. Item ſi reipublicæ cauſſa ſuperveniente renuncietur ſocietati: nihil obiici ſocio poterit: eodem Ulpiano auctore: & de jure hoc nos antea diximus. [c] Ceterum de offenſione, quæ pacem temeret, audiamus M. Tullium, *Ego autem cum omnes amicitias tuendas ſemper putavi ſumma religione, & fide tum eas maxime, quæ eſſent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: poſt reditum enim in gratiam ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed violatum putatur: nec imprudentiæ, ſed perfidiæ aſſignatur*. [d] Et Tullio Cælius, *Nunc ſi ad ſummam illam ſeveritatem legitimum jus exegeris: cavendum tibi erit, ne parum ſimpliciter, & candide poſuiſſe inimicitias videaris*. Sic tractantur vulnera obducta, & recentia. [e] *Quælibet exſtinctos injuria ſuſcitat ignes*. Non eſt quidem juſta quælibet cauſſa, quæ ignes ſuſcitet hic: nam quis eſt, qui non peccet leviter, & quidem ſæpe? & turbandum fuerit ſemper? Sed hæc notem pro majori cautione, quæ reconciliatæ amicitiæ debetur, quam nunquam læſæ. Etiam diſtingui de offenſionibus ſolet aliter: ut quædam ſit verbalis, quædam realis, quædam corporalis. [f] Ac de verbali ſcribit, quod ſibi videtur mirum paradoxum, Jaſon, ex ea contrahi capitalem inimicitiam. Quamquam ego non aliter credidiſſem per illa, quæ obſervavi libro ſuperiore de ſævitia in maledicos. [g] Baldus, & Rolandus etiam in altercatoriis verbis ſic definiunt. Et idem Rolandus a Valle capitales inimicitias ſtatuit ex comminatione cædis. Et valent hæc igitur violandæ paci. [h] De reali offenſione eſt notandum primo, quemadmodum receptior dicitur ſententia, quod offenſionis nomine hæc non continetur, quæ ſit in rebus. Sed eſt ſententia falſa proculdubio: & exilibus ratiunculis male ſubnititur. Hoc certiſſime in noſtro tractatu non habet locum. Sed de reali, & perſonali, etiam & de verbali mox ita cape, quod ſi nova acceſſit cauſſa, fœdus nec ſpernitur injuſte,

a *Cic. pro Fla.*

b *Alex. 7. conſ. 209.*

c *Cic. pro Cæl. Hier. ep. ad Ru.*

d *Cic. 8. ep. 6.*

e *Ovid. 3. de ar.*

f *Jaſ. l. procuratorib. C. de procur.*

g *Bal. c. 16. de jur. Rol. 1. conſ. 24. 2. 64.*

h *Ceph. conſ. 734.*

juſte, nec injuſte offenditur fœderatus. Neque enim quælibet offenſio, ſed quæ ſit cauſſa vindicandi, aut retractandi priora, rumpit pacem. [a] *Pace conſtituta non decuit veteres offenſas ulciſci*: ait Iſocrates. [b] Et ita noſtri doctores adfirmant, non videri pacem ruptam per furtum, adulterium, raptum, vel ſi mulier etiam foret in rapiendo verberata: quoniam ſit inſpiciendum, quod agitur principaliter: & oporteat intelligi verba principaliter, non ſecundario. [c] Unde eſt aliaque definitio, quod ſtatutum de turbante pacem capi in eo homine debeat, qui actum ſimpliciter facit ad pacem turbandam: non ſi ex actu ſequitur turbatio pacis. Propter adulterium non frangi pacem dicunt: quoniam nec ad vindictam, ſed ab libidinem iſthæc fiant. [d] Et itaque ſi ad vindictam facta videri poſſunt, etiam hæc rumpent pacem. [e] Poſſunt autem fieri iſthæc ad vindictam: ut ſi inimicitia fuerit & propter iſthæc: aut propter rem aliam inhonorificam: unde & procuretur nunc dedecus iſtud fœderato. Sic & ratumque haberi poteſt adulterium. Et ſic, per furtum modo non frangi pacem, & modo frangi, volunt. [f] Nam & furtum, & incendium, & id genus alia fiunt cauſſa inimicitiarum. [g] Etiam nec ſunt pauci, nec contemnendi doctores, qui volunt, violari pacem ſemper per adulterium: & ſimul adfirmant, docuiſſe alios contrarium peſſime. Sed iſti falluntur. [h] Et videndum eſt igitur de inimicitiæ præcedentis qualitate: nam ſi ea fuit in perſonalibus offenſionibus; tum non rumpitur facta pax, niſi ob perſonales offenſiones: videlicet oppoſita relative pax, & bellum ſunt: & quod de uno prædicatur affirmative, de altero prædicatur negative. Offenſio retro ſimilis eſſe debet: puta vaſtando, occupando, bellando: alias non dicitur rumpi pax: quia fit pax tranſactio quædam: & itaque referatur ad lites ejuſdem generis. atque adeo non dicetur rupta, quia ſit ædificatum. Ut hæc omnia Baldus: quem, & in dubia re ſequor. Ita autem deſiderari videtur offenſio retro ſimilis: ut nec moveat major diverſi generis. Nam quis ignorat, raptum, adulterium eſſe offenſiones graviores vulneribus? & per vulnera tamen pax rumpitur, quæ per raptum cumque vulneribus non rumpitur. Produci ſcilicet hæc non debent. [i] Et ſic neque pax producitur ad perſonas non nominatas: non ad comites, & ſequaces: non ad cognatos: non ad filios: non ad uxorem: quæ re-

a *Iſocr. Lat.*
b *Alex. 2. conſ. 113. Cor. 1. 51. 2. 42. Ceph. 587.*
c *Alex. 3. conſ. 1.*
d *Gor. conſ. 31. add. Rom. 83.*
e *Clar. §. fi. q. 87.*
f *l. 50. de fur. l. 28. de pæ.*
g *Mol. Alex. 2. conſ. 113.*
h *Bal. 2. conſ. 195. l. 4. C. de ad. act.*
i *Ceph. conſ. 587.*

ceptæ ſunt opiniones, & ante expoſitæ. [a] Si tamen cautum fœdere communi pluribus eſſet, uno pacem frangente, fracta pro omnibus cenſebitur, & ab omnibus in ſolidum: etſi pœna non deberetur in ſolidum, at virilibus: ubi pœna in caſu ruptæ pacis deberetur: quod Alexander. [b] Et quod Thebani contendebant, pace a Lacedæmoniis violata, ejuſdem affines omnes eſſe culpæ, quibus communi fuiſſet fœdere cautum. [c] Nam ſunt ſocii corpus unum, quod hoc promiſit non peccare contra pacem atque confœderatio ſic facit ſcilicet de pluribus corpus unum: adeoque qui offendit unum, is & alterum offendat. [d] Quicquid alibi excipitur, ex delicto ſocii ſocium non teneri. [e] Per controverſias porro judiciales non rumpi neque pacem, neque inducias, certum videri debet. [f] Qui promittit vim non facere, is de judiciis non ſentit. Provocarunt Poeni ad judicia cum Maſiniſſa, ſalvis foederibus. Et ſic ſæpe neceſſe eſt, emergentibus, incidentibus dubitationibus ad foedera, & propter foedera. Nunc de nova cauſſa. [g] De qua tradunt, quod ſi ex ipſa fiat injuria, pax non læſa exiſtimetur. Quia qui promittit non offendere, is ſubintelligit exceptionem, *Niſi cauſſa ſupervenial: Niſi culpa acceſſerit ejus, cui promiſſio iſta fit, & pactio fœderis: Rebus ſic ſtantibus*. [h] Quamquam Carolus Molineus & per alios auctores diſtinguere hic velit: ut ſupradicta receptiſſima opinio tum ſit vera, cum pax tantum facta de acceptis injuriis eſt: non etiam ſi ſimpliciter, & generaliter promiſſum eſt non offendere: hic enim rumpatur immo pax, etſi nova cauſſa offenſioni dederit locum. Sed defendi diſtinctio nequit: ſi intelligit, rumpi injuſte pacem accedente cauſſa nova. [i] At de nova cauſſa injuſta quod addunt, ut hæc quoque excuſet: quoniam & dolum excludit cauſſa injuſta: ſine quo non delinquitur: [k] id hic in prohibitis non mihi probari poteſt ſatis. [l] Ajunt etiam, quod ſola fama, nec vera, offenſæ illatæ ſibi, aut his, quorum offenſione offenſus ipſeque cenſeretur, qui nunc ad vindictam offendit, ea ſit ſatis ad excuſandum. [m] Immo enim explorare quis ante habet diligenter de re, & jure ſuo, quam procurat ad faciendum aliquid contra pacem: ſi plene velit non excuſari modo, ſed etiam juſtificari. [n] Etiam nec debet fatuus eſſe rumor, & vanus, & credulitas irrationabilis, non vehemens, non accepta a fide dignis: hæc immo neque excuſat: ut ſic

a *Alex. 4. conſ. 116.*

b *Paul. 9.*

c *Dec. 1. conſ. 18.*

d *l. 53. & ſeqq. pro ſoc.*

e *Bal. 2. conſ. 109. 4. 140.*

f *Bal. l ult. C. de ac. em.*

g *Bal. d. 195. Rom 183. 257. Alex. 4. conſ. 115. Cor. 1. 51. 2. 42. 3. 167. Dec. 531.*

h *Mol. d. Dec. 531.*

i *Bal. d. 195. Decia. 3. 4.*

k *Ceph. conſ. 35.*

l *Alex. d. 115.*

m *Alex. 2. 119.*

n *Ceph. d. 35.*

ſic in terminis pacis ruptæ Joannes Cephalus. Utque ſic excuſet injuſta cauſſa, & ex ſolo rumore, & ſimilibus: quia in culpa ſit, qui non cogitat, falſum eſſe rumorem poſſe, & cetera: de quibus non inquirit: & de quibus eſt inquirendum tamen, & quidem diligentius in re tanti ponderis. [a] Excuſare novam cauſſam, etiam ajunt, quamvis non plene de ea conſtet, & probetur. [b] Et, cum non apparet, ſi offenſio ſecuta ex nova cauſſa ſit, vel ex veteri, ſecutam ex nova cauſſa interpretantur: at hoc tamen ſi offenſa novæ cauſſæ conveniat, non alias. Quod confirmat Cephalus. Quid enim ſi novum factum erat vindicandum lenius, & vindicatum ſit ſeverius? atque ſeverior iſta vindicatio conveniat factis antiquis, pro quibus jam pax facta fuerit? Niſi hic defendes exceſſum potius vindictæ novi facti, quam totam vindictam veterum. [c] Hoc ex conjecturis oſtendendum eſt, qua ex cauſſa ſecuta offenſio ſit. In dubio autem ſecuta creditur ex recentiori: ut ſic crimen pacis violatæ vitetur: & quia cauſſa recentior urere, urgere magis videtur. Sic, & ex illicita recentiori ſecutam præſumendam offenſam, concludunt. [d] Si non apparet, quis pacem ruperit prius, aut ſi ſimul ſe offendant: neuter accuſatur. [e] Non accuſatur, quaſi fregerit pacem, qui quidem fecit contra pacem, ac ſolvit pro pacto pœnam: nam ſolutio pœnæ eſt pro obſervatione contractus. [f] Sed qui pœnam non exegit, is quaſi fracta pace aget: etiam ſi fœderi adjectum fuerit vulgare verbum, *Rato manente pacto*: id eſt, ut qui contra fœdus fecit prius, is ad poenam obligetur, & pacis pactoque interim retineatur rato. [g] Quæ & jurisjurandi vis, aut major. Nam illud verbum ſolum operatur ad commodum obſervantis. At non obſervanti nec obſervantur promiſſa. [h] Non adimpleti non adimplendum. [i] Frangenti fidem frangi, etiam domino fidem poſſe, qualemcunque, nudam, juratam, vox eſt vulgi, juris, & legum. [k] Fruſtra quis fidem ſibi poſtulat ſervari, qui fidem ſervare recuſat. Adi Cephalum in reſponſo trigeſimoquinto: ne illi decipiant te, qui dicent, ſtare ex eo verbo pacem, etſi contra factum fuerit a parte altera. Sed quæ eſt poena violantium fœdera? Et hic quidem aliter non reſpondetur, atque alibi ſit: quod vel de poena legis quæritur vel de pœna conventionis. Poena autem legis quæ hic ſit, ſi mox ſuperetur bello ſoedifragus ex ſupradictis in principio hujus libri liquet. Severiſſima eſt pro vi-

a *Alex. d.* 115. *ubi Nat. l.* 26. *fol. mat.* b *Dec. d.* 532. *Cotta, me. offenſio.*

c *Cepb.* 304. 587.

d *Bal.* 1. 369. *d.* 195. *Decia.* 380. *Cepb. d.* 587.

e *Dec. d.* 380. *Cor. d.* 167.

f *Alex.* 2. 32. 4. 114. 6. 157. 7. 18. *Corn.* 1. 51. *Cepb.* 600.

g *Cepb. conſ.* 55.

h *Imo. conſ.* 81.

i *Decia. conſ.* 282. *Alc.* 3. *conſ.* 7. *Bert.* 2. 134. *Cott. me. fallens. Cuja. c.* 3. 29. *de jur.*

k *c.* 75. *de reg. in.* 6.

ctoris arbitrio. [a] Ut apud tribunalia manu, vel capite puniuntur, qui pacem fregerint, & domus eorum diruitur. Et hoſtes itaque interficiuntur; & urbes itaque diruuntur. Atque tanta ſane eſt injuſtitia in facinore iſto: ut juraque pereant naturalia. [b] Itaque filius alere patrem non teneatur violatorem foederis: [c] & hæreticum tamen tenetur alere: & pater filium hæreticum. [d] Etſi hæreticus nec habeat filium in poteſtate: & crimine hæreſis nullum ſit abominabilius. [e] Etiam patri hoſti negantur alimenta. Nam quid dicam, foedifrago iſti fidere deinceps non oportere? Nam, ut Romani Poenis dicebant, per quos juraverit iſte Deos periurus? Acute ſane Poenus, ut Poenus acutus, reſpondit, juraturos ſe per eoſdem Deos, quos ultores perfidiæ nimium ſenſiſſent, & experti eſſent: Sed acute tamen. Nam ſemel malus ſemper malus in eodem genere mali. Et mendacis hæc eſt poena, ut nec credatur homini poſtea vel dicenti vera. Aut quid ſi non ſemel hic ſit foedifragus? Ei qui credet, iſte ſtultiſſimus ſit omnium pecudum, neceſſe eſt. Aut quid ſi res eſt inter ſubditos & principem poſt foedera pluries violata? Inter hos neque ſemel poſſe foedus contrahi firmum, dictum, & cognitum nimis eſt. Aut quid ſi res illic eſt, ubi ſervanda negatur fides? Hic demum agitur cum his, qui Poenis Poeniores ſunt: & ubi fides accommodari nequit. Neutrimque poteſt fides accommodari, ubi ſemel ſit ex parte altera fides læſa: [f] Audi Carolum V. negantem, poſſe ſe fidere Franciſco I., qui ſe deceperit: & Franciſcum negantem poſſe ſe fidere Carolo tanto minus, quanto is ſe deceptum exiſtimabat. [g] Fidem frangenti fides ſane frangitur juſte in eodem negotio, & in correſpectivis: ſed non id licitum in diverſis. Ut, ſi Franciſcus deceperit olim Carolum, is nunc in alia conventione decipere Franciſcum poſſit. Non eſt perfidia accumulanda perfidiæ. Et perfidia tamen (id nunc dicimus) abrogat fidem omnem, & nec perfidis. Atque de hac re expoſui etiam ante. Quod ſi conventum de poena eſt: hæc debebitur. [h] Nec ad iſtam conventionis vitandam proderit juſta cauſſa: ut receptior dicitur ſententia interpretum. [i] Et ut mitius cum lege agitur, quam cum homine: itaque & facilior eſt excuſatio a poena legis, quam conventionis. Ceterum facio hic finem meo operi de jure belli. Atque iſta foederum, & conventionum aliis relinquo interpretibus noſtris: qui plenius, & ut pu-

a *de pa. te. ubi not.*

b *Caſtr. l. 1. de juſt. Alc. lib. 2. de V. S.*

c *c. 1. diſt. 30. Menoch. de arb. q. 90.*

d *Bal. l. 4. de his qui ſu. ſu.*

e *Bal. de pa. te.*

f *Guicc. 18. de pactis.*

g *Alc. l. 21. C.*

h *Alexan. 2. conſ. 119. Nat. Alex. 4. 115. Dec. 615. Alc. 8. 37.*

i *Alex. l. qui Romæ, §. duo fratres.*

puto, laudabiliter tractant. Mihi, eos inſpicere, neque copia, neque mens fuit. Quamquam & noſtræ ſequuntur diſputationes de armis Romanis, & libri noſtri De legationibus: in quibus ſunt plurima, quæ omiſſa hic quis deſideret. Illic ſunt & quæſtiones in conjecturali ſtatu, & facti: quæ altera eſt pars operis perfecti; nec neceſſaria minus, quam hæc eſt juris. Deus autem optimus maximus faciat, principes imponere bellis omnem finem, & jura pacis, ac foederum colere ſancte. [a] *Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum, Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli. Sidera pace vigent, conſiſtunt terrea pace. Nil placitum ſine pace Deo.* Etiam Deus, etiam impone tu bellis finem: tu nobis pacem effice: placatus iniquitatibus noſtris: propitius nobis in Filio tuo, ſervatore noſtro JESU CHRISTO.

a *Prud. pſych.*

FINIS LIBRI TERTII.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS

DE ARMIS ROMANIS.

LIBER PRIMUS.

VEL

De injuſtitia bellica Romanorum.

ACTIO.

CAP. I.

Rerum Romanarum veritatem vitiatam.

ST M. Ciceronis illa vox, in controverſia militaris rei, & Sapientiæ civilis, [a] *Virtus militaris populo Romano nomen, urbi æternam gloriam peperit, orbem terrarum parere huic imperio coegit*: & a nobis exiſtimata ſemper veriſſima eſt vox: cum veritas oppreſſa malis malorum ſcriptorum artibus jacuit aut ſubmerſa, aut demerſa profundiſſime: de quibus populum Romanum ſanctum, populum Romanum pulchrum, populum

[a] *Cic. pro Mur.*

lum Romanum invictum, populum Romanum omni laudis genere sic florentem, tantum inter alios caput extollentem, [a] *quantum lenta solent inter viburna cupressi*: ut de eo alter ocellus Virgilius cecinit: & id genus alia oculis hausimus attentissimis: & specie ducti eruditionis auctorum summæ, & blandiloquenti oratione perducti eorum, credidimus, & decepti sumus. Evaluit persuasionis vultus, & oratio gratiosa nos a tramite transverso rapuit veritatis. [b] Hæ scilicet res duæ non hic solum turbant, sed passim inferunt veritati cladem. [c] Ut tanta sit sæpe res, non quanta est ipsa per se, at quanta dicentis virtus fuerit, & eloquentia: & omnes omnium virtutes tantæ sint, quantas videri voluerunt illorum ingenia, qui descripserunt. [d] *Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu*: rectissime Lactantius. [e] Et ergo exclamavit ad Achillis tumulum Alexander, exclamavit Scipio, *Felix Æacide, cui tali contigit ore Gentibus ostendi: crevit tua carmine virtus*. Crevit? Immo credita virtus: quæ longissime abfuit a virtute. Longissime abfuit: si res respicimus laudati herois, quas ipsi habent laudatores; non obstupefacti, & attoniti ad laudes stamus. Adeamus ad Platonis libros de republica & ex ipso Homero vitia exprimemus Achillis, quæ laudes legeramus. [f] *O fides alma, apta pinnis jurandum Jovis*: huc, huc pro gemina tibi veritate contra mendacia turpissima, & calumnias iniquissimas adsis. Veritatem alis in altum sublatam tuis, & Jovis patris magni assertam manu jam tandem conspicere fas sit: orbemque terrarum nunc demum, tot respublicas, tot imperia urbi uni virtute non concessisse intelligamus. Age, exponantur omnia simpliciter: quando fucum illum, & illam fallaciam orationis vituperamus in aliis non immerito. Age, producantur res ipsæ nude: ut sine omni periculo, faciliusque judicium fieri rerum possit. Eripiatur nostris illis Hortensiis artificium omne, quo Romani populi injusta facta, & aliena a virtute bellica tegere, & contrario veluti velamento ornare solent. Advocentur illico testes: [g] & testimonia singulorum expendantur. Testibus, non testimoniis credatur: ut providum Adriani Imperatoris consilium est: & relatum in leges est. Sed & in persona testium exploretur, quod eædem jubent leges, an quis inimicus ei sit, adversus quem tulerit testimonium: vel amicus ei sit, pro quo testimonium dederit. [h] Cetera in personis,

a *Virg. ecl. 1.*
b *Plut. de Hero. malit.*
c *Vop. Prob. Diod. 1. Herodia. 1.*
d *Lact. 5. Inst. 1.*
e *Cic. pro Arch. & 5. fam. 12.*
f *Cic. 3. de off.*
g *l. 32. de testi.*
h *Cic. pro Font.*

nis, & in teſtimoniis expendantur: quæ conſiderat ſapiens judex, & religioſus, & qui fidem teſtium dictis credulus non adcommodat. Judex religioſus Græculis teſtibus, ſervis illis Romanorum, fidem non adcommodaverit. Romani contemnunt, M. Tullius de omni deiicit fide. [a] *Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio colit, totiuſque hujuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant: unde illud eſt, Da mihi teſtimonium mutuum? Num Gallorum, num Hiſpanorum putatur? Totum iſtud Græcorum eſt: ut, etiam quæ Græce neſciunt, hoc quibus verbis a Græcis dici ſoleat, ſciant:* & cetera quæ Cicero contra Græcos teſtes detonat; & cetera, quæ alii de Græca fide, [b] ipſi etiam Græci tradidere. Aut ſic ſunt Græcorum teſtimonia levia, hiſtoriæ non ſunt leves? Quaſi, qui jurati neſciunt dicere verum, ubi & redargui in os poſſunt ab offenſis, & puniri a judicibus, iidem injurati, nec arguendi ſorte, nec nec puniendi certe, verum amabunt? Quaſi pater hiſtoriæ Græcæ Herodotus non audiat mendaciſſimus? Quaſi Græcia mendax non audiat in hiſtoriis, veluti multum propriumque vitium ſuum? Hiſpanis ſane, M. Tulli, Galliſque credemus magis. Ego Hiſpanum Oroſium, Gallum Trogum adducam teſtes, te judice, M. Tulli, meliores. Etiam illi Græci, viri exteri, nec verſati ſatis in re Romana. Hæc mihi attendantur; hæc diſcutiantur. [c] *Quicquid non diſcutitur, juſtitia non putatur.* Equidem alios dum audio, & Livium Romanæ ejus hiſtoriæ primum, qui nominant hoſtes omnes, contra quos gererent Romani bellum, ſuſpectas habeam ipſorum hiſtorias, neceſſe eſt: nam profitentur palam, inimicos ſe eſſe omnibus, qui inimici Romanis exſtitiſſent. Amici Romanorum fuere omnino: & itaque gratiæ (an dubitamus?) dederit plurimum. Vitus idem Livius eſt plurimum Pompejanus: & non æquo tractaſſe calamo Julianas partes. Et non fuerit plurimum, atque plurimum Romanus: hoſtibus Romanorum iniquus plurimum, atque plurimum? Quid cum hiſtoriam ejus, & aliorum teſtium Romanorum in narrationibus rerum falſam, atque mendacem; in judicationibus temerariam, variam, vanam certiſſimis argumentis deprehendimus ſæpe, & ſæpe rationibus vincimus indubitatis? [d] inſtrumentum, falſum in uno, cenſetur falſum in omnibus: ut eſt recepta juriſconſultorum ſententia: & eſt ratio, quia deficiat fides, quæ

a *Cic. pro Sext.*

b *Polyb. lib. 6.*

c *Caſſiod. 7. Var. 8.*

d *Alciat. 5. conſ. 139. 7. & 9. 79.*

dividua est. Et testis, falsus in uno, falsus in omnibus intelligitur. [a] Vel si in uno admittatur aut scripturæ sacræ quodlibet mendacium, tota scripturæ sacræ fides vacillat, & nulla sit auctoritas: ut sanctissime scribitur ab Augustino. Quid cum libris hominum fiet: quorum est proprium, esse mendaces? [b] *Omnis homo mendax*? [c] Contendit magnus auctor Cardanus, non Tacito, non Tranquillo oportere contra Neronem credere: quoniam essent viri illi senatoriæ factionis, principi adversæ. Etiam contra Neronem? [d] Non ipse Tacitus testatur, odiis recentibus multa adversum defunctos principes scripta? [e] Non conteslatur Josephus, etiam contra Neronem & impudentia, & aperta exstitisse mendacia? Nos vero vitis Romanis credemus adversum Romanorum hostes loquentibus? & eos non sane Neronis, sed principes fortissimos, aut civitates, & gentes præstantissimas. [f] Et non cognoscimus, quod Orosius ait in hac ipsa caussa, separata hostis esse, & victoris judicia? [g] Et non ille ingeniose, qui sæpe hoc inquit, aliter proculdubio scripturum fuisse Gothum, quam Romanus fecerit? Sunt autem hic genera rerum duo, de quibus disputetur, narrationes nudæ factorum, & adjectæ sententiæ. Et quamquam est in censendis narrationibus major, quam in dijudicandis sententiis difficultas: si tamen aut non conveniunt testimonia, aut verisimilia non sunt, aut quid eorum aliud patiuntur, propter quæ fidem elevari testimoniorum tradunt late auctores juris: jam supereſt & in genere isto nobis facultas non minima ad refellendos scriptores, in quibus vitia notare isthæc valemus. Non mihi excitatus ab inferis Philenius est, aut Sosilus, aut Eumacus, aut alius, qui partium Romanarum non studiosus suggerat argumenta, per quæ vanissimas illas reliquorum narrationes, & testimonia levissima arguam. [h] Nihil de Carthaginiensium habeo rebus gestis, nisi quod scripserunt hostes eorum: nihil de aliis, cum quibus contentiones, & bella Romanorum fuerunt. Sed sunt vel in his ipsis hostibus plura, & disjecta passim, & quasi in amplo quodam naufragio dissipata, quæ per sedulam operam collecta vincere vulgi opinionem, consensum hominum inveteratum superare, persuasionem de virtute Romanorum bellica tollere possunt. Et verum hoc est, verum, etsi credibile, aut verisimile non videtur. [i] quemadmodum credibilia existimantur multa,

ac

a *c.7. dist. 9.*
b *Rom. 3.*
c *Card. enco. Nero.*
d *Tac. 1. hist.*
e *Jose. 20. antiq.*
f *Oros. lib. 2. cap. 20.*
g *Kramz. Suec. 2.*
h *Vict. ep. an. pol. Arist.*
i *Arist. Quinct.*

ac similia veris, quæ falsa sunt. Nam in altero, quod est de censendis sententiis, si dico, deferri nobis oportere aliquid amplius, quam adversariis scriptoribus, id arrogantiæ nullius nomine condemnari potest. Ut enim non moveam, quod gravem habet virorum eruditorum litem, si non perperam, & præter historici munus faciant, qui non modo facta, dicta narrant, verum etiam de his judicium apponunt suum: hoc certe controversiam habere non debet; quod, cum eodem nos, atque illi fuerint, simus loco, aut etiam meliori, qui studio partium non imbuti, & seculis succedentibus magis instructi, artibusque nonnullis rei isti necessariis subornati fortasse magis, accedimus ad judicandum: & nobis esse oportet facultatem disputandi, &, quæ illis fuit, censendi, etiam contra illos. Quamquam non illis fuit, non sane ista facultas. Non est testi judicandi facultas. [a] Et testem, qui judicat, non audiendum, prudentes jam dudum docent. Scilicet is ostendit affectum se, & propensum ad partem alteram omnino hominem levem, & itaque levis fidei, qui officii sui fines transiliit. [b] Valebit autem in utroque genere Socratis sapientis ejus documentum sapientissimum, ut rationi uni magis, quam mille credamus testibus. Ratio est vera regula: testimonium est illa flexilis Lesbia, quod sic est, ut persona est testis; inimicum inimici, imbrobum improbi, ineptum inepti. Sed ratio est natura altera, consilium prudentiæ, lux veritatis. Agite, mortalium acerrimi Europæi, Lybes prudentissimi, potentissimi magnæ Asiæ reges, agite, huc convenite: & mecum una genti Romuleæ coronam trahite, quam gerit, & de nobis omnibus partam triumphat. Huc mihi fortis conveniat Italus, durus Germanus, bellicosus Gallus, indomitus Hispanus, [c] *invictus Romano Marte Britannus*: & triumphantem per dolos malos de nobis, & per malitias malas Romuli populum vincant. Quid tu Græcia nobilis? Quid gentium domitrix Macedonia? Quid tu Africæ tuæ perfectissimum columen Carthago? Quid Persæ, Medi, Assyrii, vetustissima, & latissima regna? An illam audire, & ferre vocem potestis. *Virtus militaris populo Romano nomen, urbi Romæ æternam gloriam peperit, orbem terrarum parere imperio Romano coegit.* Immo, ut pro orbis reliqui dignitate jam tandem contendere incipiamus, immo non ita est, M. Tulli. Sed fraus, perfidia, avaritia, audacia, crudeli-

a *Dec. conf.* 83.

b *Pla. Gorg.*

c *Tib. 4. c. leg. 2.*

delitas, illud nobis imperium peperierunt: orbem terræ aliquem,
a Cic. Somn. & orbis punctum, ut nominas a alibi, simpliciorem, justiorem, humaniorem, facilliorem, moderatiorem subegerunt: nam gloriam, quam fingis tibi æternam: & nomen laudatum falsiloqui homines effecerunt.

CAP. II.

De varia Romuli injustitia.

b Cic. ATque fraus quæ est, & perfidia major, quam ut sacrilego incestu nati Deum sibi patrem vindicarent? b Fabulam tu quidem Cicero dicis: sed exsecrabili imposituræ nomen suum non imponis: & ludos hæc nobis crimina fuisse significas. Educti illi sub fornice, latronum coacta manu, & seminario futurorum fato bellorum injustissimorum, agrum occupant alienum: ubi novam, sed tetriorem, Caci cavernam, aperto asylo, aliis
c Plut. de curios. quibusque perditissimis futuram receptui, exædificarunt. c Quam
d Lib. dem. adv. Mid. Jun. Tert. de pa. 3. tu aliam, Philippe rex, πονηρόπολιν appellasti? d Aut quæ alia
e Pla. polit. est ἀσυλγὶς dicta vulgo? Hæc civitas injustorum, vitiosorum. Hæc una improborum colluvies improba barbarorum: e si barbaros recte notavit Plato eos esse, qui nulla inter se morum, sermonisque communione devincti sunt. Huc enim Troja profugi, ex Etruria, ex Opicis, ex Latio, ex Græcia, undique
f Cypr. 4. de ido. na. Aug. 1. de co. ev. 12. transfugæ, linguis diversi, institutis discordes convenerunt. f *Populus de sceleratis, & nocentibus congregatur*: ait Cyprianus: & Augustinus itidem facinorosorum asylum constitutum scribit: & collectam, & armatam manum contra suas civitates: quæ
g Plut. Rom. Just. 28. 38. videlicet leges, & magistratus timeret. g Omnes recipiebat in asylum Romulus: nec servum domino, nec creditoribus nexum, nec magistratibus criminosum reddebat: ita Plutarchus: non soli Ætoli, non solus Mithridates dicebat, Etruscorum vernas esh Lucan. 7. i Juv. saty. 8. 3. se Romanos. h *Romulus infami complevit mœnia luco*: Lucanus, historicus verius, quam poeta. i Et poeta, si aut Juvenalis poeta, qui mentiri nescius, *Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis asylo. Majorum primus quisquis fuit ille tuorum, Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo*, Latronem dicere noluit, aliumve facinorosum, & im-

improbum. Hæc improborum civitas improba: in qua primum facinus parricidium nepote ſcilicet Dardani parricidæ patratum a conditore. [a] *Parricidio Roma dedicata*: ait Hieronymus. *Prima certe, victima Remus munitionem urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit*: ita Florus. Id Auguſtinus, id Cyprianus, id omnes exprobant [b] fratricidæ: ut inquit Tertullianus. *Fraterno maduerunt ſanguine muri*. [c] Et qui Remum occidit, in gratiæ facti vicem meruit a fratricida tribunus equitum fieri. Et Romulum tamen aliquis hiſtoricorum, vel poetarum dixit, aut finxit, nec occidiſſe fratrem, nec aliquod perpetraſſe flagitium: ut id Auguſtinus notat valde. Et nos habemus notare valde, & validam ex eo capere conjecturam, quemadmodum nihil ſit a Romanis unquam, & maximum, & clara luce factum turpe, quod ſcriptores mendaciis ſuis non invertant, & omni machinatione non pervertant. Ceterum parricidii hujus memoria certa manet, & perpetuis conſignata monumentis perdurat. Quæ igitur, Iliæ fili, quæ cauſa tibi parricidii fuit? Nam facinus tibi defendendum eſt, quod admiſſum negare non potes. [d] At vero audias maximum jurisconſultum prius, qui parricidium patrari facilius, quam excuſari Cæſari Baſſiano, itidem parricidæ reſpondit. [e] *In parricidio nulla ſatis juſta cauſſa ad ſceleris patrocinium prætexi poteſt*. Ludibrio, ais tu, mea habuit mœnia & per ludibrium trajecit. Tua, Romule? in quibus condendis æque ac tu laboravit frater: qui itaque conſors audit, [f] *Mœnia conſorti non habitanda Remo*. Ludibrio habuit? [g] Qui immo te monuit, & docuit ſaltu illo, ad tutelam urbis non fuiſſe vallum ſatis: ut id quoque eſt in hiſtoria: Immo, immo fratrem, nihil in te mali perpetrantem occidiſti nulla juſtitiæ vindicta, ſed cupidine principatus: quod illi iidem theologi magni probant. [h] Aſt pronunciet hic ipſe Romulus Arpinas, *Muri ſpecies honeſtatis nec probabilis, nec ſane idoneæ: peccaſti Quirine*. [i] Tu ante juniorem Dionyſium, illum Siciliæ tyrannum, huic cui debebas regni conſortium, ne ſpiritus quidem conſortium reliquiſti: Quæ item tua, Romule, perfidia in augurio renunciando? Vidit augurium frater primus, an potius ſolus? an tibi ullum conſpectum eſt, qui duplicatum avium numerum dupliciter ementiris? Illam tu tertio Regi Romano, & Cæſari tuo præiviſti ſententiam, regni cauſſa violare jus, pietatem in reliquis

a *Hier. ep. 4. & c. 41. 7. q. 1. Flor. 1.*
b *Tert. de Spect.*
c *Servius 11. Æneid.*
d *Spart. Carac.*
e *Juſti. lib. 16. Pla. 9. de legi.*
f *Tib. 2 eleg. 5.*
g *P. Diac. 1.*
h *Cic. 3. de off.*
i *Juſtin. 21.*

quis colere oportere? Recolamus auguria hic, aves rapto viventes: ſed & horum puerorum altricem picum, ſuraciſſimam, audaciſſimam avem. Sed & altricem feram, cujus dentes famelicos, & profundum inexplebile nullæ unquam ſatiare rapinæ poſſint. [a] *Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino? Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?* Oſtenta hæc, & portenta ſunt civitatis futuræ, Romuli jam unius filiolæ: quæ quotidie aliena per infinitam rapinam ſibi arripere, de aliis undique eripere habuiſſet. Hic Antiochus ille Hierax, qui annos quatuordecim natus, & fratri, partem regni donanti, latronis more totum eripere voluit: & in alienis rapiendis ſectatus vitam accipitris, cognomen illud ſibi peperit. Age tu, M. Tulli, reſpice ad parentis virtutem veſtri; qui novæ urbis agro fines non ponit, quo vicinis ſubinde præriperet: & bellandi libidine inſanus (hoc ei nomen Plutarchus tribuit) occaſionem bellandi primo ſtatim die naſcentis urbis nanciſceretur. Quid? Cum nec fraude iſtâ proficeret: eſſentque Itali almæ ſtudioſiores pacis, quam ut cum barbaris turpiſſimis, & perditis parricidis digladiari vellent; tum ſacris in ſpectaculis mediis, tum verus Martis pullus, hoc eſt, ut voluit Ariſtophanes, homo ad omnem audaciam projectiſſimus, mulieres ad ſe invitatas rapit: & jura divina diſturbat: jura gentium profligat: hoſpitalem gratiam, apud alias barbaras gentes omnes inviolabilem, violat: ſanctiſſimum fidei pignus penitus tollit perfidus. Adde ſacrilegium hominis: qui Conſi Dei conſilium ſceleri huic obtendit ſceleroſiſſimo. [b] Et quæ improbarentur facta ab homine quovis, ea interpoſito divino nomine defenduntur? Etiam atrociſſimum eſt, facere hoc prætextu, ſi quid non licet. [c] Invectus autem in facinus facinoroſum ſæpe Tertullianus, invectus Auguſtinus, invectus Minutius: qui, deſponſatasque, deſtinatas, maritis raptas, ſcribit: contra quam perſuadere alii de virginibus ſolis voluerunt. [d] Exclamat Virgiliuſque, *& raptas ſine more Sabinas*: ſine exemplo, contra decus, malo more, & contra leges. Et de quo mores tamen fuere; quod damnat facinus magis; [e] *Tu criminis auctor, nutritus duro, Romule, lacte lupæ. Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas.* Quod ſi nobiles illi populi connubia vobis denegarunt: an tu jure indignari potes Romule: [f] qui in tua illa ſicariorum turba vix centum deprehendiſti, qui patrem ciere potuerint: quos & ſenatores

a *Ovid. 3. Faſt. Plut. probl. Ro. 21.*

b *Demoſt. Leptin.*

c *Tert. de ſpect. & adv. Val. Aug. 2. de civ. Minut. Oct.*

d *Virg. 8. Æn. Schop. 4. verſ. 4. Serv. Æn. 7.*

e *Prop. 2. eleg. 6.*

f *Plut. pr. Ro. 58. Manus. 9. fam. 21.*

tores feciſti? cum reliqui omnes, tui ſimiles, ſine lare, ſine nomine, nothi, ignoti; terræ filii aut filii potius Erebi eſſent. Vos, patriciis cum populi veſtri reliquis, cum aliis civibus veſtris jus nuptiarum eſſe non voluiſtis. Alienos a vobis hic ſocios etiam Latinos feciſtis. [a] Hos & per turpem fraudem afflixiſtis, connubia veſtra petentes: per quæ exſoleſcens neceſſitudo vos inter, & illos inſtauraretur. Et vobis olim illuſtres illæ gentes connubia non denegaſſent? Et dominæ in manum fugitivorum conveniſſent? Ingenuæ nupſiſſent ſervis? Honeſtæ ſceleſtis traditæ fuiſſent? Sed negaverint etiam injuſte, & non probe vobiſcum detrectaverint affinitatem: num tu propterea juſte talem, ac tantum raptum confeceris? [b] Prædo eſt, qui ſua auctoritate capit, quod ſibi eſt debitum. Neceſſitas (quod dicebas) vim excuſabit? At non vis turpitudinem. [c] At neceſſitas non excuſat, ſi exemplo, auctoritateve aut generali, aut ſpeciali factum non adfirmatur. Ubi exemplum ſine more facti? Ubi auctoritas vituperati ab omnibus auctoribus facti? Bello quæſiiſſes negatas nuptias non ſpectaculi fraude: ut ſic Auguſtinus tibi reſpondet. [d] *Sed an etiam ſi neceſſe fuit facere, ignoſcendum propterea eſt? Ad quædam nulla debet neceſſitas compellere.* [e] Fœda, flagitioſa ne conſervandæ quidem patriæ cauſa facienda ſunt. Contra naturam eſt, & contra leges populorum, hominis incommodo ſuum commodum augere. Etiam ſi omnia incommoda eſſent ſubeunda, vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quæ injuſtitia vacent, non tamen de commodis alienis licet detrahere. Ait Cicero. [f] Non hic excuſat neceſſitas adverſus hominem. [g] Nullibi excuſat neceſſitas, quæ non neceſſitas eſſe poteſt. [h] Neque enim vere eſt neceſſitas, cum poteſt caſui aliter provideri. An a patribus Albanis, an ab avo rege Albanorum, qui & manu tua reſtitutus in regnum erat, ſicuti viros, ita etiam mulieres impetrare non potuiſſes, ſi non belli cauſſam quæſiiſſes cum aliis? Et non vobis, quemadmodum viri, pares & conjuges in aſylo inventæ? *Ut matrimonium facias, rem concordiæ per diſcordiam auſpicaris: rapis, ferocis, fallis: & nuptiæ tibi ſunt rupta hoſpitii fœdera.* Quæ tibi Cyprianus. Ecce autem nobis virtutis illius Romanæ ſpecimina prima. Ecce ſpecimina militaris virtutis. Strenui iſti, hoſpitum inermium, puellarumque victores, & mulierecularum, dum armatos mox habent, etiam mee-

a *Macr. 1. Sat. 11.*

b *l. 5. de adq. poſſ.*

c *Cuch. Dec. l. 122. de reg. ju.*

d *Sen. 7. contr. 2.*

e *Cic. 1. 3. de off.*

f *Cepb. conſ. 451.*

g *Tertu. exh. caſt.*

h *Alc. 8. conſ. 35.*

mœnibus, & parietibus suæ urbis inclusos, cum quibus conferant manus, fugantur in illa sua urbe trepidi, & concidunt. Et qui regni consortem, regni confundatorem, & fratrem ferre geminum, atque [a] primogenitum nequiit, is hostem in regni partem habere coactus est. Habes, Romule, quod meruisti. Non fratrem, hoc est, te alterum, [b] & cum geminum, quod plus est aliquid, ferebas: &, feras peregrinum, hostemque, necesse est. Immo vero necesse non est. Quem enim spoliare armis per Tarpejæ virginis dolum non potuit: nec satis per allegatas fraudare Sabellas, insidiis illum obtruncari Lanuvinorum, sibique de medio tolli curat. [c] Legimus apud Dionysium, quam virgo illa vafram injerit rationem, ut hostes perderet. Pacta arcis deditionem, si acciperet gesta hostium in sinistris: ut ita scutis nudaret, & ita traderet cædendos suis. De scutis, non de armillis pepigit: & scutis obruta est. An vero puellæ commentum existimamus? An virorum verius, qui Tarpejæ inferias constituere sollemnes, annuas, perpetuas? Quid etiam per Sabellas tentatum existimamus? Non ea sponte sua inter tela volantia se tulerunt: ut pulchra est Livii fabula: sed legatæ missæ ab iisdem sunt viris Romanis: ut Dionysius scribit, fidus ille, & cautus scriptor, & Livio inventus certior. [d] Quod scribunt critici doctissimi. Tentata proculdubio fuerunt alia omnia quam partitio, quæ secuta regni est. Tatii porro cædem nec sine [e] auctoribus adscribimus Romulo, nec sine ratione damus parricidæ sollemni: quæ & patrata a cognatis Lavinienſibus, & bono eidem fuit. [f] Facti suspicio confirmatur, si adeptio commodi, vitatio incommodi ostendatur. Inquis Cicero. [g] Qui quid lucratur ex crimine, is consilium ad crimen dedisse, is tractasse de crimine creditur, ei gestum negotium intelligitur. Id Baldus, & reliqui jurisconsulti. De quibus illud jam vulgatum, *Semel malus*. Dico autem parricidam sollemnem: [h] qui non fratrem solum, sed & avum Numitorem, aut avum Amulium (quid moremur nominis varietatem?) interfecit avum. Avum, an patrem Amulium? semper parentem occidit parricida. [i] Parricida semper, etsi nec legitimum (qualis propatruus fuit Amulius) occidit: quia jus sanguinis in natura est, non in lege. Parricida etiam qui occidit patruum: adeoque & propatruum. Quod propter scelus inexpiabile hereditate Romulum Albani regni excidisse, unum sive Numitoris,

a *Jor. de rr. succ.*

b *Sen. p. contr. 3.*

c *Dionys. 2.*

d *Manut. Asco. pro Cor. Lipſ. de mag. c. 16.*

e *Oros. 2. c. 4. P. Diac. 1.*

f *Cic. part.*

g *Bal. 5. co. 506.*

h *Oros. Cedr. Frisc. 2. c. 3.*

i *Inst. de nupt. l. 1. de par. l. 6. de in jus vo. l. 50. de V. S.*

ris, ſive Amulii hæredem, aut quam aliam ob cauſſam non regnaſſe Albæ exiſtimemus? Verum non fuerit Romulus auctor cædis Tatii: cur tamen nec ultionem quærit ſocii regis? An deſiit bellicoſus eſſe? Aut pius, juſtusque fuit numquam: Et immo ex ſequenti hoc facto apparet auctor. Siſtentes ſe noxios ad ipſius tribunal abſoluit: & judicat, cædem jure factam, vi ſcilicet pro vi reddita. Et vim fecerit Tatius, qui Sabinos ſuos, a te victos, inimicisque deditos, eripuerit? Et neglexerit Tatius juſtiſſimas Lanuviorum querelas: an propterea Romulus, nihil cunctatus (ſic Dionyſios) alterius ſibi partes aſſumſerit? Et quoniam, id in ſe fieri, non eſt paſſus Tatius, cæſus jure a Lanuvinis erit? Et quoniam iſtis illico non fit a Tatio ſatis, regem propterea, ſacrum gentibus quibusque caput, etiam interque aras deorum: & in ſollemni ſacrificio tamquam victimam mactare, fas fuerit? Lanuvium ad ſollemne ſacrificium venerat ſenex Tatius. Num credimus, in Lanuvinos, admiſſi ullius a ſe peccati fuiſſe conſcium? [a] Periti docent, innocentiæ ſignum eſſe maximum, ſi veniat in carcerem ſponte, qui accuſatus criminis eſt: Cenſent adverſum fugientes: cenſent pro manentibus: & magis igitur pro venientibus in periculi locum. Innocentia præſtat ſecuritatem. Et ſic Tatius Lanuvium venit: & ibi hoſpes, rex, ſacerdos, in conſpectu deorum immortalium, interficitur juſte. Sed ecce dii illi, late immiſſa in noxios peſtilentia, cædem vindicant, quam Romulus juſtam pronunciavit. [b] Et Remique cædem paria vindicarunt mala: de quibus Plutarchus, & alii expoſuerunt. Hic vero fraudis, & perfidiæ a raptu mulierum finis: Verum ex finibus agro non poſitis fraus, quam ardentiſſime quæſiit, infinita. Romule, terminos cur agro non ponis tuo? [c] *Dimenſiones terrarum, terminis poſitis, vagantibus, ac diſcordantibus populis pacis utilia præſtiterunt*. At pacem Romulus non quærebat. [d] Audiamus Plutarchum, *Noluit Romulus menſura proprii agri prodere menſuram alieni: ſiquidem virium compedes terminos eſſe, ſi ſervarentur: & injuriæ indicium, ſi non ſervarentur*. Aut quid teſtes advocamus? Re ipſa tu, hoc tuum fuiſſe conſilium, oſtendiſti, Romule. Nam hinc arripis belli cauſſam in Fidenates: ac ſi iſti de tuo agro Romano prædas abegerint. Et eripi vobis quidquam valuerit: quorum patrii ſoli ([e] ut Florus loquitur) gleba nulla eſſet, ſed ſtatim pomœrium, & omnibus portis in

a *Cepb. conſ.* 721. *Alc.* 5. *conſ.* 6. *Deci.* 3. *conſ.* 96. 104.

b *Cedr. Serv.* 1. *Æneid.*

c *Boeth. geometr.*

d *Plut. Num. & pr. R.* 15.

e *Flor. lib.* 1.

alienum exiretur. Iſta autem (quod idem ſcribit) contagione per ſingulos itum eſt: & proximis quibusque correptis totam ſub vos redegiſtis Italiam. [a] *Aſſumsis ſemel armis nunquam quies?* (ex teſtem alterum) *quippe quibus egeſtas turpis, atque obſcœna fames domi timerentur, ſi paci unquam, aut fœderi adquieviſſent.* Vi igitur, atque injuria ſub Romulo occupatum imperium, ſcribit idem Florus veriſſime. Nam bella inferre finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, & ſubdere, die, age, reſponde Auguſtino, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum eſt? Immane hujus unius latrocinium regis: qui non ſupra tria hominum millia habuit primum, & non habuit pedem terræ: moriens ad mare usque tenebat, hominum vero millibus quinquaginta imperitabat. Sed an exorſi longiſſimam orationem non ſumus, ſi regum omnium, ducumque geſta expendimus? Utar deinceps compendio: nam & ſtat generale teſtimonium, [b] *Cum Romulo, regibus ceteris, poſtremisque ducibus diſciplinam communem: prædamque audaciæ eſſe, quicquid Romani ſub imperium retinerent.* [c] Sane vero & Cicero, & Livius, & alii faciunt reges omnes, excepto Superbo, pares: etſi probos. At de probitate nunc in Romulo oſtenſum contrarium eſt. Et id ergo ſequitur nobis belliſſime, quod ſi pares fuerunt omnes: & Romulus, divus ille unus in omnibus, fuit improbiſſimus: omnes improbiſſimi multo fuerunt. Et ego tamen excipio item unum, ſed Numam. Vidit omnium improbitatem Oroſius, & oſtendit: quod ſi unus fuiſſet rex improbus, non ſuſtuliſſent regnum Romani, ſed illum regem. Et itaque urbis exordium hoc, & Romuli virtus hæc eſt.

a *P. Diac. 5.*

b *Minut. Oct.*

c *Cic. 1. Rep. Liv. 2.*

CAP. III.

De Numa, & reliquis regibus.

Quis procul ille autem, ramis inſignis olivæ Sacra ferens? noſte crines, incanaque menta Regis Romani: primus qui legibus urbem fundabit. Recte a ſanguinario Romulo, & ille lege procul, qui ſequitur Numa, ut alibi etiam longe a templis, domiciliis deorum, ſunt inferi: *hinc procul addit tartareas etiam ſedes.* Procul a Romulo iſte: vir Italicus: & fidei colen-

tiſ-

tiſſimus, & pacis: & juſtiſſimus unus. Sub cujus regno longiſſimo animi illi feri quievere Romulidarum: & aurea patris Jani ſecula Latio rurſus, regnata per arua Saturno quodam, condita ſunt. Neque enim finitimi populi, læſi licet vehementer a Romulo fuerint, licet & Numæ contemnere animum potuiſſent, pacem unquam ſollicitarunt. Ut intelligamus, bella omnia fuiſſe Romanis volentibus, moventibus. Ecce hi pacem ſollicitant mox a Numa: qui frenum effreni alioqui, & impotenti belluæ fuit: *cui deinde ſubibit, Ocia qui rumpet patriæ, reſidesque movebit Tullus in arma viros.* [a] Tullus: cujus incunabula agreſte tugurium cœpit: & adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata. [b] Quem in patres Albanos nihil aliud movit, Virgilio dicente, Auguſtino adnotante, niſi reſides ut moveret in arma viros. Et hæc juſta Romanis bellandi cauſſa ſcilicet, arma ne rubiginem traherent, aut otiarentur. Non audis Suetonium narrantem, bellum ab Auguſto nullum cuiquam ſine juſtis, & neceſſariis cauſſis fuiſſe illatum? [c] & Vellejum, & Dionem, illatum ab Auguſto bellum Pannoniis, quo arma Romana exercerentur? [d] Ecquis ille Fabius, qui Cretam invadit, ne haberet (ita Livius) provinciam ocioſam? Sed de Tullo. *Ferocior Romulo, undique materiam excitandi belli quærebat:* quod itidem Livius. Apud quem, & apud Dionyſium, & apud alios legimus reliquas Albani belli rationes regis hujus improbiſſimas, & crudeliſſimas: & una hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, urbem regiam a primo ortu, urbem Latii principem, urbem parentem exſcidio datam a ſuis colonis, qui filii parricidæ ipſi, & parricidarum parentes. Jam audies. *Sequitur jactantior Ancus:* [e] id eſt, qui plurimum ſibi arrogat: *& nimium gaudens popularibus auris:* favoribus populi, quos non quærunt ſapientes. [f] Et is condemnavit ſuperiores: quod vidiſſe dicitur, populum Romanum ardentem amore bellorum, inferentemque gentibus bella plerumque ratione nulla juſta exſtante: & itaque fecialia jura (remedium huic iniquitati) de Æquicolis accepiſſe: Hoc Servii Honorati teſtimonium. At remedium, an emplaſtrum, atque fucum dicimus potius? Fucum potius. [g] Ecce nobis Picenus noſter Firmianus Lactantius: *Quantum a juſtitia recedat utilitas, populus ipſe Romanus docet: qui per feciales bella indicendo, & legitime injurias inferendo, ſemperque aliena cupiendo, atque rapiendo, poſ-*

a *Val.* 3. *c.* 4.
b *Aug.* 3. *de civ.* 14.
c *Dio.* 49.
d *Liv.* 37.
e *Donatus.*
f *Serv.* 10.
g *Lact.* 4. *Inſt.* 9.

ſeſſionem ſibi totius orbis comparavit. De Priſco, Servio, Superbo, tribus invaſoribus regni; hoc ſatis. Et Superbus, qui laudatur foris, (etiam iſtum laudant) num fraude mala non aggreſſus eſt Gabios? Num contra Rutulos bellum non movit, quia divites erant? Num per ſcelus inauditum non ſuſtulit Hordeonium Turnum? Sed de regibus reliquis, ſimul & de ſuperioribus nunc notemus, quemadmodum ſenatorum manibus Romulus diſcerptus
a *Val.* 5. c. 3. fuit. Hic raptus in cælum, [a] *Rude illud, & ferox ſeculum conditoris ſui cruore fœde maculatum ne ſumma quidem poſteritas diſ-*
b *Zonara.* *ſimulare pietas poteſt.* Hoc aliorum, hoc Valerii Maximi. [b] Tullus cum tota domo exuſtus per inſidias Anci. Et Ancus per
c *Plut. Num.* inſidias Priſci ſublatus eſt: certe per inſidias: [c] nam, excepto Numa, abſumtus ſuo fato (ſic Plutarchus) eſt nemo: ſed inſidiis occubuere: & Superbus actus in exſilium fuit: quæ civilis mors. Priſcum ſcimus occiſum procurantibus filiis Anci. Servium generi manu cæſum, & filiæ calcatum pedibus cernimus. Superbum a filio ſororis Bruto, a cognato Tarquinio ſpoliatum regno, ſpoliatum domo non ignoramus. Et virtutis quidquam in ea civitate fuiſſe credamus; in qua aliud ſuper aliud ſcelera tragica, & parricidia infanda tenemus? Num foris juſti cum aliis fuerint; qui domi ne tantillum quidem juſtitiæ habuerunt? Quaſi ſcilicet ut aliæ ſunt domi veſtes, aliæ foris, aliæ viatoriæ, ita iſti in civitate per omnem viventes injuſtitiam cum externis juſtitiam colerent. Atque hæc infantia populi Romani dicitur: cum in viſceribus matris catulus viperinus luctatus, & graſſatus eſt. [d] *Vi-*
d *Lucan. Ser. 3. Geor. Apul. Apol. 2.* *perei coeunt abrupto corpore nodi.*

CAP. IV.

De Brutis duobus, & Scævola, & aliis ſimilibus.

e *Macr. 3. Sat. ult.* SEcundus conditor civitatis ille eſt: [e] cui a brutis moribus nomen obtigit. Non eum magis decuiſſet, hominem ante mori, quam agere vitam brutorum, & bruti appellationem ſubire? Sane accepimus, Socratem nec orationem unam recitare ſuſtinuiſſe paullo molliorem: atque, quod ſupereſſet, ex vita petiſſe ſibi, quam quod præterierat, maluiſſe. Vita brevis: vita hominis bulla: & ad mundi ævitatem collata; ferme nulla. Quo argumen-

mento à ſcientia rerum, & harum quidem obviarum, ducto doceemur, nec magni facere rem parvam, nec oportere pro re parva retinenda peccare. Brutus is, alter reipublicæ Romanæ pater, in regem perfidus, & avunculum ſuum cenſebitur nihilominus, quam progenies ejus perfida in Cæſarem dictatorem exſtiterit: [a] quæ damnata ſententiis ſummorum virorum, & ſummorum theologorum eſt. [b] Mitto poſterioris hujus aliam brutitatem: qui, in magna republica inſtaurari libertatem, ut in parva, potuiſſe, opinatus eſt ſtulte & ſperavit, ibi libertatem futuram, ubi tam magnum erat præmium imperandi, & tanta ſerviendi voluntas: & exiſtimavit, civitatem in priorem formam poſſe revocari, amiſſis priſtinis moribus: & credidit, futuram ibi æqualitatem juris civilis, & ſtaturas ſuo loco leges, ubi viderat, tot millia hominum pugnare, non ſi ſervirent, ſed cui ſervirent domino. Quanta illum aut rerum naturæ, aut urbis ſuæ tenuit oblivio: qui, uno interemto, deſuturum alium, cenſuit, qui idem vellet: cum Tarquinius eſſet inventus poſt tot reges ferro, ac flammis occiſos? Hæc prudentiæ cum Bruto non exputo. Animum illi exprobo immanem: qui vitam adimere Cæſari potuit: a quo fuerat in vita conſervatus: ornatus dignitatibus: quaſi filius habitus. Injuſtitiam illius vitupero: qui optimum reipublicæ ſtatum, qui ſub rege juſto eſt, & ad illud temporis neceſſarium ſubvertere conatus eſt. [c] Popularis ſtatus ad magnum evectus imperium recte ſe habere deinceps nequit. Et id ratio, & id experientia conteſtatur. Quid mihi libertatem obtendis patriæ: & juſtitiam propterea unam cordi tibi fuiſſe contendis? Obſiſtere potueris invadenti principatum: factum principem tollere non potuiſti. Non hæ ſunt partes ſubditorum: non tuæ, qui magno in Cæſaris principatum obſtrinxiſti te juramento. [d] In principatum Cæſaris te obſtrinxiſti, maximo ſtudio (ſic hiſtoria) ſenatus exquiſitum, atque delatum. Sed ecce ulciſcitur velox nemeſis iſtum, & reliquos parricidas: ecce brevi temporis ſpatio miſerabiliter exſtinctos omnes. Vita Nemeſis facinus prioris Bruti: qui uno quaſi momento cæcidit ſuper occiſos filios parricida. *Infelix, utcunque ferant ea fata minores*: de Bruto iſto eeciniſſe Virgilium, ſcimus. Et iſte quod auferre regnum cognatis Tarquiniis voluit, an etiam ſtudio libertatis? Certe oſculum terræ tulit, quo præriperet regnum ſibi: & prærepti retinendi viam

a *Dio. 44. Marty. 3. Jud. Dant. inf. Melan. epiſt. pb. mo.*

b *Card. 3. de ſap. Sen. 2. de benef.*

c *Dio 47. 5.*

d *Val. 1. c. 6.*

viam præivit. Quem hic a Tarquinio rege magiſtratum tenebat in Tarquinium exercuit perfidus. [a] Perfidus & in collegam, bonum, atque innocentem virum, levicula, aut nulla potius nominis occaſione: quod Auguſtinus adnotavit. [b] Et, tu, Cicero, ſcribis, factum non admodum cum honeſtate conjunctum: etſi eo colore tentas defendere, quod patriæ exſtiterit utiliſſimum: in quo diſcedis tu a te, & a documentis tuis. Nihil enim utile, quod non honeſtum: & quod non honeſtum eſt, id ne ſervandæ patriæ quidem diſputas admittendum. Ecce autem nobis in bello hoc regio injuſtiſſimum illud Scævolæ facinus, quod Romano adprobante ſenatu ſicarius ille aggreſſus eſt. Neque enim licet, non licet, latronis, & ſicarii more hoſtibus inſidiari. Latuit inter Etruſcos Scævola: [c] edoctus jam a nutrice Etruſcam linguam: [d] Non licet, non in bello uti deſperatis his rationibus: ut cum aliena cæde, cui inhies uni, certam ſempercædem tuam conjunctam velis. Hi mali ſunt, qui mortem non timent, nec enim abſtinent a delictis. Sed audi etiam Sinonem Romanum: & quid regi optimo pro clementiſſimo in ſe affectu reſpondit: *Quandoquidem eſt apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris a me, quod minis nequiſti: trecenti conjuravimus juventuti Romanæ, ut in te hac via graſſaremur* & cetera, quæ ſequuntur apud Livium pluſquam Sinonica. Et hæc Romanæ virtutis ſexcenta ſunt. [e] Ita idem ſenatus probavit dolos turpes Martii; callidatem Græcam, verſutiam Punicam ait Livius; & patrias Romanas artes dixiſſet rectius. Audiamus & iſtum: *Favent pietati fideique dii: per quæ populus Romanus ad tantum faſtigii venerit*. Sic Martius loquitur: qui & ſuis habitus turpis impoſtor. [f] Quid dicam Fabii præſtigias (ut ſic Valerius nominat) in ſecando naves Antiochi omnes? [g] Quid quod ille divum genus Scipio bellum, & perniciem extremam Siphaci parat intentiſſime: & de pace interim legatos ad regem mittit, qui ſpecularentur apta inſidiis, & pacis ſpe incautum, improvidum hoſtem facerent: cumque omnia parata ſibi ſenſiſſet: tum nuntiat regi, placere quidem ſibi tractata omnia, ſed conſilio ſuo improbari: itaque redeundum eſſe ad bellum. Itane magnanimus ille Scipio, a Punicis abhorrens factis? Hic mihi de aliis dicendum eſſet. [h] De triumphatore Illyrii: qui Gentium regem, venientem publica ſua ad ſe fide, ſupplicem retinet, in triumphum ducit. Qui urbibus Illyrii ſeptua-

[a] *Aug. 2. de civ. 17.*
[b] *Cic. 3. de off.*
[c] *Dion. 5.*
[d] *Dio lib. 46.*
[e] *Liv. 42.*
[f] *Val. 7. c. 3.*
[g] *Polyb. 14. Liv. 30.*
[h] *App. Illyr.*

ptuaginta pollicitus veniam, ſi omne argentum darent, eas depredatur, quæ omne argentum dederant. Sed, ut dico, ſunt hæc plurima. Neque ego intelligo facta privatorum, aut non probatorum Romæ hominum, at publica; at eorum magiſtratuum, qui exempla aliis effulſere virtutis in civitate univerſa: & quorum ſi convellimus exiſtimationem, ſalva civitatis exiſtimatio eſſe non valet. [a] Neque enim aliud eſt civitas, quam cives, magiſtratusque: in quibus ſi indigni ſint, qui digniores habiti ſunt: reliqui minus digni quales erunt?

a *l. 2. de re. du.*

CAP. V.

Romani bellis victi.

POrro autem facere non valeo hic, quin in mancipia Romana, in Romanorum rerum ſcriptores non commovear vehementer: quorum eſt illud, [b] *Populus Romanus victus vi, & ſuperatus præliis ſæpe eſt multis, bello vero nunquam, in quo ſunt omnia.* Nunquam, Lucili, nunquam, Livi, victus bello populus Romanus? At vicit Tatius: qui regemque ſe, & Sabinos, Curetes ſuos in urbem intulit: [c] quique nomen mutavit iſti populo, & de Romanis Quirites fecit, non ſolum dedit nomen uni colli Aventino, uni trium tribuum Tatienſi. At bello hoc regio vicit Porſena: qui Romanos agro multavit: ſub præſidiis poſuit: ſpoliavit armis, & omni ferro, præter quam in agriculturæ uſum. Huic regi liberum judicium, quod bello quærebatur, in cauſſa pulſi Tarquinii permiſſum eſt: huic dedita Roma eſt. [d] Quæ Dionyſius, Tacitus, Plutarchus, Plinius commemorarunt. [e] Alii & tributa memorant: atque, quod audis ex his, probe: ut ut idem Plutarchus non hos auctores, non hoc probet. At vicit Romanos Brennus, vicerunt Senones: ſcelere Romanorum provo[illegible]: ſceleratis Romanorum armis petiti. Urbem illi tenuerunt: etiam rupem illam Tarpejam, etiam [f] *Capitolium Senones occupaverunt*: ſic Tertullianus: *Tarpeja ſede peruſta Gallorum facibus*: ita Lucanus. *Infelices vix mille hominum reliquiæ fame, peſte, deſperatione, formidine territæ ſubactæ, venditæ mille auri libris*: quod Oroſius. Non bello victi? Non *Capitolia capta?* quod apud Silium: & non *capti Quirites?* Nam cæſos, fuga-

b *Non. diff. dict. Liv. 9.*

c *Feſtus. Dionyſ. Serv. 5. 7.*

d *D. 2. T. 3. hiſt. Plut. de clar. mul. Pli. 34. c. 14.*

e *Plut. pr. R. 18.*

f *Tertu. apolog. c. 40. Luc. 5. Oroſ. 2. c. ult.*

fugatoſve a Camillo Gallos poſt fuiſſe, hoc demum impudentium mancipiorum eſt ſcribere. Quandoquidem exſulem inopem, republica acciſa, & proſtrata, id potuiſſe, tum credere homines potuiſſent, cum fortiſque viri vim truncatus pedum, manuumque, & trunco reliquo affictus humi vincere viſus ſuiſſet. Aut num fatebimur Gallos victos ex Polyeni etiam teſtimonio? [a] *Capta urbe*, inquit ille *fœdus eſt cum Gallis ictum, ut his Romani tributa penderent, & portam apertam omni tempore præberent; terram darent, & aquam*. Et hactenus Romani victi: & ſub ſervitutem Gallorum ex conventu adacti. *Sed Romani mox tamquam ad amicos munera mittunt hoſpitalia, & in his vinum, quo Galli inebriati occidione deleti omnes ab eis ſunt*. Sic Romani victores: ſed proditores, perfidi fœdifragi. [b] Quæ victoriæ partæ contra æquum deteriores omnibus ſunt cladibus. [c] Verum de Polybii, & aliorum libris, pacem cum Gallis pro iſtorum arbitrio initam, naves ad Tyberim tranſeundum Gallis tributas, & alio exercitum invictum proficiſcentem, de victoria, & urbe ſubacta, longumque poſſeſſa, litteras ad ſuos exaraviſſe, ad eoſque tandem fortunis integris omnibus rediiſſe conſtat. [d] Sic Livius Druſus proprætore ex provincia Gallia retuliſſe traditur aurum, Senonibus olim in obſidione Capitolii datum, nec, ut fama, extortum a Camillo. Sic Suetonius. Quid tamen vetera iſta conquiro, & me quaſi in obſcurum aliquod antiquitatis antrum concludo? Nos, nos Piceni, ducibus Aſculanis meis, amantiſſimis illis patriæ meæ, amantiſſimis familiæ: nos in ſummo Romani imperii faſtigio Romanos bello vicimus. [e] Et noſtra juſtiſſima cauſſa fuit. Pertebamus enim eam civitatem: cujus imperium armis defendebamus: & per annos omnes, per omnia bella duplicem illi militum, equitumque numerum explebamus; necdum tamen in jus ejus recipiebamur: at, qui illam in id ipſum deduximus faſtigium, homines ejuſdem & gentis, & ſanguinis ut externi alienique faſtidiebamur. Quæ Vellejus omnia. Et quæ virtutem, humanitatem, gratitudinem, & juſtitiam Romanam ſatis oſtendunt. At quod Vellejus addit, & concludunt alii, bellatum ab Italicis pro civitate Romana conſequenda: eoſque civitatem conſecutos: ſed bello tamen fuiſſe victos hoc quidem eſt, de quo dicimus: & in quo ſcriptores iſti deridendi ſunt maxime. Nam cur victos Italicos affirmant? Quia

a *Polyen. lib. 8.*

b *Iſocr. pan.*

c *P. 1. 2. Front. 2. c. 6. Bod. 5. de rep. 5.*

d *Suet. Tyb.*

e *Paterc. 2.*

Quia victi præliis multis sunt, & plures ipsorum urbes, & ipsum Asculum, captæ sunt? At non hoc est bello vinci, sed præliis. Bello vinci est, petitis: excidere, hostibus certata relinquere. Non id etiam est vinci pro tribunalibus? Non sumtus, non damna litis, non contrariæ interlocutiones victum efficiunt, sed sententia, quæ finem controversiis facit re judicata, adjudicata. Et igitur Italici non victi, sed victores justissime censeantur: qui potiti voto sunt, re petita. Etiam nec ridebat Roma, cum lugeret Italia. Sileant, si qui putant, victis voluisse Romanos dare hostibus, quod amicis, armatis noluissent. [a] Prætextas, ornamenta magistratuum posita, saga sumta Romæ scimus. Debilitatas manus, & murcios illic factos non ignoramus: in civitate nepotum Veneris timidissimos homines, qui vitandæ militiæ præciderent pollices sibi, sæpe visos, invisos alibi gentium. Etiam ad auxilia Latini nominis, externarumque gentium abiit inclita Roma: & [b] quod nunquam antea, libertinos milites sumsit. Fugatus ab Asculo Pompejus: recepti populi complures: capti Romani magistratus: cæsi legati: cæsi consules: expugnatæ urbes: deleti exercitus. Et, cum isthæc ita se haberent, delata nobis civitas est. Nos victi sumus? Quid nunc memorem Parthos, Romanorum victores semper? [c] Memorat Trogus. Vincendos ego dixerim Romanos semper: nisi unus, itidem noster Picenus, Ventidius ille Asculanus exstitisset: qui Parthos semper victores ipse unus victos effecisset Romanis. [d] Tribus præliis eos fudit: & de eis triumphavit solus, aut certe primus, aut etiam merito solus. [e] Nolo hic aut Antonii invidiam vestri, non vestrum, non Planci tui, Cicero, contumelias indignas dicere, quibus virum fortissimum lacerare solebatis. Hæc ad cæteras virtutes vestras accedant per me tacita. Ostendi, vos victos variis, pluribusque bellis. Ostendi mendacia historicorum. Mendacia; non quod facere consueverunt poetæ, qui res scribebant vestras, ut vestras præterirent calamitates: [f] ut apud te legimus; sed mendacia: quæ historicos dedecent.

a *Val. 6. c. 3. Front. 4. c. 7. App. 1. civ. Liv. 72. seq.*

b *Justi. 46.*

c *Gell. 15. 6. d App. Parth. Flor. 4.*

d *Dio. 49. Cic. 10. fa.*

e *Cic. pro le. Ma.*

CAP. VI.

Fraus Romanorum in Fœderibus.

Mihi redire ad Gallos placet & ad tertium civitatis fundatorem Camillum. Gallos iſte (cæſi Galli, aut fugati credantur) cur fugat, cur cædit? [a] Numquid ſenatus, populus, & quicquid erat Romæ ſine iſto magiſtro paciſci cum Gallis victoribus nequiit? [b] Cur ergo Caudinæ pactioni non ſtatur: quam tot magiſtratus pepigerunt? Pallium ſcilicet ([c] ut eſt in proverbio) revoluitur hic: &, magiſtratus abſque populi, & ſenatus auctoritate non convenire potuiſſe, contenditur. [d] Itaque Corſi, ita decepti Numantini. Et ita ſive in urbe cum iſtis contraxeris, ſive peregre, certum nihil, & nihil recte contractum cenſebant, quod libidini ipſorum non ſatisfaceret. Ita Mithridates, ita Jugurtha, ita alii circumventi. Atque eſt illud utique importuniſſimum in argumento hoc fœderum, quod Romani ducum ſuorum pactionibus ſe obſtringi non poſſe contendant, niſi eaſque ratas ipſi habuerint: alios populos tamen eorum ducum conventis obligare velint, nec ſi populi illi conventiones ducum adfirmaſſent. [e] Id in fœdere cum Aſdrubale icto voluerunt: quo Carthaginenſes ſe non teneri, ab ſe non ſancito, juſtiſſime reſpondebant. Et vana eſt Livii, Polybiique contraria diſceptatio: qui Romanos tuentur, quia adiici ex Romanorum ducum parte diſerte ſoleret in fœdere, *Ita id ratum fore, ſi populus cenſuiſſet*: ex Aſdrubalis autem latere exceptum quicquam tale non fuerit: & tot annorum ſilentio ita vivo eo comprobatum ſit fœdus, ut ne mortuo quidem quicquam mutaretur. Quid enim ſi diſceptationis caput primum, quod hujus eſt proprium loci, brevicula interrogatione diſperdo? An igitur ſi ſine illa exceptione dux Romanus ineat fœdus, hoc Romanos tenebit? Eccur igitur tenuerit Carthaginenſes? Et tantos hiſtoricos vanitatis tantæ non pudet? Alterum caput de ſilentio per juris itidem imperitiam induxerunt: quando non ex ſilentio, re nihili, ſed ex verbis, factiſve obligari homines, jus oſtendat. *Qui tacet, non conſentit*: ut regula juris eſt: & vulgi. [f] *Silentium nihil eſt: nec unquam invenies dictum, ſilendo aliquos concordaſſe*. Patientia non eſt verus hominis actus: quia ſilentium eſt quædam privatio,

a *Liv. 5.*
b *Liv. 9. 36.*
c *Alc. lib. 4. dict. 5.*
d *App. Hiſp. Val. 9. c. 3.*
e *Liv. 21. Polyb. 3.*
f *Bal. 1. conſ. 396. 437. 5. 321. Rom. 311. Alex. 1. 136. 6. 191.*

tio, non actus: Cum id genus aliis: quæ maximi interpretes juris docuere. Quid præterea si Asdrubalis fœdus non sic observatum fuit tacite, ac si ratificatum, aut ictum expresse fuisset? id est, quid si non publico tacito fuit observatum, sed aliquorum privato? & privatum dico etiam ducum, & magistratuum, & ipsius Asdrubalis: quem servasse pactum suum, nec mirum sit. [a] Isto casu non obligari universitatem, certum est; & si aliqui universitatis non observassent, vel pauci; hi jura universitatis omnibus conservassent. Ecce Hannibal non observat: Sed quam illud difficile, ut ostendatur, publico observatum consensu quid exstitisse? Ceterum si vos, Romani, pactiones ducum vestrorum non tenent: & illas vos pro libitu, & libidine vestra respuitis: num etiam non censebitis æquum, integra omnia adversariis conservari? [b] *Restitutio ita facienda est, ut unusquisque in integrum suum recipiat*, ait Paullus. *Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit*: inquit Ulpianus. *Restituere est possessorem facere*: dicit Cajus. *Est causſam reddere, & omnem conditionem*: ut Proculus loquitur. *Est id facere, quod fuerat*: ut scribit Tertullianus. Quid ni igitur, Romane, si sponsionis ad furculas Caudinas factæ pœnitebat, legiones restitueris, unde per sponsionem eductæ sunt? Quid ni recipiat Samnis, quod integrumque illi fuit, pro arbitrio statuere de legionibus vestris? Recipiat saltus illos, & vos imis inclusos angustiis? Possessionem corporum vestrorum recipiat? Causſam vestram, & conditionem omnem deploratissimam ex integro habeat? [c] Hæc vobis & Samnites dixerunt: & dicunt postea Numantini: aut pro Numantinis Orosius. Nunquamne causſa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis: furto (hoc credam, non tranasse Tyberim illas puellas) subduxistis, auro civitatem a Gallis redimistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. Pacem cum Samnitibus pepigistis: eam irritam facitis: & semper aliquam fraudi speciem juris imponitis. Quid ludibria illa religionum referam: & pueris vix dignas ambages, quas senes vestri, ac consulares fallendæ fidei exquisiverunt? Juste, Livi, hæc tu: & caute tamen ex persona hostis Romanorum dictas: ne cum Patavinitate, & studio partium etiam hostilitas tibi obiiceretur. Dum Samnitibus deditur Postumius, qui sponsionem inierat, fœciali Romano femur percutit, & clara voce

a *Alc. 7. cons. 2.*

b *l. 2. ne quid lo. p. l. 38. de usur. l. 22. 23. ult. de V. S. Tert. apol.*

c *Oros. 5. c. 1.*

ait, ſe Samnitem civem eſſe: fœcialem a ſe contra jus gentium violatum: eo juſtius bellum Romanos geſturos. An hæc ludibria non ſunt, & luſus? Et his fides publica liberatur? *Forſitan*: ais, Livi. *Forſitan*: & rides ridicula. Hæccine reſtitutio? Civis Samnis Poſtumius, quem Samnites non receperunt? [a] Civis an Romanus manſerit, diſputent Manilius, Scævola, Brutus, Pomponius, Modeſtinus, alii juriſconſulti: ſed factum civem Samnitem nullus dixerit. [b] Ut enim donatio, ita deditio intelligi ſine acceptione non poteſt: quod etiam Cicero ſcribit. [c] *Etiam qui erant Romæ rerum capitalium condemnati, nec prius eam civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſſa veneraut. Non univerſi populi Romani poteſtas aliter potuit.* Certe & civis manſerat Romanus Poſtumius. [d] Quod alteri non adquiritur, id non perditur: Quod non adquiritur recipienti, id remanet penes dantem, inquit Baldus. [e] *Si fidem fœderis, quam ſibi Romani ſervari a ſubjectis volunt, ipſi ſubjecti Samnitibus ſervaſſent, hodie aut ovinino non eſſent, aut Samnio dominante ſervirent.* Hic ita concludant verba hiſtoriæ.

a *Cic. Top. l. ult. de lega. Alc. 8. conſ. 14.*

b *l. 19. de don.*

c *Cic. pro do. ſu.*

d *Bal. l. 3. de off. præt. l. 21. de ſta. ho.*

e *P. Diac. 2.*

CAP. VII.

Samnitici belli cauſſa injuſta.

AT vero cauſſam Samnitici belli etiam intelligamus. Decet enim, & cœpimus confutare hiſtoricos, [f] qui, arma nunquam niſi juſtis de cauſſis ſumta a Romanis, tradunt. Scilicet juſta cauſſa (ut audivimus) ad arma ipſa exercenda, & ad otium fugiendum. Juſta eſt cauſſa, bellis petere ignotos, & quietos: [g] ut hoc Romani fecerunt: [h] & itaque etiam belli jura, etſi (ridiculum) non bellum cum his eſſe, non eſſe hos hoſtes voluerunt: Juſta eſt cauſſa, occaſiones quaſvis cupide arripere (& hoc Romani) augendi imperii. [i] Negant Campanis auxilia contra veteres ſocios: in ditionem tamen venientibus largiter opitulantur. Quid tamen aut in ditionem accipiunt litigioſam rem? & ſociis ferme adquiſitam? [l] Feram vulneratam intercipi vulneranti ab alio non oportere, Trebatius juriſconſultus admonuit: cujus & opinio probata a Friderico Cæſare: & mo-

f *Dionyſ. 2.*

g *Oroſ. 3. c. 20.*

h *l. 5. de capt.*

i *App. Miſt.*

k *Liv. 7.*

l *l. 5. de adq. re. do. Cuja. 1. feud. 1.*

moribus adfirmata, atque recepta eſt. [a] *Scilicet honeſtum non eſt, competentia compendia aliis, vel debita, vel parata avertere*: ait Ambroſius. [b] Non poteſt quis abſque facto ſuo privari ſpe ſua. Spes etiam ex conditione ſic eſt. Actio etiam eſt pro ſpe: & id genus alia, quæ tradunt periti juris. Spes pro veritate habetur. Neque tu mihi diverſam plerorumque ſententiam, & probatam a Juſtiniano Cæſare renarres: ut non aliter intelligatur facta fera vulnerantis, quam ſi & capta eidem fuerit. Tractarunt enim poſteriores imperatores, & juriſconſulti quædam diligentius, quam fecerunt priores: quod magnus Galliæ juriſconſultus ſcribit Cujacius: inque certa hac ratione adfirmat. Mirandum ſane, fuiſſe defertam Trebatii ſententiam de fera vulnerata. Sed evaluit conſuetudine, quod erat naturaliter verum. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Scilicet natura eſt, quod verum eſt. [c] Et id quidem ſic factum alibi cum opinionibus Trebatii eſt, & aliorum: ut, quod naturalem habet rationem, in uſu obtineat, etſi eſt in diſputationibus rejectum. Aut num rationem naturalem non habet, ut parata aliis compendia non avertantur? [d] *Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Illud rationem naturalem non habet, *Omnia, quæ volumus alios nobis facere, nos & aliis faciamus?* [e] quæ volumus, id eſt, quæ velle debemus. [f] Non habet rationem naturalem, quod ex ſenſu & affectu eſt communi. Sed me dies hic deficeret, ſi omnia velim dicere, quæ naturalem rationem oſtendunt. Etiam ego dico captum, quod aufugere non poteſt, pro actu enim eſt potentia proxima actui: condemnandus in proximo eſt pro condemnato: & id genus alia: quæ vel in ſubtili diſceptatione pro Trebatio afferuntur. [g] Quid, quod reliquorum quoque juriſconſultorum mens hac ſtat? Ratio enim, cur non tribuant alii feram vulneranti, illa eſt, quoniam accidere poſſint multa, ut eam ille non capiat. Itaque ſi nihil multum poſſit accidere, cur non capiat, feram ei interverti non oporteat. [h] Examen, quod evolaverit ex alveo noſtro, manet noſtrum, donec in conſpectu noſtro eſt, nec difficilis ejus perſecutio eſt. Manet noſtrum: hoc eſt, interverti nobis non oportet. [i] Nam feræ, piſces, aves deſinunt noſtra eſſe, cum effugerunt: etſi recuperari adhuc poſſunt. [k] Ut libertatis ſpecies eſt fugiſſe. Et nec igitur dico quæſitam vulneranti; ſed non

a *Ambr.* 3. *de off.* 9.
b *Decian.* 2. *conſ.* 17.
c *l.* 39. *de ſtatul.*
d *l.* 206. *de reg. jur.*
e *Decian.* 2. *conſ.* 29.
f *Decian.* 2. *conſ.* 9.
g *Cepb. conſ.* 136.
h *l.* 5. *de ad. re. do.*
i *l.* 44. *de ad. re. do.*
k *l.* 17. *de ad. ed.*

non averti illi oportere ſpem tantam quærendi. [a] Videndum & hoc ait Proculus, utrum in laqueo ita hæſerit aper, ut expedire ſe non poſſit ipſe; an diutius luctando expediturus ſe fuerit: ut ſi quis eum exemerit, teneatur mihi, qui laqueum venandi cauſſa poſui. Videlicet ut non ſit aper ſtatim meus, atque incidit vel tenaciſſime in laqueum: hoc tamen caſu, actionem eſſe mihi adverſus eximentem, ſemper eſt verius: aut juriſconſultus videndum voluit, quod attinebat nihil. Huc modo advertatur diſputatio, ſi Campanos vulneratos a Samnitibus potenter, & jam jam capiendos, ſic eripuerint Romani juſte? [b] Pro capto eſt reus, qui ſub oculis eſt magiſtratus: itaque delinquat, qui illum offendit nunc, alias offenſurus impune. Differit ad quæſtionem vulneratæ ferę plura in ſententiam noſtram Joannes Cephalus, juriſconſultus primus in academia prima Patavina concludit, quod qui hoſtes perſequebatur, & jam aſſequebatur, is agere ſaltem poſſit pro ſuis damnis, & intereſſe omni adverſus interceptorem: qui cauſſa fuerit, quominus ipſe tanti laboris, atque diſcriminis mercedem meritam conſequeretur. Hæc, Romani, effeciſtis Samnitibus ſociis. Hæc illis debita retinetis. Verum dicite nunc, quare etiam Sidicinos, itidem dedentes ſe vobis, non recepiſtis, & contra eosdem Samnites non defenditis? Seram deditionem, ultimaque tandem neceſſitate expreſſam aſpernamini? An magis illicuere cupidinem veſtram Campanæ majores opes, ubertimus ille totius Italiæ ager, certamen ([c] ut dicunt) Liberi, Cererisque, & naturæ gaudentis opus? Hoc verius in pari alioqui cauſſa Sidicicinorum, & Campanorum. Et ſic puncto tempore, fidem eſſe utilitate antiquiorem, obliti eſtis. Fidem utilitate antiquiorem, paullo ante deditionem, Campanis reſpondebatis: & fœdus vobis cum Samnitibus ſervandum eſſe. Quid jam alias memorem Italicas gentes, iniquis Romanorum armis oppreſſas? Aut quomodo memorem? [d] Nos, in ultimo temporum poſiti, mala Romanorum ſcire non poſſumus niſi per eos, qui laudavere Romanos. Sed intelligimus tamen, quam valde multa injuſta fuerint Romanorum facta, qui videmus, emanaſſe non pauca injuſtiſſima in tanto ſtudio laudandi. Deleta Auſonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac ſi internecino bello certatum eſſet: ut ſcribit Livius: [e] Calabriæ arma illata: quaſi excepiſſent Pyrrhum Calabri: ſed re vera ut Brunduſio potirentur, portu in Græciam oportuno: ut

alii

[a] *l. 55. de ad. re. do.*

[b] *Bal. l. 4. de ſta. ho.*

[c] *Jor. de re. ſucc. Pli. 3. c. 5.*

[d] *Oroſ. 4. c. 5.*

[e] *Zonara.*

alii adnotarunt: de quibus Zonara retulerit. At placet, a patriis calamitatibus avertere alio animum, & in regiones alias convertere orationem. Hæc vero populi Romani adoleſcentia fuiſſe dicitur, cum Italiam ſubjugavit.

CAP. VIII.

De bellis Punicis.

IN Siciliam quæ cauſſa devexit arma Romana? [a] Cum viderent (ait Florus) opulentiſſimam in proximo prædam, cupiditate ejus exarſerunt. Et hac quidem præda ſollicitante, ſed ſpecie Meſſanæ oppugnatæ, & fabuloſæ originis, [b] qua ſe Mamertini imputavere Romanis, arma illa in Siciliam devecta ſunt. [c] Et judicatum Romæ tamen turpiſſimum fuit, juvare Mamertinos, flagitioſiſſimos homines. Hinc autem primum cum Pœnis, veterrimis ſociis. [d] Nam auxilia tandem cum decreta Mamertinis eſſent, nec mitterentur: Mamertinique ad Pœnos refugerent, atque accepiſſent e Pœnis: tum Romani Meſſanam, factam Carthaginenſium, libertati reddere volunt. Vincuntur autem primo: & a Pœnis recipiunt amiſſas triremes: ut fœderis arguerentur clarius fracti. Sane enim violarunt Romani fœdus: qui in Siciliæ partes, quæ parebant Carthaginenſibus, navigare ex fœdere non potuerunt: atque Carthaginenſibus Meſſana parebat. Tantum abeſt, ut eo etiam oppugnatum ſocios valuerint proficiſci. Et non apte in quæſtione iſta contrarium, & adverſus Philenium in quæſtione iſta Polybius diſputavit. Pergo porro. Venit in colloquium dux Carthaginenſis: capitur improbe, a Mamertinis, an a Romanis dominis? Excedit cum omni exercitu tota Sicilia. Petitur, ut Romanus excedat quoque. Sed huic ſurdæ ſunt aures ad tantam, & tam evidentem æquitatem. Sic bellum primum Punicum, violatis fœderibus, adjutis improbis, Et ſecuta iniquam iſtam illic prædam præda iniquior Sardinia. per ſummam injuriam, contra jura omnium fœderum ablata: ut omnium hiſtoricorum ſententia convenit: & Polybius declarat luculentiſſime. Sed ſecundi belli non melior cauſſa, quam primi fuit. Et de Sagunto illud prius notem, quæ cauſſa creditur hujus belli: eam immo Hannibali civitatem perfidam exſtitiſſe: omni

a *Flor.* 2.

b *Panegy. Fla.*

c *Polyb.* 1.

d *Zonara.*

di-

digniſſimam fuiſſe malo: & habitam tamen ab Hannibale clementiſſime. [a] Ita Plutarchus. [b] Et alii ſic tradunt, obſeſſam a Romanis Saguntum, non ab Hannibale. Et is ipſe igitur Hannibal non per vanitatem ait, Romanos Sagunti feciſſe inique. Attamen ſic ſe habeat res, ut deſcripta a Livio eſt: quid nos in Pœno reprehendimus, ſi Saguntum, ſuorum hoſtium munimen, atque perfugium, armis aggreditur? Non ſane pro injuſtis viris Romani contra Carthaginenſes ſexto jam fœdere junctos, & juſtum jus proſequentes, capeſſere bellum debuerunt. Nihil hic differo, ſi Saguntinis poſtumis ſociis cautum fœdere erat. Quatamen in re definienda præcipitem fuiſſe Livium; animadvertere eſt. [c] Etenim plures ſunt juriſperitorum ſententiæ, quæ ſignificant, actum videri de præſenti, non de futuro: & itaque fœdere illo proſpectum præſentibus ſolis, non etiam futuris ſociis. [d] Quid, quod Appianus tradit, Romæ ita decretum fuiſſe, ne auxilia Saguntinis mitterentur: quoniam non fœdere comprehenſi, ſed liberi relicti eſſent? An ita? An, quod feciſtis cum Mamertinis, exſpectabatis, ſe Saguntum defendere, & debilitari Pœnum, ſine veſtro incommodo? An etiam, Saguntum perdi, quam vobisque interſepturam iter ad Hiſpaniarum imperium credebatis? Non ingrediar imperii veſtri arcana. Perfidi, ſi Saguntinis ſociis auxilia denegaſtis. Perfidi, ſi pro non ſociis Saguntinis contra ſocios Carthaginenſes pugnaſtis. Perfidi ſemper, qui contra veteres pro novis ſtetiſtis ſociis. [e] Num quæſtio eſt ſubdifficilis, ſi amici novi ſint veteribus anteponendi? Indignam homine dubitationem, & tu ais illico, M. Tulli, ac ſubdifficilem quæſtionem ajebas. Romanorum etiam ſocios, injurios ſibi, potuiſſe Hannibalem bello perſequi, quis neget? [f] Etiam hoc ad injuſtitiam Saguntinorum accedit: qui relicti per fœdus in libertate, & medii, tradiderunt ſe, & addixerunt Romanis totos. Nam hoc eſt contra fœdus, a partibus tributis longe abire. Male Saguntini a medio ad extremum iere. Et Romani in ſuum extremum recepere medium male. [g] Etiam cum dicitur, licere cuilibet non adſcriptorum fœderi, ad utros velit, ſe conferre: non tamen pactum hoc eſt ita intelligendum, ut quid fieri inque perniciem partis alterius poſſit. Quod prudenter ediſſerunt Corinthii legati, ne ſe contra, fœderatos primos, ſuſciperent Athenienſes Corcyræos defendere. Sive igitur Hannibalis partem conſideramus, ſi-

a *Plut. de clar. mul.*
b *Vet. com. Juv. ſat. 15.*
c *Cop. conſ. 593. 733.*
d *App. Hiſp.*
e *Cic. Lel.*
f *Plut. Ann.*
g *Thucyd. 1.*

ve

ve partem Romanorum, ſemper liquido injuſtitiam horum deprehendimus. Porro belli hujus ſecundi acceſſio eſt Hiſpania: in quam Sagunti prætextu malo exercitus tranſportarunt. Saguntum dicimus? [a] Ad fodinas auri petitam Hiſpaniam: ait teſtis magnus, Macchabeicus. *Auri ſacra fames*. Numantiam in Hiſpania exſciderunt: [b] quam illic urbem injuſtiſſimo bello petierunt; ut ſic Florus: cui urbi conventiones abruperunt; ut ſic dictum antea: a qua urbe nullis conditionibus, niſi mortibus omnium mortalium, & ruina omnium rerum moveri potuerunt: ut omnis clamat hiſtoria. Nam quid de indignitate dicam, quod non niſi vincere fame Numantinos voluerunt? [c] *Neque dignum videbatur, famem hoſtium operiri*: Tacitus de Tito, qui Hieroſolyma oppugnabat: locum illum munitiſſimum, & abnuentem impetus belli, [d] cum ſine mœnibus, undique pervia Numantia eſſet. Tutiſſimi homines, toties cæſi innumeri a pauculis, vivere tantam virtutem, & teſtem ſupereſſe ignominiarum Romani populi, non tulerunt. Eſt belli ſecundi acceſſio & Sicilia univerſa: præda illa jam antea expetita, & per tot annos, perque tot diſcrimina deprædata. Age, fidelem ſocium te præſta, Hiero, & amicum certum Romanis: age: nunc puero nepoti tuo nec parcunt iſti, nec civitati tuæ. Sed in Corſos, reſiduam inſulam, quæ cauſſa, aut occaſio belli? [e] Incognitam ſibi profitentur peritiſſimi antiquitatum. An fuit nulla? [f] In fœderibus Punicis fuit, ut Corſica media eſſet inter Romanos & Carthaginenſes, Sed boni illi viri medium ſic interpretari conſueti, veluti ſuum. Non audivimus de Sagunto: In fœderibus deceptos Corſos, ante cognovimus. Et ita igitur Italiam habent, Hiſpaniam, inſulas, Agite: in ipſam Africam traiiciamus: bella concludamus Punica: Neque enim ſingula iſtorum bellorum exquirenda ſunt per immenſam orationem. [g] Quanta illa, erat in primo injuſtitia, quod, redire Regulum, nollent? etiam juramentum redeundi nihili interpretantes, juratum vi. Sic ſenatus populusque, non propinqui ſoli reditum morantes. Hos tu damnas, Cicero; omnes: qui Reguli reditum juſtum dilaudaſti. Regulus & ipſe injuſtus: qui contra ſuſceptum legationis officium agit Romæ: & juſte igitur necatus a Pœnis. & injuſte igitur Romani tot nobiles Carthaginenſes excarnificandos Reguli filiis in vindictam tradunt. En ſævos: en injuſtos. Sævi in ſecundo bello cum homine mortuo:

a 1. Macchab. 8.
b Flor. 2.
c Tacit. 5. hiſtor.
d Lipſ. de milit.
e Sigon. de antiq. jur. pro.
f Serv. 4. Æneid.
g Polyæn. 8. Zon. 8. Horat. 3. od. 5.

ut post dico: injusti in captivis perjuris ad Hannibalem non remittendis aut si remissos dicentibus credimus magis; etiam hoc faciamus, ut, quia remittere volebant Regulum, de ipsis sit, [a] *Servandam in parvis justitiam, ut injustus esse in majoribus possis.* In vilibus capitibus colere justitiam volvere, qui colere in magno recusabant. Ceterum dico bellum tertium. Urbem Carthaginem, & Punicum imperium quo tandem jure, quibus artibus exstinxerunt? Jus dictum omnibus, quod æmulam in propinquo potentiam rebus tutam suis non censuerunt. Audiamus, quid tamen scribat historicus; [b] *Mihi, studiose quærenti, nusquam omnino caussa belli Punici tertii eluxit: alii volebant propter securitatem diruì: alii manere ad virtutem acuendam: igitur caussa non ex injuria lacessentium.* Audiamus alium, qui & de Scipione hic tradit, [c] *Eam urbem magis invidia imperii, quam ullius ejus temporis noxia invisam Romano nomini funditus sustulit.* Adde cum eodem auctore, *Magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginensibus diceretur, credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem exscindere.* [d] Catonis ficum meminimus, & cavillationes. Artes nihilo justiores in bello, consilia vaferrima, doli pessimi. Masinissam vicinum apponunt infestissimum; ad cujus injurias manifestas connivent: cum & possent, & deberent eas prohibere: & simularent, etiam legationibus missis, prohibituros. Quid enim, quid Livius? [e] *Masinissa, postquam infames Carthaginenses sensit, & discordes inter se, locum injuriæ esse ratus, agrum depopulatur,* &c. Quid enim, quid Numida ille obtendit, ut jure rapere Carthaginensium bona videretur? Scilicet Carthaginensibus in Africa nec terræ pedem extra Byrsam esse oportere: [f] tantum enim, & hoc tantum callidis Tyriæ commentis acceptum. Sed ita ne sperniimus septingentorum annorum possessionem? & jura sic convellimus vetustissima? Et vobis igitur, Romani, probe Carneades, quod si justi esse velletis, ad casas redire vos, unde prodiistis primum, & imperium isthoc orbis terrarum relinquere vos oportuisset. Non ita a casis? [g] *Roma, nisi immensum vires promosset in orbem, Stramineis esset nunc quoque densa casis.* [h] Etiam Romuli regis casa; *Romuleoque recens horrebat regia culmo.* [i] Etiam reliqua urbis sic erant: quod & alii canunt poetæ: [k] & ille sanctus, *Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo: sic tradunt habitasse Remum.* Barba-

ram

a *Plut. de su. ba. sta.*

b *Oros. 4. c. 23.*

c *Paterc. 1.*

d *Plin. 15. c. 18.*

e *Liv. 34.*

f *Just. 18.*

g *Ovid. 2. eleg. 9.*

h *Virg. 8. Æn.*

i *Prop. 4. eleg. 1.*

k *Prud. 2. cont. Sym.*

ram rationem barbari Numidæ. Age tamen, age rex Maſiniſſa; obliviſcere Hieronis liberos: inſervi Romanorum cupiditati: [a] ne audi, quod in ſuis curiis, templisve differebant, abutendum te contra Carthaginenſes ad ſuæ utilitatem reipublicæ. Et tu mox audies tui exſcidium regni connivente tuo hoc populo Romano ad mortes lamentabiles liberorum tuorum: & eas ulciſcente mox ad prædam accipiendam adeo turpiter, ut veriſſime exclamaſſe ſciamus nepotem tuum. [b] *Urbem venalem*. Sic regibus abuſa omnibus Roma eſt. Sic ſuſtulit omnes, cum opus ſervitio illorum poſtea non haberet. [c] Inſervientes hi reges nominati, & habiti. [d] Sed ecce Pœni aduſque Romanorum pedes devoluti, intolerandam Maſiniſſæ avaritiam, & ſuperbiam conqueruntur: ſi trium rerum unam ſinerent impetrari, rogant cum lacrymis: ut vel ex æquo apud ſocium populum, quod cuique eſſet, diſceptarent: vel permiſſum ſibi eſſet, ut adverſus injuſta arma pio, juſtoque ſe tutarentur bello: vel ad extremum, ſi gratia plus quam veritas apud eos valeret, ſemel ſtatuerent, quid donatum ex alieno Maſiniſſæ velint. Et cetera, quæ exſecutus eſt ipſe Livius. [e] Miſſi in Africam conciliatores: ſed cum mandatis, ut faverent regi, quantum poſſent: & iterum alii cum iiſdem mandatis clam, ut regis utilitatem promoverent. Et quidem ſic negotium utrique conficiunt pro Maſiniſſa. Neque dum quieſcit is tamen. Et arbitros ergo Pœni rurſus implorant. Et promiſſi arbitri, nec miſſi prius, quam ſperatum Romæ eſſet, victos Pœnos, victorem Maſiniſſam exſtitiſſe. Etiam probus ille Africanus miſſus: qui paſſus vigere inimicitias, qui paſtus dulciſſimo (ſic & fari auſus) ſpectaculo, e colle proſpectans prælia Africæ, ſanguinem, & cladem Lybiæ, Numidiæque: [f] *Suave etiam belli certamina magna tueri per campos inſtructa tua ſine parte pericli?* Atque ita tandem cum proſpicere ipſi ſibi Carthaginenſes cogerentur, violati fœderis rei facti, & hoſtes declarati. [g] Quaſi ſcilicet aut lex, aut pactio valeat, ne quis ſe defendat. Bellum in eos ſimul indicitur, & infertur. Nam ſollemnia illa, & juſta, res repetendi, tum deſierant. Excuſationes eorum æquiſſimæ non audiuntur: jubentur ſatisfacere aliter: rogantibus, quid eſſet hoc *aliter*, non exponitur, niſi ſcire eos & hoc *aliter*. At Pœni damnaverant jam omnes, quos feciſſe contra fœdus, & voluntatem Romanorum credebant. Obſides nunc,

a *App. Puni.*

b *Liv. 64. Flor. 2.*

c *Tac. 2. hiſt.*

d *Liv. 42.*

e *App. Pun.*

f *Lucr. 2.*

g *Bal. 4. conſ. 113.*

Digitized by Google

& alia jussi dedunt. Ceterum, quod mandatum a principio fuit, consulibus idem nunc iteratur clam, non absisterent bello prius, quam diruta Carthago foret: quam tamen mansuram liberam, semper promittebatur. Rursum igitur jubent consules, arma tradi, & naves: & naves, & arma traduntur. Atque ecce profertur tandem arcanum: ad quod per tot frustrationes, & fraudes ventum est: & quod Pœnis probe antea fuit cognitum, nec arcanum. Subruenda Carthago est: urbs alia longe illinc ædificanda. Equidem exclamem, O monstra! Sed de civitate, quæ civibus, & hominibus constat, non de urbe, quæ in tectis, & parietibus est, Pœnis relinquenda libera promissum est. Sed iterum, O monstra, & portenta terrarum! An potuit de civitatis libertate intelligi pollicitatio, cum esset jam a bello primo Carthago civitas vobis stipendiaria, & serva? Sic vos appellabatis Hannibalem ipsum stipendiarium vestrum, & servum. Turpem verò captiunculam, vocularum nec certam distinctiunculam: quam nec admittere queant sine stomacho, qui a syllabis toti pendent, causidici. Quid recitem consulis orationem, hujus sceleris administri? qua deceptis Pœnis ruinam patriæ adprobare nititur, & novæ ædificationem urbis. Non est in parietibus respublica: est tamen in aris, & focis: [a] ut tu contra Pompejum dicebas Cicero: qui reliquerat urbem. [b] Ite Quirites, ite ad Camilli orationem: quæ vos in ruinis urbis vestræ, in ruderibus, in cineribus olim retinuit: & capedunculam istam vestram urbis, & civitatis turpem, nefariamque vobis ostendet. [c] *Si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus, quam mortis:* ait de Judæis Tacitus. Adeo nihil est solum patriæ? nihil ea terra, quam appellamus matrem? & assueta oculis regio? & cælum, sub quo sumus nati, & educati? Quid locus ille Carthaginis, ager, mare, loci genium? ubi parva exsulum manus duce fœmina, inter tot vetustos principatus, inter tot gentes validissimas ita crevit, ut jam columen omnium facile esset, & censeretur. Ergo æmula illa imperii vestri: quæ & vos bonos esse cogebat, aut simulare: illa deleta Carthago est. Hæc in meridie, Numantia ad occidentem Solem Romanæ improbitatis, & feritatis insignia monumenta. [d] Quid loca, quid urbes peccavere? Quod tu dicis crimen in illis?

a *Cic. 7. Att. 11.*
b *Liv. 5.*
c *Tacit. 5. histor.*
d *Ovid. Met. 10.*

CAP.

CAP. IX.

De Græcia, & Syria.

SEd quid factum in Oriente? Corinthus, totius Græciæ lumen eversa? [a] Et tu censes, M. Tulli, specie utilitatis in ea disturbanda, & evertenda peccatum. Nam historia clamitat, facinus indignum: quæ oppressa fuerit antè, quam in numerum certorum hostium referretur. [b] Illa commemorare non attinet, quæ Trogus, Pausanias, Polybius, & nemo non litteris tradidit, gesta a Romanis turpiter ad concilium dissolvendum Achajæ: unde Corinthus, & reliqua Græcia conflagravit. [c] Ita voluerunt & conjunctionem dissolvi Agrippæ, & aliorum in Syria regum: quod Josephus explanavit. Sane hoc vulgare, *Divide, & impera*, magistri omni arcani imperii non ignorarunt. Ceterum ad initia ire oportet, & causas decet intellexisse, cur Græciam Romani adeundam, armis Orientem aggrediendum existimarint. [d] Græcia petita a Philippo in servitutem, & Hannibal ab eodem adjutus pecuniis, auxiliisque, fecerunt eum regem hostem, & arma Romana in Græciam devocarunt. Ita apud Livium. [e] Sed ab aliis audio, cultumque Philippum a Romanis postea quoque, quam illa Hannibali præstita essent, & essent intellecta. [f] Ut, si dissimulatione, & tacito temporis aboletur injuria, cultu magis aboleatur. [g] *Si tu cum illo postea in gratiam rediisti: si domi illius aliquoties fuisti: si ille apud te post cœnavit: utrum te perfidiosum, an prævaricatorem existimari mavis?* ait Cicero contra illum, qui inimicitias sibi dicebat cum Verre: & hæc tamen amici cum Verre animi signa dederat. [h] Etiam dominus servitium recipiens a vasallo inimico, feloniam videtur remittere, & injuriam: ut sic loquuntur, & censent feudistæ. [i] Etiam qui omittit agere, ut sit gratior, non recte postea petet: ut divus Pius rescripsit. Perfidiosi igitur Romani. Attamen veteratores nobilissimi nunc non veteres obtendunt injurias, sed Græciæ libertatem unam. Ad quam videlicet defendendam rogatu accesserint Ætolorum. Quales socii! communes qui essent hostes omnium: rapacem semper, & ferinam ducerent vitam: nihil proprium cujusque, sed prædæ cuncta exposita deputa-

a *Cic. 3. de off. Flor. 2.*
b *Just. 34. Paus. 7.*
c *Joseph. 19. antiq.*
d *Liv. 45.*
e *Zonara.*
f *l. 11. de injur. l. 5. C. ex. Bal. l. 5. C. fa. erc.*
g *Cic. divin.*
h *Iser. c. 1. de feo. fi. cu. non am.*
i *l. 17. de usur.*

putarent: non pacis, non belli ullum obſervarent modum: ſacrilegi: Græcis omnibus deteſtabiles: ut hæc, aliaque ſcribit Polybius plura. Ad prædandam igitur, non ad ſervandam Græciam profecti ſunt: deducti a latronibus publicis: latrones ipſi, & latronum fautores certiſſimi. Numquid a ſociis conjectura potentiſſima non fuit ſemper? Et ipſos non audivimus, vidimus latronum filios? Et ipſos (Romanos dico) non latronum intelligimus tuitores? [a] At ſupereſt veſtigium legis duodecim tabulatum, quæ piraticas ſocietates adprobabat. [b] Exſtat Alexandri, & Demetrii regum exprobatio Romanorum latrociniorum, & Romanæ piraticæ. Hæc piratarum latrocinia: quæ graſſata maxime in Italia: [c] ut ait Plato. [d] Hæc tum Italia erat, Oenotria illa, Saturni latibulum, Evandri regnum. Caverunt ſibi Carthaginenſes adverſus ea: in legibus primi fœderis adſcribentes: ne Romani ultra promontorium Pulcri navigarent aut mercaturæ gratia, aut prædæ. [e] Quid ſenatuſconſultum, quo data ſenatoribus impunitas tanti criminis eſt? [f] Et Balearibus tamen propter hujuſmodi improbos paucos bellum inferunt. Propterea inferunt bellum Illyriis: cum horum tamen regina promitteret, effecturam ſe, ne qua a ſuis injuria publice Romanis inferretur. Nam de privatis ſpondere, aut præſtare quis poteſt? *Singuli nec nocent univerſitati*. Hoc ſub prætextu bellatum cum Hiſtris, cum Dalmatis, cum Liguribus, cum aliis ab urbe condita: a prædonibus iſtis ab urbe condita: nec odio latrociniorum, ſed quod ſoli eſſe latrones cuperent latrones in bello, latrones in pace: [g] Judicium in Ardeatium, & Aricinorum cauſſa an obſcurum? quo rem litigioſam neutri partium, ſed ſibi boni arbitri addixerunt. Judicium turpis in cauſſa Neapolitanorum, & Nolanorum ignoramus? [h] An mentitum te, Cicero, exiſtimemus: qui, piratarum fidem meliorem, quam ſenatus, aliquando facis? An illic, ubi piratas immunes, ſocios vectigales vobis narras? Audin', piratas immunes? Adjunge aliis teſtimonium. Audin', ſocios vectigales? Adde (quod nunc dicimus) ſpoliatos, nudatos. Quid mihi paucorum paupertatem, aut etiam integritatem obiicies; ſi opes aliorum immenſas, & privatorum, & publici cernimus? Non ego Verrem accuſo, ſed populum everriculum orbis. Ceterum a bellis, & ab Ætolis non diſcedamus. [i] His auxilia nec ſubmiſſa, at ſpeculatores rerum Macedonicarum im-

a *l. ult. de colleg. Bod. de rep. 6.*
b *Strab. 3.*
c *Pla. 6. de legi.*
d *Virg. 3. 8. Æn. & Strab. lib. 6.*
e *Dion. 49.*
f *Strab. 3.*
g *Dionyſ. Liv. 3. Val. 7. 6. 5.*
h *Cic. 3. de off.*
i *Pauſ. 7.*

immiſſos, Pauſanias notat. [a] Et itaque Ætolos defertos (Livii utor verbis) quibus voluit conditionibus ad petendam, & paciſcendam ſecum pacem Philippus ſubegit. Atque hoc tamen in partem peſſimam Romani capiunt: & Ætolis ſic iraſcuntur vehementiſſime. Quid autem? Exſcindi ſe, ſpectantes auxilia veſtra, veluti Saguntini, exſpectaſſent. Sic Saguntinis, ſic Mamertinis, ſic Ætolis; ſic aliis poſt colliſas omnium vires vos integri ſupervenire malebatis verſuti. [b] *Non defendi homines ſine vituperatione fortaſſe poſſunt, ſed defendi negligenter ſine ſcelere non poſſunt:* Cicero dixit. Quid igitur vobis hic eſt, qui Ætolos defendebatis & negligenter, & fraudolenter? Verum elegans eſt commentum alterum, quo in Ætolo ipſos moventur pro Acarnenſibus. [c] Nempe ſoli Acarnanes Ilium non profecti olim: & matrem illam Æneadum cum reliquis Græcis, & cum his ipſis Ætolis non oppugnarunt. Putabamus, Romanis ingeniis uſquam defuiſſe acumen? [d] Sic ſane Turca mirabatur, Italos pro Græcis ſtare, non potius ſecum ire [e] *ultum avas Trojæ, templa & temerata Minervæ.* [f] Atque tandem hos ipſos ſocios Ætolos: quorum inductu, opibusque vicerunt Macedoniam, ſuum ſub imperium cur redegerint, ſi quis de Romanis petat; reſponſum non accipiet magis, quam hoc ipſum interroganti alicubi Alexandro reſponderit Julius Cæſar. Ætolorum caſu oppreſſus Antiochus, & in regna Orientis penetratum eſt. Quæ quidem regna attrectarunt certe impudenter: ſi ([g] quod eſt in hiſtoriis) Judæis a rege ſuo deficientibus libertatem tribuerunt, fœderatos ſe adjunxerunt: libertatem (ait Trogus) facile largiti ſunt de alieno. [h] Videlicet hæc quoque ſpecies lucri eſt, utcumque inodori (nam furtum eſt) de alieno largiri: At his furibus omnibus, non uni eorum ſordido, bonus odor lucri ex re qualibet. Sic tenent Græciam. Quomodo inſula Græciæ? [i] Creta eſt Metelli præda perfidiæ, & ambitionis: & Cretici tamen cognomento inſigniti ad laudem poſteritatis: ad æmulationem Macedonici, Numidici, Dalmatici, Balearici, itidem Metellorum. *Fato Metelli Romæ fiunt conſules.* Sed Macedonicus factus: nec tamen cum juſto hoſte rem habuit in Macedonia. Factus Numidicus: cum ejus ſucceſſor provinciam illam vicerit, & Jugurtham regem. Factus Dalmaticus: de amicis, & hoſpitibus agens triumphum, & nomen referens quod Appianus ait. Factus Balearicus, factus Creticus: quemadmodum modo dice-

a *Liv.* 29.
b *Ammian.* 30.
c *Juſti.* 28.
d *Mont.* 2. eſſ. 36.
e *Virg.* 6.
f *Julia. Cæſ.*
g 1. *Macc.* 14. *Juſt.* 36.
h *l.* 54. *de fur.*
i *Dio.* 36. *Flor.* 3.

a *Amm.* 14. *Dio.* 38. *Cic. pro Sex. & Sex. Ruf. Flor.* 3.

b *l.* 4. *fam. ere.*

c *Zon. Liv.* 33.

d *Liv.* 42.

e *Dec.* 2. *conſ.* 32.

f *Thucyd.* 1.

g *l.* 7. *de divor.*

h *Cic.* 1. 2. *de off.*

i *Decian.* 2. *conſ.* 5.

dicebamus. O vanos, o iniquos! a Tenent Cyprum, Clodii quæſtum turpiſſimum, ab omnibus ſcriptoribus vituperatum: a Catone tamen illo ſanctiſſimo, an perinvito? itaque factum civitatis condemnante: ſed certe non ſine grandi nota avaritiæ intolerandæ confectum: ut qui etiam vencna vendiderit: b quæ perdi, volunt leges, & corrumpi protinus. Nunc de Antiocho abſolvamus. c Blanditi & huic ſunt muneribus, legationibus, dum ſimul timent a Philippo: inſultarunt mox: & nullam pacis, aut honeſtæ, aut tolerabilis, ſpem reliquerunt. Ita & cum Perſeo poſt: ita cum aliis egerunt omnibus. Ut, ſi quid ſecum non probe actum cauſſati ſemel potuerint, id alia tatione emendari paſſi ſint nunquam, quam adverſæ partis exſcidio ſupremo. Nam quod illud a Perſeo actum eſt, quod expiari non potuerit aliter, quam ſi ſe, regnumque ſuum, & ſua omnia dedidiſſet? Veſtris amicis injurius fuit? Immo his reſtitit, injuriam, & arma inferentibus. Qui veſtræ controverſiæ cardo eſt. Si enim vera Perſei eſt iſthæc defenſio, quam d Livius recitat: nihil attinet, de jure fœderis diſputare. Sed & fœdus amplexurum ſe Perſeus, quod contraxerat pater, jam ait: & jam ſic poteſt: e & in contractibus bonæ fidei (quales omnes ſunt principum) ſemper admitti debet purgatio moræ, quod omnes tradunt interpretes juris. Purgatio moræ fundata in æquitate eſt: & itaque Canonico jure, quod æquitatem reſpicit, ſemper admittitur: coram principe, qui æquitatem reſpicere habet vel maxime, admitti debet vel maxime. Sed ecce, etiam Perſeus, ſatisfacturum Romanis per omnia, etiam cum viciſſet nobili prælio, ſpondet ultro: nec auditur, niſi ſe dedat, & de ſumma rerum ſenatui liberum permittat de ſe, deque univerſa Macedonia ſtatuendi jus. f Sed hoc jus non eſt, ſumere bellum quaſi in injurium, qui jure agere, & ſatisfacere paratus eſt. Fœdus abrupit? Pœnituit. Vos igitur abrumpitis: qui pœnitentiam non admittitis. g Si pœnituit eum, qui libellum divortii dedit: at is, qui accepit, matrimonium ſolvere voluit: & per iſtum ſolvi matrimonium dicitur. Ecce pœnamque ſpondet Perſeus, non affert vobis pœnitentiam ſolam, h *Eſt autem ulciſcendi, & puniendi modus*. Haud autem ſcis, Cicero, an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere? i Ariſtoteles ait, & cum Ariſtotele interpretes juris, nihil errare judices, qui liberent reum usque adeo

emen-

emendatum; ut nihil præterea delinquere velit. An tu neſcis, M. Tulli? At ſcis tamen, & dicis ſatis. At etiam ſcribis rotunde, *Ulciſcamur eos, qui nocere nobis conati ſunt: tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitasque patiatur.* An ergo Perſei facinus tantum, quod dictam a vobis mereretur pœnam? [a] Juſtum eſt bellum pro rebus repetendis, ſed quoadulque ſit ſatisfactum. Vere hic, vere, quod ait Pindarus, [b] *Contentionem, ſuſceptam adverſus potentiores, deponere, difficile.* Etiam quid Antiochus tantum meruit mali, ut niſi maxima imperii parte ſpoliatus, ingenti ſtipendio oppreſſus, immani pecuniarum ſumma multatus, claſſe exſutus, elephantis privatus, pacem a vobis nequierit obtinere? O profundam imperii cupidinem, & divitiarum! Hæc una bellandi cauſſa dicta Salluſtio veſtro, an non de vobis? Hannibal certe, cum rex iſte ſplendidum belli in vos apparatum ſuum oſtentaret, ſatis, inquit, Romanis, etſi illi avari valde ſunt.

a *Cur. Caſtr. l. 4 de ju. & ju.*

b *Pind. Olymp. 10.*

CAP. X.

De Mithridate, & Hannibale.

SUpereſt Mithridates. Hunc artibus conſuetis circumventum a Romanis, liquet. [c] Nam ſcimus, inſtigatum Nicomedem, qui fines Mithridatis infeſtaret: & vinceretur: itaque pro victo ſocio bellum ipſi ſuſciperent, & vincerent victorem regem. Hoc iſtorum inſtitutum perpetuum, tentare per alios prius, quem ipſi aggredi conſtituerent: ejus vires imminuere, certe intelligere, & artes cognoſcere in re præſenti, & in ipſo experimento, non per conjecturas, & ambages, quæ fallerent. [d] At juſtitiæ colorandæ & illud Jaſonis Theſſali didicere, *Opus eſſe, ut jure facere injuriam poſſis, alium tibi fuiſſe injurium prius.* Atque hoc aliud Romanæ dominationis arcanum fuit: ut tenderent amicitias late, & acciperent in ſocietatem plurimos: non ideo ut amicos, ſociosque defenderent, & ornarent: ſed ut illorum occaſione alios opprimere poſſent, qui ſociis ſuis, & amicis moleſti eſſe viderentur. *Noſter populus ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt:* ut erat Ciceronis teſtimonium. Atque ut hoc eſt defendere, ſi evertas omnes, & cuncta rapias ad te unum. Hoc eſt patrocinium,

c *App. Mithrid.*

d *Ariſt. 1. rhet.*

nium, [a] quod itidem Cicero jactat, orbis terræ, ſi orbem terræ exſuas libertate, dominationi tuæ ſubiicias. Sic ſane, ſic fuit illa ſociorum defenſio, quemadmodum & Cæſar conteſtatur, [b] *Majores noſtri tantam urbem noſtram fecerunt, cum ſuas fortunas, tamquam, alienam poſſeſſionem ſemper periculis objecerunt: aliorum autem ditionem, tamquam pertinentem ad ſe haud cunctanter ſuam facerent.* Itaque vicerint Mithridatem: & regna illius ſua fecerint. [c] Vicerint Mithridatem? *Pompejus per ambages, & moras fregerit invictum*: ut ſic Ammianus. Vicerint Mithridatem, *omnium ſui juris regum ultimum: bello acerrimum, virtute eximium aliquando fortuna, ſemper animo maximum*: ut ſic eſt Paterculi teſtimonium. Ego tamen quid dico victum? Etiam hic parricidas Romanos defero. [d] Aut ſi filio Pharnaci auctores parricidii non fuere: ei cur in parricidii præmium tribuere regnum paternum? cur ſociis, & amicis parricidam adſcribunt? [e] *Cæſaris injuſſu cæcidit Farneſius heros, at data ſunt juſſu præmia ſicariis*: cecinit ille in Carolum V. qui ſuo cæſum juſſu negabat Farneſium, Parmæ ducem: ſed, præmia ſicariis a ſedata, negare non poterat. O mendax carmen, [f] *Romani ſcelerum ſemper ſprevere miniſtros.* [g] Proditori arcis Artenæ, præter libertatem, an non etiam duarum familiarum bona in præmium data? [h] Demetrio proditori Illyriorum non præmia contributa? [i] Papirius Curſor (laudatos laudo? non corrupit Tarentinum legatum: qui arcem ſibi proderet? [k] Quid dicam Metelli, illius Numidici, plura ejuſcemodi tentamenta? [l] Ipſe Bocchus non ſocius populi Romani dictus, ac multa Numidiæ parte donatus: quia Jugurtham prodidit ſocerum parricida? O ſolentiſſimum uſque a patre Romulo Romanorum crimen. At pergo, Magni Pompeii os illud accuſare probum, cetera non probum. [m] Albanos, & cognatos, & pactis ſecuros, opprimit. [n] *Albani, memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeii fratres ſalutavere*, Perfidus Phraati eſt. Antiochum ſpoliat regno Syriæ, inermem, & nunquam de populo Romano meritum male, prætextu inepto. Hujus eſt probi oris vox illa improbiſſima, *Armatus ut leges cogitem?* Et propter hæc, quæ ad animum ſuorum pertinebant, dictus iſte Magnus? Aut adulati ſic ſunt homini: qui longe inferior prioribus ducibus? ſic ajunt. Sed & Pompejum mitto. Et quemadmodum rapior huc, illuc Romanorum ſceleribus plurimis, ita & feror oratione,

a *Cic. 2. de off.*
b *Dio. 38.*
c *Pater. 2.*
d *Dio. 37. App. Mithr.*
e *Nat. Co. 3.*
f *Claud.*
g *Liv. 4.*
h *App. Illyr.*
i *Front. 3.*
k *Salluſt. Jugur.*
l *Sigo. 1. de an. ju. pr. 17.*
m *Dio. 37. App. Syr.*
n *Juſtin. 42.*
o *Julia. Cæſ.*

ne, nec ſatis cum certo ordine. Ecce vobis Mithridates, eximius ille, & acerrimus, & maximus, parricidio Romanorum in Septentrione extinctus: & ad eam partem terrarum, quæ ſupereſſe videbatur incontaminata, ſcelerum Romanorum monumentum jacet. [a] Neſcis, Viriatum in Hiſpania? Non diximus; Jugurtham in Africa? Hannibalem apud ſuos in Africa, apud alios in Aſia, & Europa turpibus petitum dolis Romanorum, ignorat nemo. Equidem audio nunquam Hannibalis vocem illam ſupremam, [b] *Liberemus diuturna cura populum Romanum: quando mortem ſenis exſpectare longum cenſent: & legatum conſularem, qui auctor eſſet Pruſiæ per ſcelus occidendi hoſpitis, miſerunt:* hanc ego Hannibalis orationem nunquam memini, quin ad immanitatem, & turpitudinem Romanam non cohorreſcam. [c] Nobiliſſimum illum ducem: cujus parem ſol hactenus non aſpexit: qui magis noluit, quam nequiit, Romanos vincere; aut potuerit vincere, niſi domi civium ſuorum invidia debilitatus fuiſſet: qui Romanos in Italia vicit ſemper: & poſt Cannenſem pugnam caſtra in campo contraria non invenit: callidiſſimo etiam verba dedit Fabio: & invictus defenſum patriam revocatus eſt. Ut hæc Cornelius Nepos. Hunc ducem dum crudelitatis, impietatis, perfidiæ video accuſari a Romanis teſtibus, non commovear vehementer? Ecquæ tu crudelia, Livi, impia, perfida Hannibalis recenſere potes? [d] *Juſſit, puberes Sagunti omnes occidi: crudele, ceterum & neceſſarium*, ais tu: & juſtum ego ex jure belli defendo: adeoque nec fuiſſe crudele. Quid Romani tui? [e] *Aennam aut malo, aut neceſſario facinore retentam*, ſcribis a tuis, & exſecrabile facinus nec a Marcello improbatum. [f] Quid in eadem Hiſpania cum Numantinis egit Africanus? Fame eos confecit, morte longe ſæviſſima: dum conditionibus nullis eos excipit, vere crudelis: nec armis ſperat urbe potiri, pro timido ſapiens nuncupatus. An conditiones Hannibal nullas Saguntinis tulit? Ubi crudelitas? An non capit vi Saguntinos, & per virtutem? Quid in bello iſto cum Hannibale Maximus ille, unus qui cunctando vobis reſtituit rem? Proditione Brutiorum Tarentum recepit: ſed, ad hanc proditionis famam exſtinguendam, ante omnes trucidari Brutios imperavit. Cæſi & Tarentini plurimi, & venditi reliqui ſub haſta ſunt. Is perfidus: is crudelis. [g] Et vero ſic traditur perfidiæ, & crudelitatis aſperſus nota. Numquid tamen ſingula me-

a *Juſti.* 31.

b *Liv.* 39.

c *Cor. Ne. Ann. Plut. de for. Ro. App. Ann. Juſti.* 38.

d *Liv.* 21.

e *Liv.* 34.

f *App.* 4. *civili.*

g *Plut. Fab.*

morem ſingulorum? [a] Romani non modo homines quoſvis in captis civitatibus obvios cædere, ſed & canes diſſecare, & alia animalia membratim truncare ſoliti. Adde alia Hannibalis, Livi. *Vicuvias, tamquam vi captas, non deditas, diripiendas tradidit.* Sed non me dies deficeret, ſi talia laudatiſſimorum Romanorum exponere velim? [b] Quid enim de Pomœtia ſcribis tu actum a tuis? *Nihilominus fœde actum cum ea dedita, quam ſi capta foret: principes ſecuri percuſſi, alii venditi, urbs diruta.* [c] Quid unus ille in optimis optimatum Æmilius, immo quid ſenatus cum urbibus Epiri egit ſeptuaginta? Sub amicitiæ ſpecie eas ingreſſus, dolo malo, pejori perfidia, mendaciis turpiſſimis, diripit, & ſubvertit, & millia capitum centum quinquaginta rapit in ſervitutem. Non recito, quæ ſunt innumera. Sed an Vicuvias tu non vi captas exiſtimas? ad quas in eruptionibus pugnatum: ductus exercitus victor duorum conſulum eſt. Num cenſes, agi tamquam cum deditis oportere ſemper, ubi ſe dedant aliqui, etſi iſti jam, jam capti forent? Quid igitur prohibet, quominus vi capiatur nemo? Sed Livi, perge. [d] *Maharbal fidem dat dedentibus ſe, abituros incolumes Hannibal (quæ Punica fides) in vincula omnes conjecit.* Et judicas igitur, injuſſu majoris ducis poſſe minores paciſci pacta iſthæc cum hoſtibus? [e] Eccur igitur Maſiniſſæ pacta cum Sophonisba ſibi Scipio ſervanda non ducit? Quanti res muliercula una, ut de ea rex Maſiniſſa paciſci nequierit? nihili vero tot illi milites, de quibus paciſci Maharbal quierit? Aberras, Livi, a jure. [f] Hoc dicebat Hannibal, quod eſt juris, Maharbalem ſuo injuſſu pactum facere non potuiſſe. Et illos captivos tamen dimittit Hannibal mox, puſillo neſcio quo adjecto ad conditiones liberationis. Sapienter: ne videri poſſet, crudelitate, avaritiaque magis, quam tuendi cauſſa juris imperatorii, irritam feciſſe Maharbalis pactionem. Nunc loquatur Livius: ſi plura habet. [g] *Hannibal, quas tueri urbes nequit, ſpoliat, ut vaſtata hoſti relinqueret: præceps in avaritiam & crudelitatem animus.* Hoc videlicet ejus hiſtorici magni imperitiæ juris bellici teſtimonium magnum eſt. Num eſt injuſtum perdere hoſtilia, & hoſtibus incommodare? [h] Fruges, loca alia, quæ defendi nequeunt noſtra, perdi licite poſſunt, & quotidie ſolent. [i] Politorium tui diruunt Romani, ut tu ſcribis, ne hoſtibus foret re-

a *Vopiſ. Aurelia. Polyb.* 10.

b *Liv.* 2.

c *Plut. Æmi.*

d *Liv.* 22.

e *Liv.* 30.

f *App. Aun.*

g *Liv.* 26.

h *Bal. l.* 3. *de di. re.* → 2

i *Liv.* 1.

ce-

ceptaculum. Et hæc ſunt omnia, quæ narrare contra Hannibalem potuiſti? [a] Ejus ſingularem humanitatem, & benignitatem cum captis ad Trebiam, ad Thraſymenum, ad Cannas notaſti tamen. Fidem erga præſidium Caſilini aſſeruiſti. Pietatem in Gracchi, Æmilii, Marcelli exſequiis ſuſpexiſti. [b] De qua alii, & poetæ expoſuere magnifica: *credas, Sidonium cecidiſſe ducem*. [c] Etiam Flaminii corpus, ut funeraret, decoraretque virtutis cauſſa, quæſivit magna cum cura. [d] Aut quæ illa hujus inviſi ducis vox ad Cannas, *Parce ferro*, ſuos a cædibus revocantis? Quid jam poſt hæc omnia Romani? [e] Sæviunt in cadaver Asdrubalis: cujus præciſum caput ante Punica caſtra, & ante Hannibalis fratris oculos abjecerunt: itaque humanitati, & pietati Hannibalis gratias retulerunt. Itane barbari? Iſta aut belli jura ſunt in hoſtes cæſos? Aut hoſtes jam ſunt, qui cæſi ſunt? *Neque enim finito Marte vocandus hoſtis eſt*. Itane belli jura cum captivis Pœnis? [f] *ne minus decem pondo compedibus vincti in carceris publici cuſtodia eſſent*. Sic, ſic Romani: [g] *civitas minime in captivos jam inde antiquitus indulgens*. Quo me tamen juſta illa indignatio, & juſta hæc Hannibalis defenſio traxit? De Mithridate erat oratio? Qui per dolos, & injuſtitiam Romanorum tractus in bellum: & eodem modo doloſe, injuſte extinctus eſt. Primum, & poſtremum dixi: de quibus medium, tempus annorum ejus belli ſex & quadraginta, tacite cenſeamus. Quis Murenæ improbitatem abominetur ſatis? [h] Bellum a Sylla compoſitum ſuſcitat per ſuam triumphi neſcis cujus cupidinem. Et fœdera ei cum objectarentur, hæc negat impudens: videlicet quia non perſcripſerat ea, contentus exſecutione pactorum, Sylla. Rex legatos uſque mittit Romam: ubi Syllaque cenſet indignum, infeſtari fœderatum Mithridatem bello. Et egregius quidem ſenatus palam jubet, deſiſtere a bello Murenam: clam autem contraria monet. [i] *Nullus clam facit, niſi ſciat illicitum. Qui male agit, odit lucem*. Specta regis fortiſſimi patientiam, & æquanimitatem: qui interim dum agit rem per legatos Romæ: non Murenæ deprædanti omnia, etiam ſacra, occurrit: at reditum legatorum quietus exſpectat. Eadem & uſus patientia primum, ante quam contra Nicomedem, & Ariobarzanem, illos emiſſitios, commoveretur. Neque tamen adnotabo ſingula: & quod feci in tota hac mea defenſione orbis, id hic quoque teneo: ut pauca de plu-

a *Liv.* 22. 23.
b *Val.* 5. c. 2. *Sil.* 10. 25.
c *Plut. Fab.*
d *Liv.* 2. *Jor. de re. ſucc.*
e *Liv.* 27.
f *Liv.* 32.
g *Liv.* 23.
h *App. Mith.*
i *Serv.* 1. *Æneid.*

a *App. Mith.* plurimis aperiam Romanorum facinora. [a] Ergo tentatus Mithridates insidiis per hospitem Attilium: tentatus per Archelaum ducem: quem Sylla, gnarus bene gestæ rei contra Jugurtam, ad
b *Liv.* 50. proditionem sollicitavit. [b] Etiam Africanus ducem Carthaginensium sollicitarat. Sed Mithridates parricida tandem confectus, ut
c *Manut. agr.* 2. dixi, manu. [c] Magnus ille etiam Hiempsalem armavit contra patrem: etiam & ornavit eum regno paterno parricidam. Idem
d *Flor.* 3. nunc agit cum Mithridate. [d] Atque Mithridates rex exstinctus totum Septentrionem ruina sua involuit. Hæc autem juventus dicitur ejus populi: cum prolata arma sunt extra Italiam, perque omnes partes orbis circumlata terrarum.

CAP. XI.

De Cæsaribus.

VIdimus Romulos in infantia, & reges reliquos. Vidimus in adolescentia Brutos, Scævolas, Camillos, Postumios. Vidimus in juventute Fabios, Africanos, Catones, Martios, Metellos, Claudios, Magnos. Vidimus hæc urbis lumina, & urbem totam. Et pervenimus jam ad Cæsares; quibus quasi filiis
e *Amm. lib.* 14. tradidit se Roma in senectute, [e] ut loquitur Ammianus. De Cæsaribus autem quid dicemus? An filii meliores, quam parentes fuerunt, aut quam ipsa exstitit mater? Progenies patribus
f *Gen.* 5. *nat.* 5. vitiosior, [f] An expedierit, nec ne nasci Julium, quæstio est. [g]
g *Dio.* 37. 38. 40. *Suet.* 7. *Plut. apopb. reg. & du.* Hic vir, hic est, qui prætor turbavit quiescentem Hispaniam, & a bello in bellum rapuit: qui Galliam quietissimam proconsul commovit, & afflixit totam: qui adiit Britanniam istam sepositam: & magnam Germaniam attentavit. Et profunda illa imperii cupido motuum causa tantorum: quæ & ad lacrymas adegit hominem: cum Gadibus statuam Alexandri vidisset: simul & meminisset, se nihil ea ætate magnum egisse, in qua Asiam
h *Suet.* 24. *in Jul. Plut. Cæs.* Alexander domuerit universam. [h] *Sic belli occasione, ne injusti quidem abstinuit, tam fœderatis, quam infestis gentibus ultro lacessitis.* Sic M. Cato, dedendum his gentibus auctorem hunc Cæsarum, censuit, iniqua inferentem bella. Sed te, Cato, non audivit pulchra Roma; non purpurea secuta est curia, *prospere decedentibus rebus*: ut ait historia. Quamquam & solens Roma,

agi

agi cum Gallis improbe. Meminiſtis, nec deditum Fabium Gallis, violatorem juris gentium ſanctioris. Meminiſtis perfidum Domitii factum cum Aruernorum rege: quod nec reſcidit, ſed adfirmavit ſenatus. Meminiſtis alia. Non geſſit alia Julius occupata republica: & illico periit. Filius Auguſtus movit Cantabris bellum. [a] Nam angebatur, non eſſe ſuum in Hiſpania illud Cantabriæ terræ perpuſillum. Movit bellum Pannoniis: ut arma exerceret Romana: quod antea dictum eſt. Cicero, quid ille Brutus in bellorum cauſſis dedit ſymbolæ? [b] *Progreſſus ſum ad inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus ſatisfacere*. Ceterum quæ privatæ horum, & Cæſarum filiorum cupiditates nunc dici valent, eæ matri venerandæ non adſcribantur. Et ipſos quoque quid inſecter oratione Cæſares? Quid Julium, ceteroſque vincam tyrannos? in quo nomine uno ſcelera omnia concluduntur. Ille Julius Nicomedis ſponda. Patrui Auguſtus ſponda. Nequam Tyberius. Furioſus Cajus. Stolidus Claudius. Parricida Nero. Spurcus Galba. Luxurioſus Otho. Lurco Vitellius. Sordidus Veſpaſianus. Hypocrita Titus. Sanguinarius Domitianus. [c] Corruptor adoleſcentis principis Nerva: ipſe nullus. Vinolentus Trajanus: herba parietaria: infamis flagitii compertiſſimus. Adi mihi unum Suetonium: qui licentia pari Cæſarum ſcripſit vitas, atque illi egerunt. Et ſub iſtis principibus regna titulo (ut volunt) juſtiſſimo quæſita plurima per teſtamenta. De quibus ſcilicet abjecti heredes fuere naturales: quorum jus non a voluntate regis, ſive morientis, ſive deſipientis, ſed ab immutabili ſucceſſione, aut a certo pendet conſenſu populorum. Quis Aſiam vobis reliquit. [d] Ille parricida ſceleſtæ rabiei: qui, mox pœnas pendens manibus interfectorum, non aliquod ſignum ſani hominis habuit. Adi Trogum. Sed neque ſapientiſſimi hæc eſt facultas. Quod, quod enim in regnum eſt jus, id cum regis vita protinus finit. [e] Ampliſſima papæ Romani poteſtas limitibus vitæ continetur. [f] Feudum, quæſitum deſcendentibus ex inveſtitura, nequit poſt mutari pacto aſcendentium, etiam ſi ipſeque velit feudi dominus. [g] *Habeat*, inquiebat rex Gallus, *regnum Carolus, Balbi filius: a quo amovere orbis terrarum nequit univerſus*. [h] Inquit Baldus, *Regnum quis, velit, nolit, tranſmittit ex majeſtate radicis: quæ ſemper radicat*. Non eſt, ſane non eſt lex ulla, aut ratio, quæ principi

a *Oroſ. 6. c. 21.*

b *Cic. 11. fam.*

c *Suet. Dom. 1. P. Dia. Eu. 12. Amm. 27.*

d *Juſtin. 36.*

e *Alc. 4. conſ. 2.*

f *Alc. 9. conſ. 17.*

g *P. Æm. l. 9.*

h *Bal. 2. conſ. 275.*

pi de imperio faciat poteſtatem teſtandi: ut privato de rebus privatis facit. Quod ſi etiam dari teſtamento regnum poteſt, cur non etiam contractu? cur non donari? vendi? & veluti venalia pecora haberi homines? [a] Subditi non ejuſmodi ſunt liberæ voluntati, ſed ut regantur commodius. Abſolvo Cæſares. [b] Occiditur Julius. Veneficio uxoris perit Auguſtus. Strangulatur Tyberius. Interficitur Cajus. Veneno Claudius tollitur ab uxore. Nero ſui carniſex. Trucidatur Galba. Otho jugulum aperit ſibi. Vitellium & cum ludibriis tollunt. Veſpaſiano mors a Tito filio. Tito mors eſt a fratre. Domitianus gladio occumbit. Trajanus ab uxore conficitur, & a filio. Nullus Nerva nullus obiit. Hi ſancti principes: ille populus ſanctus: atque iſta Palatinæ urbis virtus: cui parere orbis terrarum debuerit univerſus.

a *Alc. 5. conſ. 23.*

b *Xiph. Cedr. Philoſtr. 6. vi. Ap.*

CAP. XII.

De Romanis, & Alexandro.

AT fortuna factum Romanum imperium, Plutarchus diſſeruit. Fortuna muliebris ſervavit a Volſcis urbem: & illi muliebri poſitum templum fuit. Anſer a Gallis ſervavit urbem. *Romulidarum arcis ſervator candidus anſer:* Lucretius *Mira fortunæ, viros, qui univerſum orbem erant miſſuri ſub jugum, avis una ſervavit*: Vegetius. [c] Et itaque prima cenſoris cura, locare illis avibus victum in Capitolio: quod Plinius narrat: & quis non? Quid, quod refert urbis augmentum Auguſtinus in ſacram quamdam occaſionem? Putat, Babylonem in Occidente quoque eſſe oportuiſſe. Quæ hæc fuerit urbs ampliſſima, plena confuſionum, atque blaſphemiarum, Audiſtin' qui in Babyloniæ campis minitatus cælo eſt? [d] Audi Cæſarem ferocientem, *Decem habere legiones populum Romanum, quæ etiam cælum diruere poſſent.* [e] Audi Proſperum, *Qnis non intelligat, quam dicat apocalypſis ferentem poculum plenum exſecrationibus immundiciæ, & fornicationis terræ? æterna cum dicitur, quæ temporalis eſt, utique nomen eſt blaſphemiæ.* Urbs æterna ſic audiit Roma apud Ammianum, & alios. In hæc tamen myſta non penetro: at de virtute exputo. Differit idem graviſſimus auctor Plutarchus de Alexandri virtute. [f] Cui Livius dictam virtutem Romanam, late ſecedens a

c *Cic. pro Ro. Amm. Plut. pr. R. 98.*

d *Hier. Iliſp.*

e *Proſp. di. te. c. 7.*

f *Liv. 9.*

fuo

ſuo opere, præponere non veretur. Ita cæcus ubique ab amore ſuorum eſt. Et ſuis illis Corvinis, Torquatis, Deciis, Papiriis non fuiſſe in Alexandri exercitu, qui obiicerentur, dememinit, Ptolomæos, Lyſimachos, Seleucos, Antigonos, Antiochos, Eumenes, alios plures, viros regales, & quos regno Alexandri non indignos, qui nec Alexandri virtutibus inferiores fuiſſent, veterum ſententiæ ſingulos cenſuerunt. Sed & qui illi Corvini? Quibus item avis & victorias dedit, & nomina. Qui Torquati? ſtolidi viri: feræ immanes. Qui Decii? Præſtigiatores, & necromantici. [a] *Incurrite mecum, & proſternite humo juvenem magica arma moventem*. Nos contra Decium utrumque, quam ille dixerit contra Perſeum, dicimus juſtius. Qui Papirii? Reſpondeo, ſupra reſponſum eſſe. Hæ ſunt illorum virtutes, qui ſenes, pueri occurrere Alexandro, & ſtorentibus Macedoniæ viris habuerunt. Hic ille ſenatus Romanus, qui ſedens intra pomœrium urbis gerere bellum habuit cum Alexandro, & ſenatu ejus regis, in caſtris, in aciebus agente. Ego tamen quid abeo in diſputationem novam, qui propoſitam actionem ferme abſolui? Pareſne Alexandro fuiſſent iſti, [b] qui Alexandrum, in alio propemodum orbe verſantem, venerati legationibus ſunt? Et illic veriti ſunt Alexandrum. [c] Tu enim ais, M. Tulli, nomen ipſum legationis ultro miſſæ ſignum eſſe timoris videri. Aut quid vobis erat & Alexandro? Ubi factum non habet niſi cauſſam unam, factum ex ea cauſſa credere neceſſe eſt. Vel timuiſtis poſtea Philippum, & Antiochum, regulos, ſi conferas Alexandro, at Alexandrum non timuiſtis? Vos pares Alexandro? qui Pyrrho (quantulus & iſte rex, Alexandro admotus, & regnis, & exercitibus Macedoniæ?) Pyrrho ita conceſſeratis: [d] ut veſter cæcus optaret ſe ſurdumque, ut quemadmodum ora intueri veſtra pallentia, frigidaque non poterat, & reliqua timoris ſigna certa, ita nec audire conſilia abjecta, & complorata valeret. Iſthæc ſollemnia vobis, pavere, & deſperare. [e] Et ſic veſtra illa erant tacita ſenatuſconſulta: cum vis ab hoſte immineret, quæ vos cogeret vilia (ut dico) captare conſilia. Hannibal unus, civium ſuorum odiis jactatus, fortuna civitatis ſuæ deſtitutus, barbaro Hiſpanorum exercitu ſtipatus malefido, victor per magna prælia inſultavit portis urbis, & Italiam annos ſexdecim inſedit: de qua nec ductus, niſi juvenis unius fortu-

a *Ovid. 7. Metam.*

b *Pli. 3. c. 5.*

c *Cic. phi. 5.*

d *Plu. in vit. Pyrrh. Val. 8. c. 3. l. 2. de orig. ju. l. 1. de Poſtu.*

e *Capitol. Gord.*

a *Spar. Nigr.* na: [a] ut ſic Scipionem acres judicio viri fortunatum utrumque, magis quam fortem, viri in populo veſtro principes cenſuerunt. An vero defuiſſet fortuna Alexandro: quem dicitis fortunatum omnes? cujus virtuti comitem fortunam dixiſſetis æquius: aut etiam ancillantem, cum Plutarcho verius. Non Macedonum odia potuiſtis ſperare, non infidelitatem. Aſpicite, ſi quando verſatur in periculo Alexander, quemadmodum pro ſalute illius commoveantur; ruant in ferrum, penetrent arces, & limina pervadant inacceſſa. Aſpicite, ſi quando illis ſubiratus fuit, quemadmodum jacent in luctu, vivere nolunt; & vitam tum demum, ac Solem putant redditum ſibi, cum ſibi propitius redditus eſt Alexander. Nam quid attinet hic enarrare, quomodo fracti, laceri, confecti ſenio ſecuti eum ſint per tot annos continuos, per tot ferociſſimas nationes, per loca fera, per diſcrimina rerum omnium, per infinitam viam? Quid mœrorem, ſqualorem, prope mortem omnium in ipſius unius morte? Aut quid eſt, cur cauſſa tanti amoris, tantæ fidei indagetur, ſi fides cernitur, & amor? Etiam ille exercitus veteranorum erat (& hoc nota) b *Diod. Sic. 17. Juſt. 6. 7.* Philippi patris, regis ſapientiſſimi, exercitatiſſimi, [b] diſcipuli Pelopidæ, & Epaminondæ. Sic Alexandrum colebant natum ſibi regem, diligebant veluti filium, amplexabantur alumnum. Non ſperare cum Alexandro licebat, non illa, quæ vos Hannibali ſubduxerunt. c *Polyb. 11.* [c] Etiam ſcriptum eſt a Polybio, quod ſi Hannibal, omiſſis Romanis, intuliſſet primum bella aliis gentibus, utique vincere potuiſſet omnes: &, victis reliquis, vincere etiam Romanos potuiſſet. Et hoc igitur Alexander, ſubacta plurima Africa, univerſa Aſia, cum tantis Europæ opibus, Macedoniæ, Græciæ, Thraciæ, Illyrii, non effeciſſet? d *Liv. 35.* [d] Quem unum juvenem regem Hannibal ſibi, & Pyrrho, & omnibus in re militari, & in arte imperatoria præferebat. Merito. e *Apul. 1. flor.* [e] Audi de Alexandro virum ſapientem: hoc eſt, loquentem decenter, non indulgentem affectibus: *Solus a condito ævo fortuna ſua major: ſucceſſus ampliſſimos & provocavit ut ſtrenuus, & æquiparavit ut meritus, & ſuperavit ut melior: ſolus ſine æmulo clarus: adeo ut nemo ejus audeat vel ſperare virtutem, vel optare fortunam. Alexandri facinora fatigaberis admirando*: & cetera: quæ Apulejus habet. Sed illic ridendum utique fuit: ubi Livius terrere vanis etiam imaginibus pectus cogitat Alexandri. Saltus Apu-

Apuliæ, Lucanos montes, veſtigia recentia domeſticæ cladis oſtendit. Et ſuavis ſane ſonus illorum verborum eſt Livii: & de quo dulcis neſcio quis error accidere ad aures poteſt, ſed qui tamen non pertingat, pertentetve pectora, non pectus illud Alexandri ullo motu. Nam quid aliud oſtendit Livius tandem, aut quid inſinuat Alexandro, niſi ut caveret inſidias Lucanorum: [a] quibus & Romanus proconſul abſumtus eſt? Caveret ſicariorum perfidiam: [b] qua ille avunculus Alexandri occubuit: poſtquam Brutias ſæpe, Lucanaſque legiones fudiſſet: Heracleam Tarentinis, Brutiis Acerras, plures Lucanis, alias Meſſapiis cepiſſet validas urbes nobiliſſimas: poſtquam & trecentas illuſtres familias, quas obſidum numero haberet, in Epyrum miſiſſet. Quid facies Romanis ſcriptoribus? Terreri illis inanibus Alexandrum potuiſſe volunt. Sed & conjuratione neſcio qua populorum terreri potuiſſe volunt. Et putant conjurare etiam potuiſſe Samnites? Hi autem ſi Alexandro ſe conjunxiſſent, ſervare ſalus Romanos valuit? Conjuraſſent certe contra Romanos: contra quos concitarunt genus omne virorum, & barbarorum genus omne: a quibus ſpoliatos ſe perfide Italiæ principatu, traductos in ſervitutem injuſtiſſimam fremuerunt ad ultimum vitæ ſemper. Objectat ſocios Pœnos contra communem hunc hoſtem: & Pœnis fidit, contra quam ſolet: & Pœnis fidit. [c] qui Tyriis parentibus auxilium contra iſtum Alexandrum non attulere. Et Pœno fidit militi mercenario adverſus proprium, veteranum Macedonem. Levia hæc in conjurationibus iſtis. Leviſſimum illud, Alexandrum ne fama quidem fuiſſe Romanis notum: quem a fronte, a tergo, ſupra, infra, longe, prope ipſis omnes obſtupeſcebant, & magno cultu proſequebantur. Illud falſiſſimum, Romanos nunquam ab equite hoſte, nunquam a pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis, nunquam iniquis locis adverſus Macedones laboraſſe. [d] Etiam Livius ſcribit, victos Romanos a Perſeo aperta acie: & ita quidem, ut pavorque occuparit eos, ne extemplo caſtra hoſtis aggrederetur: & (quod addit) ſi rex parvo momento adjuviſſet vincentes ſuos, debellatum fuiſſet. Hic autem ſibi defuiſſet vis illa Alexandri propria: quam aut ſtimulabat ſibi Perſeus fruſtra, aut ſimulabat inepte. Hic exercitui dux defuiſſet? [e] Tu idem hoc notas, Livi, ducibus validiorem, quam milite rem Romanam fuiſſe. Vere. Nam unus vos veſter

a *Sil.12.Val. l.c.6.*

b *Liv.8.*

c *Juſt.11.*

d *Liv.42. Plut. apop. reg. & duc.*

e *Liv.2.*

afflixit Coriolanus: unus vobis rem perdidit abſens, & reddidit præſens Camillus: unus homo vobis cunctando reſtituit rem perditam Fabius. Etiam Alexandri ſucceſſores ſpernis, Livi? etiam Pyrrhum? [a] etiam illa Ciceronis non legiſti? *ex veterum rerum monumentis, vel maximum bellum populum Romanum cum Antiocho geſſiſſe, video.* [b] Quanta Romanis negotia exhibuerint gentes iſtæ, tibi (Livi) contemtæ, etiam Cappadoces, priuſquam in illorum ditionem redigerentur, non ignorant veteris eruditionis ſtudioſi. Quod tibi magnus dicit Juſtinianus. Nec tu ignorabas ineruditus, ſed obſcurabas malevolus. Arma, artem militarem, diſciplinam eorum temporum etiam jactitas, Livi, Romanorum? Neſcio, ſi feceris merito in comparatione Volſcorum, Hernicorum, Æquorum, Samnitium: quibuſcum Romani per illa tempora præliabantur. [c] Nam verutum a Volſcis, ſcutum a Samnitibus, alia ab aliis arma, & a Græcis, Gallis, Hiſpanis, Afris, inſtrumenta bellica, machinas poſt didicerunt. Neque Romana militia ſimul nata, ſimul perfecta eſt. A Pyrrho alia, & rationem caſtrorum, rem Romanam firmiſſimam, acceperunt. Cedite Romani ſcriptores, cedite. Non ſunt Romani Alexandro pares. [d] Etiamne audetis conferre Germanicum? [e] Quem, ut laudetis certatim omnes, ignaviæ tamen nota non exemiſtis. At Alexandri ebrietatem, crudelitatem acculatis, alia, quæ in ducibus veſtris vidiſtis: [f] & a quibus alii item veſtri ſcriptores liberant Alexandrum. Etiam amatorias voluptates obiicitis? [g] Sed, his alienum Alexandrum fuiſſe, magis convenit: & ratio quoque dicitur, ſi vino deditus fuit, ut in rebus eſſe Veneris non valuerit. Conſule magiſtros naturæ. Amat captivam Alexander. Quidni, juvenis? Sed & matrimonii contrahendi ſuſtinet moram probus, & contumeliam non infert juſtus captivæ. Securus ab hac parte Alexander. Diſcipulus ille Ariſtotelis pulchras mulieres Perſicas, reginam pulcherrimam intueri coram non timet. Tuus ille major Africanus, Tite, contueri Hiſpanam veretur: vitæ ſuæ anteactæ conſcius, & libidinis: de qua nec tacuit fama, nec poeſis. [h] Quid, quod Antias Valerius, eorum temporum ſcriptor, non redditam patri Hiſpanam, ſed retentam, atque in deliciis, & amoribus a Scipione uſurpatam, ſcribit? Tu Livio credes? [i] Tu credes Maximo Valerio: qui aſſentitur de vita Scipionis ſolutiori in adoleſcentia: & addit, citra luxuriæ crimen

[a] *Cic. pro Mur.*
[b] *Nov. 30.*
[c] *Virg. 2. Geor. Athe. 4. 9. Sym. 3. ep. 11. Val. 2. c. 3. Fro. 4. c. 1.*
[d] *Tac. 2. ann.*
[e] *Paterc. 2.*
[f] *Lampr. Alex.*
[g] *Plut. 1. Symp. 6. Ath. 10. Ariſt. 3. Probl. 11. & 32.*
[h] *Gell. 4. c. 8.*
[i] *Val. 6. c. 7. 9.*

men ſtetiſſe? Itane Maxime? Ais tamen de ſeniori, quemadmodum ancilla ipſi uxoris, & in uxoris oculis, placuit. Credes iſtis ſcriptoribus? Credes hoc poſtremum Maximo, laudatori Scipionis perpetuo. [a] Quid enim cuiquam credemus, ſi fidem laudantibus non habemus? hic Lactantius diceret. Quod valet dictum firmiſſimum & cum aliis omnibus, qui profeſſi laudatores ſunt Romanorum: de quibus tamen & vitia Romanorum, collegimus, atque notavimus. Nunc Romani cedite Alexandro, & virtuti ejus. [b] Quod vos plusquam decies centenis millibus hominum ex urbe veſtra cæſis, poſt annos mille vix quæſiiſtis: id unus Alexander, nec quadraginta millibus militum, annis decem paravit.

a *Lact. 1. Inſt. 9.*

b *Card. 3. de ſap.*

CAP. XIII.

Tyrannis Romanorum.

JAm ſatis, jam vidimus, audivimus, cœpimus de Romana virtute. Vim vidimus, per quam, [c] ut in veteri proverbio eſt, *Romanus ſedendo vincit*: id eſt, ut audivimus, dolis, ac fraudibus magis, quam viribus vincit. [d] Romani ipſi inquiunt, *Moribus plura, quam viribus vicimus*. Quod rectius dictum evolvitur in idem tamen: ſi perfidiam Romuli, fallaciam Tulli, aſtum Anci, proditionem Bruti, ſicam Scævolæ, verſutiam Martii, præſtigias Labeonis, mentitiones Scipionis, injurias Anicii, cavillationes Catonis, & id genus alios mores aliorum cepimus, qui ſunt expoſiti. Facit Plutarchus alicubi, animal Ulyſſi dicere, captos ab hoc homines fraudibus: qui, neſcii fallendi, ſecuti eſſent ingenuum belli morem, & generoſum. Hic autem (cernis) populus Romanus Ulyſſes eſt. Habes diſſimulantem injuriarum, adulantem inimicis, deſertorem amicorum, contemtorem fœderum, itaque prædatorem omnium, & omnibus immitem. Vides veros iſtos Suevos: & agros circa ſe undique vacantes latiſſime? & quibus in locis (ut hiſtoria obſervat) nobiliſſimæ olim urbes cernebantur, illic tuguria Romanorum ſervitiorum manere. Jure aquilam ſibi ſumſerunt avem inſigne, [e] ut enim illa longum, latumque tractum tenet, & vicinam aliam non patitur: ita Romani circum ſe omnia unis patere ſibi voluerunt, & per omne

c *Var. pr. de r. r.*

d *Quinct. decl. 3. Plin. 6. ep.*

e *Ariſt. de hiſt. 32.*

nefas

nefas effecerunt. [a] Jure ſumſerunt inſigne lupos, luparum alumni: [b] Italicæ raptores libertatis, lupi dicti a fortiſſimo illo Pontio Teleſino. Etiam vide remotiora. Capuam aſpice: in qua lenitatis ſpecimen oſtentare voluerunt: [c] Plebs diſſipata, venundata: nobiles crudeliter cæſi: urbis tecta relicta, ut eſſet aliqua aratorum ſedes: ſepulcrum, & monumentum Campani populi: relicta crudelius habitanda, quam ſi deleta foret. Quæ non mea ſunt verba. At de propioribus illis num cantiunculas etiam concinnarunt? [d] *Et Veii veteres, & Volſcum regna fuiſtis: & veſtro poſita eſt aurea ſella foro. Nunc intra muros paſtoris buccina lenti cantat: & in veſtris oſſibus aruia metunt.* Nunc longe, nunc longius adverte oculos ultra mare, quod ſupra, quodque alluit infra. [e] Regna vides Illyrii, & Macedoniæ ſecta in partes: commercia omnia partibus interdicta per humani deſertionem juris: diſtracta tamquam animalia in artus, alterum alterius indigentes. Hæc hujus tyranni populi ſollemnis æquitas: [f] ut ſic quoque Latinis populis connubia, commercia, concilia multo ante ademerat. Sed ecce ad Perſeum regem ſpecta, & ad regem Illyriorum, & ad Siphacem: reges quaſi belluæ, catenis vincti ante currum ſuperbi civis Romani aguntur. [g] Abite nunc mei juriſconſulti, qui docetis; oportere parci nobilibus: etiam cum lex diceret, miſericordiam nullam deberi delinquenti: docetis, ſubtrahi nobiles oportere publicis iſtis ſpectaculis. Sed ſpecta. Filii regum, omnis nobilitas in eamdem captivitatem abducuntur: carceribus ſempiternis mancipantur contra omnem belli rationem, & legem. [h] Sed & morte Perſeum miſerrima confecere, vigiliis. Aut verius eſt, quod legebamus apud Salluſtium. *Apud Samothracas deos Perſeum acceptum in fidem, callidi, & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in ſomnis occidere.* Sic jus Turcicum hodie, dormientem inter vivos non cenſeri: Et ſic magnus quidam ab imperatore Turcarum necatus: cui vita fuit ex promiſſo, & jurejurando tyranni tuta. [i] Sic jus antea Perſicum, cinere ſuffocare, quos non vi, non veneno per pactum poſſes. At unde etiam jus hoc ſæviſſimum belli, unde eſt; ut reges hoſtes captivos necaretis? Et iſtam quoque immanitatem celebratis carminibus? [k] *Haurire venena compulimus dirum Siphacem*. Et, reges ſic meritos, vincetis unquam? Et, Siphacem dirum, vincetis? Qui naturæ ſecutus judicium, latiſſimo diſtinguen-

[a] *Pl. 10. c. 4.*
[b] *Paterc. 2.*
[c] *Liv. 26.*
[d] *Prop. 4. eleg. 11.*
[e] *Liv. 45.*
[f] *Liv. 8.*
[g] *Decian. 2. conſ. 5.*
[h] *Juv. 33.*
[i] *Val. 9. c. 2.*
[k] *Claud. in Eutr. Gild.*

guentis mari Libyca, & Italica regna: ſecutus tot icta vobis cum Carthaginenſibus fœdera, jubentia, populum utrumque illis naturæ finibus contentum eſſe: ſecutus jura regnorum certiſſima, ne quod permittatur tantum inter alia caput efferre, ut timendum reliquis omnibus ab eo ſit: ſecutus æquiſſimam regni ſui conditionem, quæ in diſcrimen præſentiſſimum ducebatur, Maſaniſſam vobis in Africam reducentibus: ſecutus cum Pœnis jura conſanguinitatis, & communis patriæ, & deorum communium Africæ: vos voluit, vos monuit, Africam Afris relinquere, quibus natura dedit, adſtipulati vos eſſetis, vindicabat jus commune regnandi, regni ſui flagitabat ſecuritas, &, quicquid eſſet in terris ſanctum, & videretur in cælis, adjudicabat. Hæc ictum cum Scipione veſtro fœdus tollebant: aut etiam pro Siphace ita interpretabantur. Illud fœdus vos abrupiſtis primi: abrupit Scipio primus, Maſiniſſa ſumto ſocio armorum, & belli. Neſcitis, violari fœdus, ſi cum hoſte fœderati fœdus percutitur, & jam arma adſumuntur? Et itaque Siphacem vincitis dirum. Exeo autem Africam: unde non tam eſt novi aliquid ſemper, & monſtri, quam eſt illic novum ſemper aliquod, & monſtroſum factum Romanorum. [a] Ecce, Jubam Mauritaniæ regem vivere propter ejus eruditionem, voluerunt: at duxerunt in triumphum, & cecíderunt flagris. Exeo, exeo Africam. In Græciam redeo: unde divertimus. [b] Ecce, alter regis Perſei filius Albano magiſtratui ſcriba factus: alter artem faciens ferrariam: uterque ut victum quæritent, & vitam tolerent. Quæ jactata populi Romani, & laudationibus concelebrata clementia, & liberalitas: ut filios regum, & ipſos crudeliter tractarit reges. Nos vero, ab hominibus hujus cæli hæc potuiſſe fieri, cogitare potuiſſemus? Sed principibus ſummotis, populos in libertatem duxit, terris univerſis pacem adduxit, atque conſtituit Roma. Dicant hiſtoriæ. Quibus retentum imperium artibus? [c] Voluptatibus: ut Tacitus ait. [d] *Orbem, quem ſubegimus, laſcivitas noſtra defendit*: ſcribit Seneca. Arcanum hoc imperii, per quod ſuavis creditur principatus, quæ ſæva dominatio eſt. Aut num quid ſævius eſſe poteſt, quam ſi evirentur homines, & effeminentur? ſi per voluptates, & laſcivitates etiam infra omnem hominis conditionem deiiciantur? Quid libido dominatoris aut non audebit, aut non poterit cum pecoribus his, quæ prona humi, & cæno ob-

a *Suida.*

b *Amm. 14. Zona. Oroſ. 4. c. 20.*

c *Tac. 4. hiſt.*

d *Sen. de conſ. ad ma.*

obvoluta os ſublime tollere neſciunt, cælumque tueri? Sic eſt arcanum imperii, quod dum firmat maxime dominationem, id tegit maxime, & vultum hujus contrarium præfert. [a] Vanam itaque ſpeciem, & inane nomen libertatis dicebant Ætoli: quorum nec vanam criminationem Livius cogitur confiteri. [b] Hæc illa libertas eſt, quam Philippus Græcis, a ſe deficientibus ad Romanos, prædixit, dominationi diuturniori eos ſubmiſiſſe colla. Etiam crudeliori, etiam. Aſpice faſces, ſecures: vide rapinas, rapacitatem, ſectionem publicanorum, calumnias litium, juſſa magiſtratuum, & vexationes. [c] Reſpice ad tot vectigalium genera, & tributorum: & ſaxa, & rupes ſub tributo habuerunt: & a viris, feminis, pueris, ſervis, mendicis, ſive in oppidis, ſive in agris, etiam pro quolibet animali, etiam pro cane aliquid exigebant, illoque nomine immundo ſtercoris, & urinæ. Miſeram Siciliam: haud quadrageſimam partem ejus imperii, ſolviſſe ex decumis, portoriis, paſtionibus ſupra quadringenties, hoc eſt millionem. Infelicem Ægyptum: quæ, cum daret regibus ſuis (immane) ſeptem milliones, & ſemiſſem, dare his amplius duodecim habuit. Perditam Galliam: quæ referta olim & ſacris opibus, & profanis, mox direpta, expilata a Cæſare, ſæpius (ut inquit Suetonius) ob prædam, quam ob delictum, illico milliones decem annuos, illico viginti debet. Avariſſimi hominum, & crudeliſſimi. Supra centum & quinquaginta milliones ex ſolis illis tributis conficiebant annuos: quantum non univerſus nunc orbis, & vetus, & novus principibus omnibus dependet in omnibus. Si enim vigeſimas, centeſimas, & id genus alia numero: ſi metalla excutio, quæ ſua ubique eſſe voluerunt: ſi aurum metior coronarium: ſi cetera percenſeo, audies tu, poſitos iſtos homines in orbe, vel orbi impoſitos, qui ferro ſanguinem orbi, & rapto opes orbi exſugerent. Etiam ſoliti, ſe vendere homines, ut his canibus tributa penderent. Sæviſſimi hominum. Audi ſævitiæ, [d] audi vocem: *Remi ſalvi ſint: nam remiges non deerunt, dum in Græcia homines erunt.* Hæc libertas. *Liberos cuique ſuos natura cariſſimos eſſe voluit: hi per dilectus alibi ſervituri auferuntur. Bona aguntur in tributum.* Quæ ſunt jura populi Romani, non privati alicujus injuriæ. Abi, & Turcicam hic mihi barbariem memora. Audis, & provinciarum ſanguine provincias victas. [e] Ubi autem ſolitudinem fecerunt, ibi pacem ſe conſtituiſ-

a *Liv.* 53. 34.

b *Plut. de Herc. ma.*

c *Lipſ.* 2. *de mu.* 10.

d *Oroſ.* 6. c. 19.

e *Tac. Agri.*

fuiſſe defendebant: quod Britannus clamabat. Prædones orbis terrarum: quos neque Oriens, neque Occidens ſatis expleverit: quique cum in urbe illa integrum orbem concluſerint, etiam tuguriola Britannorum concupierunt: ut itidem Britannus exclamat, [a] *Quaſi inexplebilis venter Roma, cuncta conſumens, & ſemper eſuriens: cum in ſinus ipſius everſarum omnium urbium, nudatarumque terrarum abraſæ undique opes cogerentur*: & cetera, quæ pius, ac religioſus teſtis habet Oroſius. [b] *Civitatem unam in humani generis perniciem natam*, Arnobius, vir ſanctus ait. [c] *Quam vincit illa feliciter, tam infeliciter, quicquid extra eſt, vincitur Felicitas urbis, infelicitas orbis. Infelicem ſub iſto victore orbem, arguto inſidiatore, hoſte infeſto, domino immiti*: ut idem pro teſtimonio dicit Oroſius religioſe. Niſi illud forte verum non ſit, quod de felicitate cenſuit urbis. [d] Et immo ipſa tanto miſerior, quanto eſt deteſtabilius, & calamitoſius, facere, quam pati injuriam. [e] Non eſt felix civitas: quia exercuerit cives aliis imperare. Non eſt in hoc exercitatio rerum bellicarum felix, ut alii ſervi fiant: qui neque nati ſunt ad ſerviendum, neque meriti per culpam aliquam ſunt iſtam adverſitatem. Ad ſervitutem, & injuriam propulſandam, ad utilitatem ſubjectorum vis eſt armorum juſta, & juſtum imperium. De qua juſtitia eſt felicitas vera. Quam juſtitiam (& itidem de vera, non de ſimulata dico) Romana civitas nunquam, ne de facie, novit. Civilem, hoc eſt, verſutam juſtitiam, in republica tua, Cicero, dices, fuiſſe, contendeſque: ſed veram, ſed germanam fuiſſe, non vinces: ut docte diſputat contra te Lactantius, & admonet Auguſtinus. [f] *Augeri rempublicam ſine injuſtitia non poſſe*, apud vos, & vobis, natum eſt verbum. Atque hæc virtus veſtra eſt: quæ virtutes omnes in ſe complectitur, avaritiam, abjectionem, perfidiam, ceteras virtutes veſtras Fortuna, fortuna, non virtute factum veſtrum imperium: fortuna, quæ ad deterrimos ſemper aberrat. Fortunæ vos templa multa, ab urbe ſtatim condita, & publice poſuiſtis fortunæ filii furioſæ. Virtuti vix unum, & ſero, & privatus collocavit in iſthoc virtutis hoſtico. [g] Sed & cum innumeros, atque propudioſos in oppido deos habueritis. Quietis templum, quaſi hoſtis, extra mœnia eſſe, voluiſtis. [h] Ecquando vobis fuit aut Pacis templum? Ecquando belli ſignum clauſum Janum? [i] Inhiaſti tu quidem Italia per annos quadrin-

a *Oroſ.* 5. c. 18.

b *Arnob. ad. gen.*

c *Oroſ.* 5. c. 1. *lib.* 6. c. 12.

d *Pla. Gorg.*

e *Ariſt.* 7. *polit.*

f *Aug.* 2. *de civ.* 21.

g *Aug.* 4. *de civ.* 16.

h *Baron.* 1. *vol. an. ec.*

i *Oroſ.* 6. c. 1.

gentos exſcidio hujus ſanguinariæ lupæ. Sed importune humana eras, cum reliquias Danaum, & mitis Achilli ſuſcepiſti in ſinum: & ad tuam, & ad reliqui perniciem orbis confoviſti: progeniem perjuri Laomedontis, Laomedonteæ Trojæ perfugas, perfidi Paridis cognationem, [a] Æneæ proditoris manum, [b] Æneæ necromantis ſanguinem, Æneæ Laomedontii: [c] ut ſic Virgiliusque coactus aliquando eſt ſuum Æneam nominare perque infamatum ſibi nomen. [d] Æneá, inculpatum deprædicas Laomedontem? Quin tu igitur ſis Laomedontiades? [e] Quin tu omnino ſis Dardanius Æneas, a fratricidá ortus, & exſule Dardano? Ades & tu exſul. [f] Te dominum peregrinum (fatale malum Italiæ) civi pertulimus. Sed Italia gaude. Omne tibi viſum conſidere in ignes Ilium, & ex imo verti Romulia Troja. Qui ſine virtutis cultu ullo per annos ſexcentos, ſine ipſa virtute ſemper, ſemper & ſine quiete: in parricidiis, ſacrilegiis, perfidiis, proditionibus, cædibus, rapinis, cupidinibus inſatiabilibus nati, educati ab ortu primo per ætates omnes, & in tantum imperium a fortuna inſaniente ducti, diuque per artes peſſimas dominantes: ecce hic tandem conciderunt. Imperium male partum, adminiſtratum pejus, diſperſum penitiſſime, & diſſipatum funditus, jam diu univerſus orbis, ſervituti ſubtractus lamentabili, intuetur, & ridet.

a *Dar. Phryg. 6.*
b *Oth. Phriſ. 2. c. 2. Serv. 1. 6. Æn.*
c *Virg. 7. 8. ubi Donat.*
d *Hom. Iliad. 20.*
e *Servius 3. Æneid.*
f *Scal. 3. Poet. 28.*

FINIS LIBRI PRIMI.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS

DE ARMIS ROMANIS

LIBER SECUNDUS.

VEL

De Juſtitia bellica Romanorum.

DEFENSIO.

CAP. I.

Teſtimonia certa Romanæ juſtitiæ.

FACILEM defenſionis cauſſam, quam ſuſcipio Romanorum meorum, facit Picenus, accuſator noſter: qui, a principio uſque accuſationis ſuæ, pugnare ſe, & diſceptare contra receptam temporum omnium, & omnium hominum opinionem, profeſſus eſt. Ego enim, probari omnibus ſententiam illam exiſtimo. [a] *Ut, de quo omnium definitio conſentit, id verum eſſe, neceſſe ſit.* Itaque ſi juſtum Romanorum imperium, & ju-

[a] *Cic. 1. de na. deo. Xenoph. apol.*

& justa Romanorum bella cuncti mortales, decursu isthoc duorum annorum millium, una voce, tenore perpetuo censuerunt: quod testimonium accusatoris est: vicimus. Quid enim, quid, quibus universa assultat adversaria disceptatio, vel testimonia obscurissima, vel indicia tenuissima, vel leves prorsus argutationes contra clarissimorum virorum auctoritatem, contra judicia gravissima, & contra robur invictarum rationum efficerent? P. Diaconus, Zonara, Orosius, Cedrenus, alii, & quorum nec dicere nomen frons fuerit accusatori, testes ejus, qui Dionysio opponantur, Polybio, Plutarcho, Livio, suspectis historicis, mendacibus Romanorum laudatoribus. Exploremus, accusator, exploremus testes. Quis Polybio sapientior, Dionysio diligentior, Livio simplicior, Plutarcho doctior? Et potuerit doctrina decipi, voluerit decipere simplicitas, potuerit errare diligentia, voluerit errores sapientia? Contumeliosa illa levitatis Græcorum, & infidelitatis non ad hos viros attingunt, utcumque Græcos. Ad illos pertinent accusatoris, Zonaras, Cedrenos, alios de plebe homulos, monachos Græculos esurientes. Nam & Græcia habet suos Aristides, Phociones, Epaminondas, alios innumerabiles: [a] qui sic studiosi exstitere veritatis, ut ne joco quidem, ne propter maximam quidem utilitatem dicere mendacium velint, viri justissimi. Ad Gallos accusatoris, & ad Hispanos illa pertinent, quæ idem accusatoris auctor M. Tullius detonat adversum Gallos vehementius: [b] *An vero istas nationes religione jurisjurandi, ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum a ceterarum gentium more, ac natura dissentiunt*, &c. & quæ sunt nunc aptissima: *An vero dubitatis, judices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant, & gerant cum populi Romani nomine?* Græci si male audiunt (neque isti tamen) in historiis, illic id est, ubi de ipsorum agitur Græciæ rebus, & ubi effusi in laudes suas illi scriptores sunt. Sed ista vacat ratio hic. De rebus aliorum hic agitur; ubi etiam avari scriptores Græci esse consueverunt. Ridiculum illud est de exteris: nisi scribere historiam melius possunt obscuri illi monachi, id est tenebriones, nec modo exteri reipublicæ, sed hominibus omnibus, quam viri civiles, & eruditi, & diligentes, ut ut nati in terris aliis. Neque affectus locum apud istos invenerint: qui nec Romani fuerunt; nec habuere

a *Cor. Ne. Epam. Plut. Aristi. Thom.*

b *Cic. pro Font.*

buere cauſſam mentiendi. Recipe tuum, Picene, illud, *Cui bono?* Deſine viros graviſſimos inſimulare mendacii, quibus nulli bono mendacium fuit. [a] *Cum ſint præmia falſi nulla, totam debet teſtis habere fidem.* [b] Quod & Hieronymus. *Ex quo colligitur, fidele eſſe teſtimonium, quod cauſſas non habet mentiendi.* [c] Vani, leves, ignominia, ſpe, metu, iracundia, miſericordia impulſi, præmio, gratia adducti, hi illi ſunt teſtes, quos fide indignos cenſent leges, & auctores. At vanos, leves non appellaveris, niſi tu levis, & vanus ſis, qui editis operibus, & monumentis ingenii nobiliſſimis viros ſe graviſſimos cuncto orbi, & longæ vetuſtati temporum adprobarunt. Hoc experimentum hominis, opus ejus. Hinc de homine judicium certum. *Loquere, ut te videam.* Nulla hic ſpes, nullus metus: [d] *dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia, ac libertate: neque referebat cujuſquam, Punicas, Romanaſve acies lætius extuliſſes.* Vacat hic iracundia adverſum victos: contra quos teſtimonia ſcriptorum ſint. Vacat miſericordia erga victores: pro quibus dicta teſtimonia fuerint. Neque enim iſti miſericordia ſunt proſequendi: neque eſt quisquam hominum adeo barbarus, & immanis, ut afflictis, miſeriſque iraſci, perque iracundiam maledicere velit. Potuit Livius eſſe Pompejanus plurimum: ſi hoſti Pompejanorum, qui hic citatur, credendum eſt Auguſto: vixit enim Livius, cum aut partes illæ vigerent, aut partium ſtudia ſupereſſent. [e] Hoc Plutarchus notat difficillimum in ſcribenda hiſtoria, quod qui fuere præſentes, & de quibus eſt accipiendum, illi odio, gratia, aliter veritatem corrumpunt. Si Polybio teſte uteremur pro Africano: etiam poſſet Polybio reiici de affectu, quo erga eum teneretur, cui comes, atque familiaris convixit. Ceterum non hoc pertinet ſtudium ad ætates ſuperiores. Et eſt ridiculum Caſtelvetrii (hujus illud eſt) argumentum in Livium, qui hoſtes nominet, contra quos gererent Romani bellum. [f] Ut namque bella a parte victa nominari ſolent, Punicum, Italicum, Hannibalicum, Mithridaticum: ita & hoſtes dicuntur, qui victi ſunt. Etiam deſierant tum hoſtes eſſe, & amici erant omnes, cum ſcriberet Livius. [g] Itaque vel Livio hoſti crederetur teſti, poſtquam reconciliata omnium amicitia, & quidem longo poſt tempore in ſumma animorum, & voluntatum conſenſione dicit teſtimonium. Eſſet aliquid, quod aliud addit Picenus, quod ſi

a *Ovid. 3. Triſt. 10.*
b *Hier. ep. 9. & Cic. 2. de fin. & Dec. 2. conſ. 25.*
c *Cic. part.*
d *Tac. 1. hiſt. 4. ann.*
e *Plutarch. Pericle.*
f *Paul. 4.*
g *Nell. de teſti. ver. inimicus. Decian. 3. conſ. 34.*

in

in uno falſus, ac mendax oſtenditur Livius, jam in nullo fidus, ac verax deberet exiſtimari. Ceterum quod illud eſt unum mendacium Livii? Unum in Pompejanorum notatur cauſſa: ſed, ut dico, teſte hoſte illarum partium longe ſæviſſimo, & contra quem antiquitas omnis, & quæ ſecuta in hunc diem omnis eſt ætas, [a] ſummi judicii vir Lucanus, reſpondet: quæ pro Pompejanis ſemper judicavit. Non etiam verum eſt, non, ut teſtis aliquando mendax in cauſſa aliqua, ille idem in cauſſis omnibus ſemper veluti mendax reiiciatur. Non eſt verum, non, ut, ſi inſtrumentum quoddam ſit tabellionis falſum, falſa omnia ejuſdem inſtrumenta debeant reputari. Et ratio illa fidei individuæ ſic eſt: quæ individua cauſſæ eſt individuæ, non cauſſis pluribus, variis, late diſſitis: in quibus nec poſſit criminis ejuſdem admittendi occaſio eſſe. Aut quid ſi non mendacium, ac dolus eſt teſtis, ſed error? Id potius credendum eſt: ut criminis vitetur ([b] quod leges jubent) interpretatio: & jam nihil de fide, de auctoritate forte detrahi non nihil poteſt; quaſi hominis ejus, qui notitiam non teneat rei plenam, & abundantem. At ſunt hic quoque replicationes illæ firmiores: quod in diverſis cauſſis error non oſtenditur per errorem, qui admiſſus in una eſt. Multa ſunt vetuſtiora, & multis modis obſcuriora: in quibus errare etiam prudentiſſimi, & diligentiſſimi poſſunt, qui in aliis non erraverint. [c] Ipſe ſic Livius, certiora eſſe omnia poſt urbem a Gallis receptam, fatetur: cum, quæ antea geſta eſſent, ea aut ſcriptorem non invenerint, aut per Gallicum illud incendium amiſerint memorias ſuas. Væ tibi, Picene: væ teſtibus tuis, illis hiſtoricorum dehoneſtamentis, ſi argutationes hæ tuæ fidei, & auctoritati teſtium imminuendæ valent: civis Romanus eſt; itaque Romanis adblanditur: mendax in uno eſt; ergo abiiciendus in omnibus eſt: errat aliquando; nullibi igitur ulla eſt hominis auctoritas. Quid enim, ut tibi tuum potiorem appellem, quid Oroſius? Hiſpanus eſt, itaque Numantinis adblanditur: hoſtis Romanorum eſt; itaque Romanis iniquus eſt. In Oroſio hoc amplius mihi conſideres, non tam illum eſſe hiſtoricum, quam apologiſtam, & quidem contra quietem, ac tranquillitatem Romani imperii: itaque credendum minus ſit homini, utcumque integro;

a *Mont. 2. eſſ. 10.*

b *l. 51. pro ſoc.*

c *Liv. 6.*

tegro; qui non fidem hiſtoricam profitetur, ſed ſedulam defenſionem. Rapit enim iſte, quicquid facit ad inſtitutum operis: rapiturque in ea viciſſim omnia, quæ ſuſcepta poſcit ſcriptio, & allatus ſcribendo cupit affectus. In Oroſio, & reliquis Piceni hoc amplius, rhapſodos quoſdam fuiſſe: quorum fides non conſtet abſque auctoribus primis: certe, ſi auctoribus primis contradicunt: qui noſtri illi Polybius, Dionyſius, Livius, Plutarchus: & quibus ſi fides non conſtat hiſtorica, hominum quanta fides eſſe poteſt (ut de eo non diſputem contentioſe) periit ecce omnis hiſtoria, & magnum vitæ humanæ lumen perfuſum eſt. Sed immo manet hoc lumen: manet hiſtoria: & optimorum illorum laudatur, placet, viget, relegitur, amatur. [a] Optimis illis, & excellentibus hiſtoricis dandum & illud fuit, ut judicarent facta, dicta, de quibus expoſuerunt: & jure ſibi ſumerent, regere fidem lectorum ex ſua. Namque in narrationibus pluribus, variiſque eligere ipſi, qua erant vi præditi perſpicacis judicii, poterant veriores: & in contrariis diſceptationibus, qua inſtructi erant doctrina, poterant conſtituere juſtiorem. Teſtium eadem ratio non eſt, plurimum idiotarum, atque imperitorum: & ſemper temerariorum, dum judicando traiiciunt ſe in munus alius perſonæ, judicis. Dicerem, eſſe teſtes, qui judicantes audiantur: & quibus hiſtorici ſimiliores ſint, quam aliis. Sed omnino eadem ratio non eſt teſtium, & hiſtoricorum. Porro de meliori noſtra conditione in judicio de Romanorum rebus geſtis poſt tot ſecula non ſic cenſuit Iſocrates. [b] *Quæ noſtra ſunt ætate facta, de his noſtrum judicium non injuria interponimus: in rebus vero a noſtra memoria longe remotis, par eſt, nos illorum temporum aſſentiri peritis.* Sane quidem ut caligat corporis oculus ad ea, quæ nimium prope poſita ſunt: ad alia autem cæcutit, quæ per infinitam diſtantiam abſunt: ita mentis oculus præſentium rerum affectibus obnubilatur, ſed longiſſime remotarum ignoratione obtenebratur. Et igitur non Livio (age, indulgeamus accuſatori) in civilibus bellis fides ſit: non Tacito, non Suetonio contra Neronem. Valeat Cardani etiam verbum hoc pro oſtento illo, ac monſtro, nec in philoſophia diſputatione prolatum, ſed in exercitatione ingenii. Sed itaque fides ſit multo minor ſcriptoribus priſcarum rerum recentiſſimis: cum veritas pluribus infracta modis, & multa rerum inſcitia debilitata jaceret. Iſtæ ſunt teſtium, & teſtimoniorum ve-

[a] *Bru. de conſcr. hiſt. Mont. d. 10.*

[b] *Iſ. Hel.*

rę leges. Nos autem, ut proœmio accuſatoris illic reſpondimus, ubi diſputare viſus eſt: ita declamatiunculam reliquam manere patimur, & homini eſſe oblectamento. Agat, advocet in auxilium gentes. Aderunt Lybes: apud quos non enecta tantum a meis monſtra, exſciſa venena ſunt; at reges, regulique, qui cauſſæ illic inteſtinorum bellorum, deleti, & publica tranquillitas, & tamquam unius bene coagmentati corporis ſanitas conſtituta eſt. Favebunt votis omnibus Aſiaticæ gentes: quæ mille Sardanapalis ereptæ, & portentis tyrannorum: raptæ in fidem, & clientelam populi Romani, in omnia tutæ, & in omnibus, pacem optatiſſimam tenuerunt. Plaudent Europei: quibus per virtutem Romanam de orbe reliquo partum imperium eſt. Nam quid Italos ciet in arma viros, lentos illos nunc, & longo otio marcidos? qui barbari ante Romanum imperium habiti non Græcis tantum, [a] verum etiam barbaris ipſis, mox & cultiſſimi, & principes omnium evaſerunt. Quid Germanos? ad quos delatas a civitate mea artes omnes humanitatis: & itaque de rudibus, & agreſtibus politiſſimos factos videmus. Quid Gallos? quorum de cervicibus ſuperbiſſimus Arioviſti dominatus, & immanis, ac perpetuus Germanorum terror ſublatus eſt. Quid Hiſpanos? qui Afrorum olim, & latronum, atque piratarum præda, poſt ſub Romano imperio frui fluminibus ſuis aureis, metalliſque valuerunt, & eſſe beatiſſimi. Quid etiam Britannos concitat invictos? Invictos autem? quos victos qui negat, is ille eſt certe, qui negare omnem hiſtoriam poteſt? [b] Etiam nec deſiderarunt, nec oblatam acceperunt pauperem tum, & negotioſam iſtam provinciam. Sed Britannos advocat: quibus ſi aliud nihil præſtitiſſent Romani, quam quod diviſos orbe toto in partem orbis, & hominum compegerunt: hoc illi beneficio uno immortali Romanum nomen perpetuo venerabuntur. Græcia in libertatem aſſerta, Macedonia de ſervitute vindicata deferent certe ſuis vindicibus, atque liberatoribus hanc coronam, & palmam virtutis. Nec denegabit lauream Carrhago magna: quæ terra, marique per annos quinquaginta in iſto certamine gloriæ egit, & tribus bellis victa conceſſit. Et hæc ſumma Carthaginis laus eſt, quod cum populo victore omnium gentium bellavit fortiſſime omnium. [c] Nam, fuiſſe Carthaginem tributariam Syracuſanorum, non ignoramus. Perſæ, Medi, Aſſyrii a Romanis ſpoliati poſſeſſione plurimarum pro-

a *Dru. 3. Obſ. 3.*

b *Str. 2.4. App. proœ. Tac. Agri. Suet. Cla. Liv. 105. Serv. 3. Georg.*

c *Demoſth. Lept.*

provinciarum: pulſi ultra Euphratem, & Tigrim: coacti in anguſtiſſimis finibus: & in his nec tuti niſi per ſolitudines, vaſtitudines immenſas, & maria arenarum interjecta: non ſunt de latibulis illis educendi, per loca ſola ducendi, in contentionem producendi victi, qui florentes eſſe pares Romanis non valuerunt. Eatur jam, eatur in rem præſentem: & ſingularia accuſatoris diſcutiantur.

CAP. II.

Romulus.

ACcuſat Picenus in principio, mentitum a conditoribus urbis divinum genus. Attamen laudatiſſimus accuſatori Piceno ſecundus rex per annos amplius quadraginta divinos congreſſus mentitus eſt. [a] Et celebratiſſimi quique latores legum, & civitatum conditores nobiliſſimi nunquam non aut genus deorum ſe deprædicarunt, aut non jubente Deo rem gerere publicam profeſſi ſunt. Ita videlicet voluere viri ſapientiſſimi feros mortalium animos reverentia numinis molliores, & in obſequium reddere faciliores: qui alias intractabiles, alieni a communione omni, & omnis humanitatis expertes ævum duxiſſent. [b] *Nulla autem res efficacior multitudinem regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæva, mutabilis.* [c] Sic auctores graviſſimi, viris civilibus, & quibus neceſſe eſt, vitam ſuam adverſus contumacem, & diſſolutam turbam inſtituere, id tradunt, ut ſuperſtitionis quaſi freno multitudinem compeſcant, & ad utilia torqueant. [d] Et id in Romana republica ſic defendit Polybius diſerte: ut propter ferocem illum populum neceſſe fuerit, induxiſſe ea, & foviſſe, quæ magnas ſuperſtitiones haberent, & probroſas apud alios omnes. Sic Lycurgus, Alexander, Africanus, [e] Auguſtus, alii congreſſus divinos, divinos ortus, divinos cultus probarunt animandæ plebi, extorquendæ obedientiæ, inducendæ reverentiæ. Quæ idem Polybius, idem Plutarchus, & Philo latiori folio proſequuntur. Non ergo Romulus accuſetur, ſi vel ipſe auctor ſuperſtitionis ejus fuit. Sed declamitetur mecum in illam religionem: qua imbutus orbis propemodum univerſus, pulchrum exiſtimavit, omnia de diis ad ſalutem publicam fingere: & ſibi in animum quiſque certiſ-

a *Val.* 1. c. 2. *Card.* 3. *de ſap.*

b *Cur.* 4.

c *Plut. de ge. Socr.*

d *Polyb.* 6. 10.

e *Phi. de legato.*

simo quodam induxerat præjudicio, cœtus hominum ita cogi, ita adfirmari, regi ita oportuisse. Nec vero magnorum principum ortus quærere curiosius, at quales fuerint in republica, id demum evoluere sedulo, & explicare diligenter decet. [a] Non quærit venator, quod natum ex cane, sed qui canis: ut ita Plutarchus de politico viro. [b] Jactitabat probrosos natales suos Bion, & se ex se censendum ferebat. Sunt natales Romulo communes & viris aliis spectatissimis. Illuc mihi, illuc specta ad gesta Romuli: in quibus Romulum habes. Alienum agrum urbi occupatum clamat: & apertum in urbe asylum alienis hominibus rapiendis, & perditis omnibus attrahendis vociferatur. Quo in utroque capite reprehendendus acriter est accusator. Quid enim pro explorato ponit, Romam in solo conditam alieno? Cur non in solo avi Numitoris? [c] in quod deducta avi permissu colonia: in quo antea educati pueri a pastoribus avi: & quod præsidiis regum Albanorum multo antea tenebatur. Etiamne fortuna, & felicitas Romæ hæc, ut vicini eam in solo suo poni taciti paterentur? Etiamne fortitudo parvulæ manus tanta fuit, ut vicini urbem in suo solo poni invitî paterentur? Asylum autem tuetur Græcia: quam adversarius noster non vituperet. [d] Omnino certe jus asylorum apud Græcos augustissimum fuit: adeo ut victis etiam hostibus inviolatum conservaretur. [e] Hoc jus canonicum, imperiale, naturale, divinum est: quod tibi Decianus clarissimus ostendit late: alii quidquid disputent. Etiam tibi defendit Græcia, immo orbis totus invitamentum istud Romuli in suam civitatem. Audin' Thesei edictum, *Huc pergite omnes populi*: quo ille frequentare Athenas adproperabat. [f] *Romulus acer asylum Retulit*. fecit ad imitationem. Immo vero ingentes debent nostro Romulo gratias, quæ malis hominibus exoneratæ civitates in asylum sunt Romuli. Et is simul existimari divinus potuit vir: qui, supra quam divinus credebat Plato, illeges eos homines: & errones redigere in leges valuit, & aptos civitati, non esse barbaros passus est. Moribus enim mox, sermoneque coaluerunt in civitatem unam, qui ex civitatibus variis, linguis diversi, institutis discordes a principio confluxerunt. Hæc Romuli, hæc illa est virtus, qua vecti in cælum sunt; qui primos palantium hominum cœtus coegerunt, & orationis communitate, atque æquitate imperii continuerunt. [g] At etiam quid non Tarquinios plures, Claudios,

Octa-

a *Plut. con. Ly. & Sy.*
b *Laert.*
c *Val. 2. c. 2. P. Diac. 1.*
d *P. Æsod. 1. Decr. 7.*
e *Decian. 3. conf. Bo. Alc. 7. Parerg. 6.*
f *Virg. 8. ubi Serv.*
g *Dionys. 1. Suet. Tyb. Serv. 7. Æn.*

Octavios dicimus Romam veniſſe, non transfugas, ac perditos alios? Familiæ illæ non ad aſylum fugerunt. [a] Et Latinis legionibus avi Romulus cinctus venit. Ubi Ceninenſes, Cruſtumini, Sabini, Camerini, Fidenates, Antemnates, Albani, reliqui populi, & victi, & in urbem, ac civitatem recepti? Fabii, Antonii, Æmilii, Cæcilii, alii plures Aborigines, & Trojani memorantur. [b] O utinam ſupereſſet Igini liber de Trojanis his familiis: o utinam Varro. Julii, Servilii, alii Albani, Curii, Fabritii, Porcii, Pompeii, Marii, alii ex aliis vicinis oppidis: non ab aſylo, aut per aſylum. Et de iſtis quaſi ſceleratis, & nocentibus populus facinoroſorum congregatur? Non hic igitur audimus magnos theologos: ubi hiſtorici minimi ſunt. Non poſſunt magnæ eſſe auctoritatis, jure nobis per adverſarium ſtatuto, contra Romanos viri Afri, Carthaginenſes. *Namque memor generis Carthaginis hæc pia proles Imminet Heſperiæ*. Etiam Mithridati credemus? Etiam Satyræ? At omnes hiſtoriæ de familiis, gentibus, & populis ſupradictis tradunt: quæ his theologorum, hoſtium, ſatyricorum adverſantur. Non ſervum domino, non creditoribus nexum, non magiſtratibus criminoſum reddebat Romulus? At neque omnes reddendi ſunt ſcilicet. Qui fortunæ aliqua calamitate prolapſi in crimina ſunt, & fugitivi facti ſunt, non reddunt. Hæc eſt lex naturæ: [c] *Ne tradito ſervum domino ſuo, qui ad te eripuerit ſe*. [d] Pium hoc, & honeſtum, non modo utile: & cum libero quidem, quam cum ſervo, magis: qui honorare etiam videtur nos, dum ſupplicat nobis, & in nobis ſpem collocat ſuam. Quæ ſapientes Hebræi ad ſanctam illam legem explanant. Sic poſt aſylum ſtatuæ principum ſtetere calamitoſis auxilium, hodie ſtant ædes ſacræ. Tantum in natura eſt; ut recurrat ſemper, & ſe inſinuet varie, quantumcunque trudatur, & furcillis quaſi de medio expellatur. [e] Atque ut doloſis, & violentis ea lex Dei non ſtaret, nec ſtatua principis: qui & ab ipſo altari Jehovæ ad ſupplicium trahebantur, etiam & ad altare occidebantur: tamen in territorio alieno & iſti ſunt tuti. Et hoc utimur jure: quicquid interpretes juris contradicere videantur, Evalet conſuetudine, quod eſt naturaliter verum: ut tu ais, Picene. Sic injuſtitia negatur aſyli. Etiam ſolum urbis, famam civitatis defendimus. Etiam famam defendimus ſenatus Romuli. [f] Invidioſe ſcriptum eſt, dictos Romæ patres, quod ſoli poſſent pa-

[a] *Paterc. ubi Lipſ.*
[b] *Serv. Æn. 6.*
[c] *Deut. 23.*
[d] *R. Moſ. Ægypt. 3. duc. dub. 40.*
[e] *1. Reg. 3.*
[f] *Dionyſ. 2.*

tres oſtendere: ceteram autem exſtitiſſe turbam fugitivorum, quibus aut non noti, aut non ingenui patres eſſent. Patres ab ætate dicti: & quod liberos jam haberent: & *cieri* (ſic, ſic , non *ciere*) poterant patres. Unde enim tanta ſpuriorum examina advolaſſent, & collecta eſſent, ut in tribus hominum millibus? quos primum habuit Romulus, centum ſoli eſſent non ſpurii, Juvenes reliqui, nec mariti: qui juvenem pariter regem ſecuti eſſent: quibus integer ævi ſanguis, ſolidæque ſuo ſtarent robore vires: & ut mos fuit ſemper, mittere in colonias juventutem, illas maxime, quæ a vicinis non quietæ futuræ ſatis videbantur.

a *Plut. Rom. Sallu. Catil.* [a] Plutarchus rationem ejus nominis variam recitat: item & Salluſtius: ſed neuter iſtam ſequitur, quam Dionyſius dixerat invidioſam, & nos cernimus falſi compertam. Etiam defendimus nunc de finibus agri Romuli. Si enim Albanorum colonia erat Roma, jam fines habere nequiit non finitos: ſi finitos habuit Alba. Quod ſi Numa terminos agro, & publico, & privato cujuſque poſuit: hoc eſt tamen nihil, niſi quod privatum diſtinxit a publico: aut in agro ſic fecit publico quem Romulus ſupra veterem illum, Albani partem, quæſierat. Et cui non fixit terminos: qui compedes (aſſentiamur Plutarcho conjectanti: audin', Picene, quod tu nolis tamen, conjectanti) compedes naſcenti exſiſterent civitati. Neque tamen injuria ſtatim eſt, ac terminos tranſilieris: & certum, & conſtitutum eſt, bello victos agro ſpoliare licere. Quid dixiſſes, ſi rex Romanus civitatis ſuæ

b *Plut. apop.* fines, [b] quemadmodum Spartanus rex, haſta, & gladio finiiſſet? id eſt, qua armorum vis eos extendere valuiſſet. Addat his noſter juriſconſultus, finium regundorum judicium non ſimplex, ſed mixtum eſſe. Et non accuſet Romulum ſolum, ſed & vicinos. Cur enim non illi poſuerunt agro ſuo? Hoc ſi feciſſent, finitus & Romanus erat. Aut vicini non poſuerunt priſco mortalium more, cum

c *Cic. Ara. Virg. 1. Geo. Tib. 1. eleg. 3. Sene. Hipp. 2. Juſti. 43.* [c] *ne ſignare quidem, aut partiri limite campum, Fas erat. Non fixus in agris, qui regeret certis finibus arua lapis. Nullus in campo ſacer diviſit agros arbiter populis lapis.* Et quæ ſexcenta ſic ſunt ſcriptorum omnium vulgata teſtimonia. Et itaque tanto juſtior Romulus, quanto nec receſſit a veteri, & ſui temporis conſuetudine vicinorum. Quod ſi etiam patrii ſoli gleba nulla fuit, ſed ſtatim pomœrium, & omnibus portis in alienum exibatur: ut ais, Pi-

ce-

cene: qui tum fines, & termini poni a Romulo debuerunt? Cui agro, ſi is nullus, potuerunt poni? Nihil igitur quicquam id de finibus eſt. Et nullo igitur modo damnabuntur, veluti ex injuſto principio, quæ conſecuta ſunt poſtea bella propter res raptas, nec redditas. Non damnabitur partum per bella juſta imperium, quod terris æquatum: & quod [a] *gentibus eſt aliis tellus data limite certo: Romanæ ſpatium eſt urbis, & orbis idem.* Huc adfert accuſator etiam figmenta, lupam, picum: & portenta nobis de tripode poſt tot ſecula ab oraculis deſitis interpretatur. Etiam avem, [b] a qua nomen ſuæ Picenæ gentis eſt, proſcindere maledictis, non erubeſcit. Sed & vultures affligit: naturæ rerum, & juris auguralis ſane ignarus. [c] Vultures animalia innocentiſſima: quæ victu vivunt innocuo: & his veſci ſolis conſueverunt, quorum eſus, aut uſus aliis non ſuperſit. Hæc natura Romuli civitas portendebatur: in quam perditi, & projecti undique colligerentur innocenter. Hoc augurium. [d] Vultur accipitrem perſequitur, avium perſecutorem exſecrabilem. Hæc natura. Romuli civitas deſignabatur: quæ patrocinium calamitoſorum ſuſciperet. Hoc augurium. Et ita poſita Roma eſt. Ea parricidio dedicata non eſt. Remus occiſus non fuit. Romulo ſupervixit: urbem Ravennam condidit. [e] Ita non unus eſt, qui tradit hiſtoricus. [f] Occiſus fuit? In rixa, & turba: quam ipſe cum aliis concitavit. [g] Scilicet fabuloſum dicitur, quod de mœnibus dicitur. Sed cum Remus tempore augurii, Romulus numero avium certarent, ille ſic in pugna cæſus ſit. [h] Invito Romulo occiſus a Celere illo: qui itaque abiit in exſilium. Nec igitur finxiſſe iſthæc dicetur, qui iſthæc cum hiſtoriis dixit poeta, aut nec poeta, ſed & ipſe hiſtoricus in Faſtis Ovidius, cum de fratre, interfecto a Celere, audiſſet Romulus: [i] *Lacrimis introrſus obortis Devorat, & clauſum pectore vulnus habet. Flere palam non vult, exemplaque fortia ſervat: Sicque meos muros tranſeat, hoſtis, ait. Dat tamen exſequias: nec jam ſuſpendere fletum, Suſtinet: & pietas diſſimulata patet. Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro: Atque, ait, Invito frater ademte vale.* Ipſe Remus. *Noluit hoc frater: pietas æqualis in illo eſt.* [k] Dubium, an juſſu fratris occiſus ſit? Et pro certo igitur factum non adſumatur. Fama ea eſt vulgatior? At hæc non ſemper verior: & quæ hic in judicio noſtro pro explorata obineat. Sequamur illam &

a *Ovid. 2. Faſt.*

b *Paul. Feſt.*

c *Plut. probl. R. 93.*

d *Caſſ. 2. var. 9. Serv. 11. Æn.*

e *Egn. or. ge. Ro. Zoſ. 5.*

f *Liv. 1.*

g *Servius 1. Æneid.*

h *Plut. Rom.*

i *Ovid. Faſt. 4. 5.*

k *Jor. de re. ſucc. Flor. 1.*

nos

nos tamen. Et dicat peritus juris, ſi in legibus non legit, [a] ut qui violaverit muros capite puniretur: & Remus ita occiſus traderetur, quod tranſcendere murum voluerit. Hæc cauſſa cædis: & proculdubio juſta, quæ probata legibus eſt juſta cædes: per quam vim propulſata vis eſt. Ut hoc negare nequis accuſator: quod & fama illa vulgatior habet: aut ſequenda tibi per omnia, aut per omnia deſerenda. Et ſua Romulus mœnia probe aut adverſus petulantem increpationem ([b] ea fuit monitio) vindicavit, firmavitque: *cæſo mœnia firma Remo*. Sua mœnia per æqui conventionem juris facta ſunt Romuli. Quod enim de mentito obiicitur augurio: vanum eſt, vacuum auctoritate, caſſum ratione. Adeantur hiſtoriarum verba penſiculate. Cogitet adverſarius meus, ſi ſine arbitris diſceſſum ſit ad auguria captanda: ſi ſine arbitris oſtendi mendacium poſſit. Hæc Remi cædes ad vindictam juſta. Nam de cupidine principatus ſcrutentur ſibi, qui ajunt, theologi. Et de ſua honeſtate neget Cicero: dum & neceſſitatem novi firmandi imperii, magnamque adeo utilitatem non inficietur: quod certe non faciet: ut in cauſſa mox Collatini audiemus. Tatii autem & cædes Romulo cur adſcribetur? Sunt, qui ita memorent rerum ſcriptores? Qui vero illi? Nominare non audes Oroſios, & Diaconos tuos, alioſve, heri natos, mortuos heri. Qui, avumque, tradunt, a Romulo interfectum. Unde tertiumque objectas Romulo parricidium. Sed leviſſimorum hominum teſtimonium leviſſimum eſt. Et leviſſima argutatio eſt accuſatoris, ab hereditate amiſſa Albani regni. [c] Nam ſcribit Plutarchus, & idem Zonara accuſatoris, quod etſi Albæ regnum pertineret ad Romulum, is tamen in populi gratiam juſſerit, eſſe liberam civitatem: & ubi tamen crearet ipſe per annos ſingulos magiſtratum. Ita nec exſcidit illo regno. Iſta vero Romuli avaritia, & dominandi libido: per quam potuit regno carere avito, & urbe principe Latii: etiam Fidenas, vi captas, libertati relinquere. Sic ſunt conjecturæ de cæde Tatii: cujus, cum novimus auctores, auctorem facere Romulum, eſt periniquum: cujus, cum ſcimus cauſſam, cauſſam conjectare aliam, eſt perabſurdum: etiam intolerabile, ſi id fiat ipſum ad aliorum incommodum, atque perniciem, Lavinienſes auctores: qui (hæc cauſſa) læſi a Tatio. Huic, propriæ cauſſæ, etiam propiori, adſcribi factum, jubet natura, & omnis prudentia juris. Conjecturæ accu-

[a] *l. ult. de div. re. Plut. probl. R. 27. Herodia. 4.*

[b] *Flor. lib. 1. Prop. 3. eleg. 8.*

[c] *Plut. Rom.*

accuſatoris diverſæ in re magis dubia diverſantur: & iſti concedunt interpretationi planiſſimæ. [a] Et itaque ſi eſt verum alicubi, hic eſt veriſſimum, quod ſcribitur generaliter, *iniquum eſſe, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in ſuſpicionem maleficii devocari.* Romulus dein accuſabitur injuſtitiæ: qui Sabinos, violatores juris gentium ſanctiſſimi, dedendos violatis Lanuvinis cenſuerat? Et injuſtus eſt, quia in partes alterius venerit? Sed unum Romæ regnum erat; quod duo illi reges communiter adminiſtrabant: non duo erant regna, Sabinorum unum, alterum Romanorum, unum Tatii, alterum Romuli. [b] Etiam privatus implet judicis partes, quas is negligat: etiam judex alienus. Sed & jus juſtiſſimum, & receptiſſimum dixit Romulus, dum temeratores legationum dedendos pronunciavit, & læſis addixit. Et Tatius, qui tantam contemſit juſtitiam, facinoroſos illos nec puniit, nec puniri paſſus eſt, *illorum pœnam in ſe vertit.* An ne hoc quidem niſi per juris inſcitiam Livius? Quid ad hæc rurſum manifeſtiſſima reſpondere per conjecturas? Tatium non potuiſſe videri ſceleris ullius conſcium, qui Lavinium proficiſci auſus ſit. Quaſi vero & manifeſtus conjurationis nec venerit in ſenatum Catilina. Quaſi vero nec quidquam ſperarit in religione Tatius: quam tu, Picene, obtendis ſaluti illius, clypei non enarrabile textum: *Hoſpes, rex, ſacerdos, in conſpectu deorum immortalium, ad ipſas aras.* Crimine tamen uno violatarum legationum perfringuntur jura iſthæc, &, quicquid eſt juris, omne conſumitur. Criminoſos, violentos ne quidem veri Dei tuetur altare: quos neque intuetur Deus, niſi iratus. Apage iſtas declamatiunculas in re ſeria graviſſima. Apage divinationes. Abſtruſa in cælis intimis non condemnabunt, quantum homini fas eſt proloqui, quod per omnem apertam rationem juſtificatur. Aut ſi homines referebant ſeditiones, & peſtes in cædes Remi, & Tatii: nos etiam ſcimus, hominum mentes ſuperſtitione perculſas, & ſimilia, & longe vaniora edidiſſe judicia. Apage cædem Amulii quartam, & parricidium parricidiis cumulatum. Apage tuos iſtos jam nunc Cedrenos, & Friſingenſes: nomina ignobilia, & milleſimo noſtrum vix audita. Propatruum ſuſtulit Romulus, tyrannum, ultus exſilium avi, matris necem, & fratris, & ſuam, & ſuum repetens regnum. Abeſt parricidium hinc, quod culpes. [c] Si filius patrem ejuſmodi occidiſſet, ſine ſce-

a *Rb. ad Her. 2.*

b *c. 6. 7. de off. ord.*

c *l. 35. de relig.*

ſcelere eſſet, etiam præmio adficiendus: ut omnes conſtituunt, & conſtituerunt. Nos diſceptationi leviſſimæ dedimus nimis multa. At de raptu Sabinarum, veluti in aperta cauſſa, acerbiſſime clamat: & magna ſecum nomina trahit magnorum patrum. Qui tamen nec magni extra ſuas quæſtiones religionis, in his politicis humani juris. Verum enimvero vidit etiam Auguſtinus in raptu iſto principium Romanæ juſtitiæ. Sed quia progreſſum reliquum impeditum, aut etiam præciſum multis quaſi obicibus inſuperabilibus exiſtimavit, digreſſus in alteram partem eſt: & Romanos injuſtitiæ condemnavit. Vidit Auguſtinus, connubia Romanis negata inique: &, jus propterea belli contra Sabinos, confeſſus eſt. At, quod fraude ſpectaculi uſi Romani ſint, hinc pronunciat injuſtum bellum. [a] At vero *judice me, fraus eſt conceſſa repellere fraudem. Armaque in armatos ſumere jura ſinunt: Fallere fallentem, fraudemque repellere fraude, Exemploque licet ludere quemque ſuo.* [b] Quod & interpretes juris afferunt. Et illud, malitiæ per malitiam occurri juſte: & non, eum dici calumnia uti, ſed prudentia, qui alium fallit, ne fallatur: &, id genus alia. Ecquid autem vicinæ illæ civitates fraude immani, & vere ſine exemplo, tot capitum millia circumveniſſent: & pereuntium mortes per ludibrium domi deſides proſpectaſſent? Sacrilegium voluerint ſacrilegiorum maximum: quo ſcilicet generationem, maximum ſacrorum, & prima commendatum nobis voce Dei, ac naturæ, peſſum dediderint? Primum juris gentium caput everterint: quod humanæ eſt ſocietatis, & conjunctionis? Naturam delerint humanam: non aliter atque ille, qui eſt aut in fabulis, aut in veris narrationibus, Timon? Nam quid intereſt, an fugiat vir unus ſocietatem reliquorum, an civitas una reliquarum civitatum aſpernetur? Et ſi Romani fugiſſent communionem aliorum, jam ſociales eſſe, & homines deſiiſſent; alii, qui Romanos abominarentur, homines fuerint? Hic ignobilitatem, vilitatem, infamiam gentis Romanæ rurſum accuſat. At a me antea ſatisfactum huic eſt parti. Et igitur iſthæc, quæ referebatur negati connubii, cauſſa injuſta fuit: quæ fuit falſa. Adeon' ignobilesque, vileſque: quibus nullæ poſſent mulieres copulari? Neque enim illuſtres, ac potentes, ſed feminæ, petebantur. [c] *Cum pare quæque ſuo coeunt volucreſque feræque: Atque aliquam, de qua procreat, agnus habet. Externis dantur connubia gentibus:*

&,

a *Ovid. 3. de ar.*

b *l. cum proponas. C. de tranſ. Alc. ibi. Bal. 1. conſ. 142.*

c *Ovid. 3. Faſt.*

&, quæ Romano vellet nubere, nulla fuit. Etiam nulla abjecta in illis populis, quæ nubere abjecto posset? Etiam nullus Romæ honestus, & generosus, cui par esse uxor valuerit? Plebeis cum plebeis, patriciis cum patriciis, paribus cum paribus verum jus nuptiarum fuit Romæ. Quid obloqueris accusator? Cum Latinis, cum aliis nuptiæ Romanis non negabantur. Erant & cum externis aliis. Tantum jus civitatis nuptiis istis non tribuebatur. At nihil juris civitatum cum Sabinis petiere Romani: jus gentium solum poscebant. Et poscebant quidem per honestissimas obtestationes pacifice. Ne tu mihi regeras accusator, quod & fabula est iisdem, [a] qui tibi narrarunt, auctoribus, connubia nostra petentes postea Latinos non auditos. Nam, si fabula hæc est vera, petierunt Latini connubia temporibus nostris iniquissimis, armati, positis castris ante urbem, nec ulla feria necessitate. Superbissimis imperatis concedere nihil oportuit. Honestissimis rogatis concedendum fuit. [b] Turpissimis, & internecinis hostibus Beniaminitis jus hoc raptus tributum est: qui damnati suo pessimo erant merito, ne uxores nanciscì possent. Et id decreti sancitum jurisjurandi religione fuit: vinculo Judæis supra jus sancto: fraus tamen visa necessaria est, & digna indulgentia, ne familia illa exstingueretur, ut, verbis decreti adservatis, sententia prorsus circumveniretur: datumque illis fuit, ut rapto acciperent, qui accipere de parentum manu non valuerunt. Et Romanis, immeritis immanitatem conjurationis, obiicietur hospitalis gratia, & fides adversum fraudem? *Quicquid erat*, responderit Seneca, *quo mihi cohæreret, interciſa juris humani ſocietas abſcidit*. Iterum dico, [c] *Qui per dolum reſiſtit dolo, is doloſus non eſt. Sic ars deluditur arte*. [d] Licet per dolum, per vim, per furtum persequi jus suum: etiam cum non sua, sed debitoris res capitur: ut sic te docent, Picene, tui juris magistri: in quibus & sunt, qui sic tenent, etiam cum magistratus copia est. Qua tamen de parte non contenderim: [e] nam ait lex, *non esse singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi*. Sed cum externis, cum his, qui judiciis non tenentur, & bella esse necessaria, & fraudem istiusmodi licitam, nemo negat. Atque si quæsitam, in urbe conditam defendere Romani rem Marte aperto vix valuerunt: an Marte ire quæsitum aperto conditam apud hostes debuerint?

a *Plut. Ca*

b *Jud. ult.*

c *Bal. 2. conſ.* 165. 188. 3. 73.

d *Alex. 1. conſ.* 135. *Alc. 7. conſ.* 5. 6. l. 31. *depo. Cott. me.* dolum. *Cov. 1. reſo.* 2. *Bal. l. 5. de juſt.*

e *l. 176. de reg. ju.*

Et fuit igitur hoc quoque neceſſe, ut fraude, & furto quærerent. Et hæc itaque obtenta merito neceſſitas eſt. [a] *Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium.* [b] Quod non eſt licitum lege, neceſſitas facit licitum. Non habet legem neceſſitas, ſed ipſa legem facit. Neceſſitas facit probabile, quod erat alias improbabile. Et propter neceſſitatem receditur a ſolitis juſte. Et id genus alia plurima. Neceſſaria raptio, & defenſio iſta fraudolenta adverſus fuit ſceleſtiſſimam conjurationem, & capitalem offenſionem. Et neceſſariæ defenſioni nihil non condonatur. Et contra ſceleſtiſſimum bellum nihil eſt, quod non jure rependi poſſit. Nihil non licet adverſus internecinum. Quid argutaris, actor? Ad quædam non debere nos per ullam compelli neceſſitatem? Probe. Sed an hoc tale eſt Romanorum factum? Hoc docendum. Doctum contrarium eſt. Etiam, nec neceſſitatem meis fuiſſe, tentas? Et in aſylo fingis copiam feminarum, & ab Alba accerſis? Scilicet ea eſt hujus ſexus audacia, ut ſuas & feminæ fugerint civitates. Scilicet ea eſt hujus ſexus occaſio, ut multæ vertere ſolum cogantur. Ridicule creditur, magnam aliquam ad aſylum fugam factam fuiſſe, ſive feminarum, ſive hominum. Feminarum copiam a patribus Albanis, ab avo rege arceſſis? Et neſcis, diſſidia eſſe adverſum colonias ſolere parentibus? Neſcis, Albam imperii æmulam Romani exſtitiſſe? At iſta mox tibi aperientur. Tu, mihi Tyrios relictos crudelitati Alexandri a Pœnis colonis, narraſti. Magnum Romuli animum vereri ſenex Numitor potuit: qui antea & per inſidias fratris de regno fuerat pulſus: & videbat, repeti juſtius per Romulum poſſe a ſe regnum, quod & per Romulum reſtitutum ſibi, & donatum fuiſſet. Metiris tu tenuiter regum pectora, atque conſilia ex noſtris privatorum. Nobiſcum jus valet gratitudinis: [c] principes odio habent, quibus ſe debere intelligunt. Nobis cara illa nomina, & arcta vincula cognationum: quibus nihil eſt in terris majus: ſed principibus majus quid eſt, & habetur: cui iſta omnia poſtponantur: principatus. Romulum non veritus eſſet Numitor: qui juvenem vidit imperii cupiditate ita flagrantem, ut mortem exſpectare ſenis longum cenſeret, & nova ſubito regna quæreret? Et quem vereretur, miſiſſetque a ſe libens, juvaſſet nunc; & creſcenti ejus, & jam vicinis verendæ potentiæ manum non ſubtraxiſſet, at tuliſſet opem? Iſtæ ſunt potentiſſimæ

a *Sene. 4. decl. 4.*
b *l. 27. de mate. c. 4. de reg. ju. c. 39. 2. q. 1. Bal. l. 5. de juſt. l. 10. C. de teſta. & 5. conſ. 435.*
c *Commin. 5.*

mæ conjecturæ, quæ a propria rerum natura, & ab experientia desumuntur quotidiana. Nihil dico, si potuit avus dare feminas: quæ patriam nollent deserere, animal intra tecta suetum, domique naturali verecundia veluti affixum. Nihil, si potuit rex Albæ civibus non volentibus, auxilio nepoti esse: quod a conditione regum prisci illius ævi facile fuerit denegare: cives autem Albanos noluisse, feminas dari, factum vicinorum plus satis ostendit: quorum nec alia erga Romanum crescens imperium affectio esse, & causa valuit. Nolebant, eum crescere regem, qui ipsis ferret se aliquando regem: & quem ipsi regem nollent, aut per feminam insertum stirpi regiæ; aut spurium ortum; aut transferentem alio decus regni, & sedem. Ecce iterum, & meliores causas tibi; propter quas, absque culpa sua omni, Romulus Albæ non regnarit: propter quas & quæsierit alias sedes: in quas missusque ab avo fuerit: qui sceptra Romulo sua relinquere non potuerit. Ecce autem, quod modo quærimus, necessitatem habes Romanorum, quærendi a vicinis connubia, Aut habes Romanorum probam, humanamque voluntatem: qui necessitudinem, & amicitiam cum vicinis quæsierunt maxime petitione ista, & isto facto connubiorum vel raptorum. Nam est a verisimili alienum aliud, ut hinc quæsita fuerit belli occasio: quasi aliæ multo justiores, & justitiæ evidentioris ad bellum deesse causæ potuissent: & quasi alia sit aut fertilior, aut paratior seges, quam occasionum est belli. Bellum inferre propter negatas nuptias potuerunt, & insuper aggesta probra. Bellum si provocare, non extorquere potius necessitudinem, voluissent: cur ille raptarum dilectus virginum: ut tanto videri minor læsio posset? An vero unum Minutium, auctorem non adeo aut re, aut nomine magnum isthic sequemur? [a] Nam alii de una vix Hersilia scribunt nupta: de qua una & capi Minutii illa possunt, *& nonnullas de matrimonio raptas*: alioqui solas rapi virgines, & a viris lædendis, & a mulieribus abstineri (quæsita belli occasione scilicet) jussum. Quamquam nec fraus magna, raptis mulieribus, in illa matrimoniorum infirmitate: & in illa confusione rapiendi, ubi professas mulieritatem vix discreviisses. Illa confusio est raptio sine more, quam Virgilius dicit. An & Virgilius, Romanæ gentis professus laudator, hic Romanos vituperet? [b] Sed sine more, id est, præter quotidianam consuetudinem, & usita-

a *Sext. Vict. Polyæn. 8. Serv. 8. Æn.*

b *Cic. pro Mur. Serv. Æn. 7. l. 32. de legi.*

usitatam rationem. [a] *Tempestas sine more furit*, &c. quæ ait alibi: quicquid ibi scribant Grammatici. Est sine ordine, & legitimis sollemnibus, & sine ceremoniis post inductis: [b] *Queis neque mos, neque cultus erat*: ut ait alibi. [c] Et ut Ovidius eodem sensu, *sine lege*, dixit. *In quem quæque inciderant raptæ*: inquit Livius. Hic est mos: exemplum non est: ut *sine more* Servius interpretatur, *sine ullo exemplo*. Immo enim nec sine exemplo fuit raptus: ut hoc ipsum explicat Dionysius. Quamquam & hoc ipsum quid esset, si sine exemplo esset? [d] *Delectabatur Duillius cereo funali, & tibicine: quæ sibi nullo exemplo privatus sumserat: tantum licentiæ dabat gloria*: inquit Cato. Cogebatur Romulus ad vim confugere, & ad dolum: ut sibi nullo exemplo raperet mulieres alienas: tantum licentiæ dabat necessitas: inquam egò. At Picenus, nec excusare necessitatem, quæ exemplo, auctoritateve aut generali, aut speciali non adfirmatur: & factum hoc sine ullo exemplo, & vituperatum ab omnibus. Quæ ego nego omnia. Propter necessitatem receditur a solitis. Factum hoc neque sine exemplo, aut auctoritate est, certe generali. Nam quid Dionysius scribit? Quod illud cum Beniaminitis factum est? Quæ jurisconsultorum auctoritates, licere per dolum, ac furtum consequi jus suum? [e] Etiam nec esse raptum, nec damnari oportere, si quod est aut justa, aut etiam injusta raptum caussa. Sed hic justa fuit: etiam justa, vel si amor mulierum fuit: [f] *si modo nomina rebus Addere vera placet, non hoc injuria factum, Verum amor est: neque erit nobis gener ille pudori*: ait Jupiter de raptu Proserpinæ. [g] Et Pisistratus filiis, qui gravissima malorum meditabantur in raptorem sororis. Quid, inquit, hostibus faciemus, si hæc amatoribus nostris fecerimus? Tu rides, Picene, deos illos. Et bene rides, sed mihi, qui tecum rideo: sed non illi tempori, quod illos venerabatur deos: & ad quod dirigi præsens judicium debet. Immo nec rides, sed excandescis: & sacrilegium accusas: quod Consi Dei consilium sceleri huic obtentum sit sceleratissimo. Animum rege tamen: cogita, stratagema hoc fuisse Romuli ad animandos suos: & commentum illis religionibus sacrilegum non exstitisse. Ita responsum & hic de sacrilegio sit. Sed & responsum de omnibus est per omnia. Neque enim exspectas, (scio) ut dicam etiam de Propertio: qui suum casum conqueritur, raptæ sibi amasiæ: itaque deos, itaque astra crudelia

a *Virg. Æn. 5.*
b *Virg. 8. Æn.*
c *Ovid. 1. de ar.*
d *Cic. Cat.*
e *Bald. 4. con. 345.*
f *Ovid. 5. Metam.*
g *Polyb. 5. Val. 5. c. 1. Plut. apophth.*

lia vocat. Et ergo concludam cum Plutarcho. [a] Raptus admiſſi a Theſeo (inquit) honeſto carent velamento: nam ſæpius, & nec nubilium, & citra neceſſitatem admiſſi: at Romulus ſemel, unamque ſibi aſſumſit: & neceſſarie coactus ad raptum eſt. Magnæ & meminit charitatis, qua habitæ raptæ. Addit, ſic factum, quod quærebatur, ut conjunctio cum vicinis eſſet. [b] *Horſiliam cerne, birſutos cum ſperneret olim Gens vicina procos, paſtori rapta marito, Preſſit leta thorum, & ſoceros revocavit ab armis*: & per eam conjunctionem mox potentia exſurrexerit omnium maxima. Sic eximium factum, & prudentiſſimum ad ſocietatem hanc laudat.

a *Plut. co. Tb. & Ro.*

b *Sil.* 13.

Nunc in ipſo iſto bello Sabino proditionem Tarpejæ virginis facit ſtratagema Romanorum Picenus. Romanos, veluti columbas veniente aquila, Sabino ingruente fingit exanimari. Ego vero vaniſſimam hanc partem accuſationis audenter affirmem. Quid enim ut Romani, quos vafros cenſet, & callidos, humeris puellæ rem tantam appoſuiſſent? Et in manu fecerint hoſtium, ut tenere arcem, neque adſervatis cum puella conventis, valerent? Ecquis hominum ineptiſſimus ita unquam confidit hoſti? Et non, quod factum eſt ſæpius, Romani in arce inſidias collocaſſent? Potuit commentum ineptum inire muliercula, ſed viri nunquam inierint. Et hoc igitur dixerit de ipſa Tarpeja Dionyſius. Et Tarpejæ bono animo ſollemnia debita ſic ſint. Et ſic Romani conſtituerint ſollemnes inferias. Aut quid etiam ſi Sabini: qui puellam contra pacta ceciderint: itaque placare illius manes voluerint? Videamus tamen de juſtitia. Licebat certe Romanis illa, quali, quali fraude uti. Sed non uſi. Itaque condemnatur Tarpeja jam non ab uno: [c] *illa autem, quæ tondetur præcordia roſtro alitis, En quantum reſonat plangentibus alis Armiger ad paſtus rediens Jovis, hoſtibus arcem Virgo, immane nefas, adamato prodidit auro Tarpeja, & pactis reſeravit clauſtra Sabinis.* [d] Et non aurum tamen adamatum, ſed Tatium regem, alii latius canunt. Quamobrem Sabinos accuſes tu, qui per turpe lenocinium exercent bella. [e] Juſtus ille Minos, arbiter conſtitutus mortalium (ut finxerunt) æternus, abominatus aliam eſt, quæ per ſui amorem itidem aperire ſibi arcem volebat. Cum Sabinis mox quid tentatum ſit aliud, præter pacem, a mulieribus, ſive ſponte inferentibus ſe inter volantia tela, ſive legatis, noſter divinaculus

c *Sil.* 13.

d *Prop. eleg.* 4.

e *Virg. Cel. & Ovid. Metam.* 8.

ex-

explicet. Nobis nihil conſtat aliud, quam quod traditum ab auctoribus eſt. Sed Romanis hic Picenus timiditatem exprobat: rectius Sabinis præter lenocinium, de quo diximus; & præter mercaturam, quæ aliena bellis eorum temporum; etiam impietatem, & inreverentiam religionum exprobaturus: [a] qui, nihil deos reveriti, quibus Romani operabantur, urbem ſolutiorem oppreſſerunt. Hoſtes crudeliſſimi, & impiiſſimi ſerias religioni hoſtium vel inviſiſſimæ tribuunt.

a *Prop. 4. eleg. 5.*

Nos tamen cum longa accuſatoris oratione longiores jam ſumus in Romulo. Quid fieret? Sic reis duplum temporis ejus ad orandam cauſſam ſuam tribuitur, quod accuſationi datum ſit. Sic decet in ſeminibus ponendis Romanæ civitatis elaborare plenius, ut ſurgat facilius, tamquam a robuſtis radicibus arbor eniteat felicius, conſiſtat firmius. Sic ſequentur deinceps omnia breviora multo, & expeditiora. Atque de plurimis quidem Romanorum bellis ſtat in partem noſtram tacita accuſatoris confeſſio: qui in bellorum numero innumero de pauculis tantum differtare auſus eſt. Sed ubi tamen homini mens, cum a Fidenatibus exorditur? Non ipſi igitur Fidenates bellum concitarunt per rapinas, & populationes? [b] At ſcribit fidus ille, & cautus ſcriptor, Livio prælatus, Floro incomparabiliter præferendus. Quis hic Florus, ut ei contra Livium, & Dionyſium fides detur? Immo ager aliquis Romanus fuit: ſi nunquam colonia educitur ſine agro: quod antea dictum eſt. [c] Et Strabo agrum aliquem Romulo tribuit: tantum abeſt, ut neget cum Floro glebam. Aut num iſte loquitur hyperbolice, & de minutulo modo intelligit? Et tamen poſt Ceninenſes, Antemnates, Cruſtuminos victos, & colonos ubique factos, etiam & poſt Sabinos in civitatem receptos, latusque fuerit agri Romani modus, neceſſe eſt: de quo itaque rapere, prædas abigere Fidenates potuerint. Iſta ſic itum contagione per alios proximos: qui, creſcentis civitatis invidi, vexare Romana arma non deſiterunt: donec victi, & ſub imperium facti ſunt omnes. Sic itum in Vejentes: qui bellum Romulo movent, calamitate cognatorum commoti Fidenatium? timore colonorum Romanorum perculſi, poſitorum Fidenis. Neque ego Vejentum noto aut timorem periculi fui a præſidio tam propinquo; aut commiſerationem, & ſtudium erga cognatos. Sed & Romani juſte cum Fidenatibus victis egerunt, & mox

b *Dionyſ. 2. Liv. 1.*

c *Str. 5.*

mox Vejentibus arma inferentibus reſtiterunt. Ut ſic juſtum eſſe bellum utrinque poteſt. Camerinis quis neget bellum factum juſtiſſime? Colonos Romanos, ſecum habitantes, ſuſtulerunt inſidioſe. Atque hæc bella ſunt Romuli per annos propemodum quadraginta: confecta (opinor) diebus non amplius quadraginta. O bellicoſum regem, & bellandi libidine *inſanum!* Etiam non vituperaveris cum iſto Romulum verbo, non. [a] Inſanum eſt magnum, adi ad Grammaticos. [b] Audies enim, Regulum ſic laudari, *inſano pugnæ tendebat amore*: & Hannibalem, *germanum furor acer agebat optata pugnæ*. Scilicet heroum virtus, quæ multo excedit communem hominum, non niſi his verborum exceſſibus notari poteſt. Et hoc urbis exordium: & Romuli regnum hoc eſt: ita cœptum, ita ductum, ita auctum juſte: occupatum vi, & armis; ſed abque injuria; ut vis, & bellum abſque injuria quoque eſt. [c] Sic juſtum ajunt & interpretes juris Romanum imperium, quod conſenſu partim, & partim enſe quæſitum fuerit, ſic theologi, & Auguſtinus. [d] *Pro tantis bellis ſuſceptis, & geſtis, juſta defenſio Romanorum eſt: quod irruentibus ſibi importune inimicis reſiſtere cogebat non aviditas adipiſcendæ laudis humanæ, ſed neceſſitas tuendæ ſalutis, & libertatis.* Audis aliam neceſſitatem, quam quæ a te dicta eſt, acculator, Romanorum bellorum, & Romanæ nunquam quieſcentis civitatis. En, inquis, alterum teſtem: nec nominas: & injuſte facis: [e] nam eſt inauditum, teſtium, & accuſatorum nomina non audiri, & legibus averſum bonis omnibus. Iniquitas aliorum (ait Auguſtinus) faciebat, ut bella juſte Romani gererent: & ut, juſte ſic gerendo bella, imperium adeo magnum compararent. *Poſt ubi pericula virtute pepulerunt, ſociis, atque amicis auxilia portarunt: & decenter his artibus Roma crevit.* Importunitatem, iniquitatem aliis tribuit Auguſtinus: neceſſitatem defendendarum rerum cariſſimarum, & juſtitiam bellorum, & decentiam principatus parti Romanis. Sileat de injuria Florus: [f] niſi eo verbo bellum intelligit non inſolite. Sileat de Romulo, & regibus ceteris Minutius: nam probus oſtenſus Romulus eſt: & jam ceteri defendentur probi.

a *Serv. Ecl. 9. Georg. 1.*
b *Sil. 6. 19.*
c *Bal. l. 3. lect. 3. ff. de off. prat.*
d *Aug. 3. 4. de civ.*
e *Pla. apolog.*
f *l. 19. de capt.*

CAP.

CAP. III.

De bello Albano, Tullo rege, & ſequentibus.

TUllus ſequitur. *Hic ferocior Romulo, undique materiam excitandi belli quærebat:* Sed tamen dum injuſte fecerit nihil, tu reprehendere eum non potes. [a] *Sævior ingeniis, & ad horrida promtior arma, Non ſcelerata tamen.* Sed tu reprehendere regem noſtrum non potes: propter affectus iſtos ætatis, virium, avitæ gloriæ. Ut his ſtimulatum Tullum, idem narrat Livius. Naturæ paremus omnes. *Continuo pecoris generoſi pullus in arvis Altius ingreditur, & mollia crura reponit: ſtare loco neſcit.* A natura non datas vires fruſtra, intelligimus omnes: quibus veluti ſtimulis amor agitatur laudum, & conſcia virtus. Deprædicata omnibus eſt vox Themiſtoclis, quemadmodum trophæa illa Miltiadis in campis Marathoniis ſe ſomnum capere non paterentur. Sexcenta ſic ſunt. Sic philoſophis virtus eſt fortitudinis, etiam heroicæ, quæ amat in periculis eſſe, & omnibus horribilibus, ubi fulgeat, & vireſcat. Aut quis ille eſt potens rei alicujus, qui & non optet, & non quærat occaſionem oſtendendæ ejus facultatis ſuæ: quam, natura magiſtra, non eſſe ſibi fruſtra velit? Hæc reprehendere Picenus non debuit: ne gigantum fraterculus & facere contumeliam, bellumque naturæ videretur. Reprehendere natales nec debuit Tulli. Tenetis, quæ ad natales Romuli, reſpondebam? Etiam qui reges olim niſi paſtores? Et quo alio reges nomine dicti, quam paſtorum? Et unde fierent reges optimi, & vero facti ſunt niſi ex paſtoribus? [b] Quæ ſapientes viri explicarunt? Ceterum & majores Tullum nobilem vincunt Hoſtilii nobiles. Ceterum de viri virtute videamus: &, quæ ejus non putentur, ei nec in judicium attrahantur. In patres Albanos bellum movit, Romanos reſides ut moveret in arma viros? Non hoc Virgilius cecinit. Et tamen, ſi per juſtam occaſionem (huc, huc) quæſitum id eſt, non etiam reprehendes. Scilicet cum Jove, *nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno*: Et cum omnibus: qui norunt, hanc bene regnandi eſſe rationem. [c] Magnus ille accuſatoris noſtri auctor Cardanus in quinque cauſſis, quibus bellum juſte ſuſcipitur, hanc accenſet, ut milites in diſcipli-

a *Ovid. 1. Metam.*

b *Phi. Joſe. Moyſ. Serv. 11. Æne. Cl. Ale. Str. 1.*

c *Card. ene. Ner.*

plina contineantur. [a] Ait autem Dionyſius, invidiſſe Romanis Cluilium regem Albanorum: &, non habentem cauſſam juſtam, aut probabilem concitandi Albanos ad bellum, curaſſe, fieri prædas: quod belli materia eſſet. Livius actas narrat invicem prædas: & negatam reſtitutionem ab Albanis prius. Ubi Tulli improbitas? Quod curarit callide, ut primi negarent Albani reſtitutionem? Id neque accuſator exprimere auſus eſt. Nam licet liquido, cauſſam ſuam procurare meliorem, adverſariorum deteriorem. Et Albani erant audiendi prius, qui rapuerant prius. Cur non reſtituunt primi, qui primi rapuerunt? Aut reciperent ſua, qui reſtituere aliena negaſſent? Et ſic igitur ipſi agnoſcunt Albani a partibus ſuis injuſtitiam & confitentur: *Ego, regem noſtrum Cluilium cauſſam hujuſce eſſe belli, audiſſe videor*: inquit Metius, Albanorum dictator: apud Livium quidem, ſuſpectiſſimum accuſatoris. Sed & Dionyſius, (ut monui) laudatiſſimus accuſatoris, hoc idem de Cluilio conteſtatur. Adfirmetur ſuſpecti teſtimonium teſtis ab idonejori. Hæc itaque belli ſuſcipiendi cauſſa. In autem gerendo quid eſt factum improbe a Tullo, aut crudeliter? Quid apud Livium, Dionyſium, alios hujus legimus rei? Picene: fortem decet eſſe, & diligentem in evoluendis, & evincendis criminibus accuſatorem: ſed mendacem, atque falſarium (non Memmium metuis?) eſſe non decet. Mendacium impudens, atque apertum ut hoc tuum eſt de improbiſſimis, & crudeliſſimis rationibus Tulli in bello iſthoc, quas notarint hiſtoriæ, ne quidem ex parte accuſati, & in patrocinio rei ferendum ducitur. Apertum mendacium: quod apertis libris apertum eſt. Compoſitum trigeminorum certamine bellum eſt. Et in ea compoſitione manſiſſet, ſi tu dictis Albane maneres. Quæ enim de Albæ exſcidio tragice traducit accuſator, ea penitus vana ſunt. Pœna fœdifragorum poteſt multo eſſe major. Albam diruit Tullus, parentem quidem: ſed ([b] ut ſolent cum coloniis eſſe diffidia) & imperii æmulam; quod itidem adfatetur dictator Albanus. Et ego quidem fatear, coloniam omnem oportere honore proſequi metropolim ſuam: ſed ſi ſibi ab ea fiat bene: quod ſi enim male fiat, & ſecedendum ab ea eſt. Neque enim coloniæ emittuntur, ut iis ſerviant, qui relinquuntur, ſed ut ſint pares. [c] Quæ olim contra Corinthios Corcyræi veriſſime. Nam pars civitatis emittentis eſt emiſſa colonia:

[a] *Dionyſ.* 3.

[b] *Pla. 6. de legi.*

[c] *Thucyd* 1.

a *Oroſ. l. 5. c. 4.* nia; adeoque par. [a] At *Albani parentes* (audi tuum Oroſium) *ipſa ab initio Romani nominis germina perſecuti*. Iſti illi ſunt [b] parentes ſanguinolenti, qui recens natos abiiciunt. Iſti illæ immanes feræ, quæ recens natos ſuos devorant. Attamen Tullus civitatem renovavit potius, & in meliorem fortunam adſcivit: quam tranſtulit in Romanam, & multo quidem cum honore, ac juris æqualitate. Plebem Albanam civitatis Romanæ fecit cum Romana plebe participem: patres Albanos patribus Romanis conſcripſit. Et itaque non tam periiſſe Alba videretur, quam in ſuum corpus rediiſſe. [c] Quod & hiſtorici dicunt. Mittit alia Tulli accuſator. Nec enim videt rimulam, ubi ſuos figere ungues reprehenſionis carptorios poſſit. Et ſic reliquos reges (ſententia neſcio qua generali contra omnes lata, accepta contentus) ſilentio multo involuit. Sed evolvo ego: nec patiar, aut in tempus conferri, aut ad laudem ſive brevitatis, ſive modeſtæ accuſationis referri, quod a mala liquido cauſſa eſt. [d] Bellum cum Fidenatibus, & Vejentibus habet Tullus rurſus a Romulo. Cur? Negabant illi. ſupereſſe ſibi quidquam fœderis cum Romanis, mortuo Romulo. Quod & Latini reſpondent Anco mox de fœdere icto cum Tullo: & Tarquinio poſt de fœdere icto cum Anco. Et Hetruſci reſpondent Servio de his, quæ cum Tarquinio pepigiſſent. Et reſpondent Sabini Superbo de pactis cum Servio. Quæ frivola cavillatio: & eo iniquior: quo frequentior, & in majoribus rebus. [e] Ipſi Romani utique ſtare debuiſſent conventis Albanorum cum aliis, ſi alii petiiſſent: & obligatio eſt ex jure unionis civitatis Albanæ cum Romana. Cur non igitur alii ſtare iiſdem conventis debuerint? Soloque cum Romulo fuit fœdus Vejentibus, quod fuit in centum annos? Et fœdera cum regibus, non cum populo Romano contrahebantur? Aut fœdera cum Romulo rege, non cum Romano rege contrahebantur? Relegatur formula fœderum. Bellum & Sabinis indicit Tullus: quod utrinque factæ eſſent injuriæ: & res nequidquam repetitæ eſſent. Sed Sabini ad Feroniæ fanum, mercatu frequenti, negotiatores Romanos comprehenderunt: ad locum, qui religione habuit tutos præſtare omnes: [f] in tempore, quod per ſummam libertatem congregare mortales ſolet: eos homines, quibus paſſim ſecuritas, & privilegia ſunt contributa. Quid hic Sabini? *Suos prius in lucum confugiſſe, ac Romæ re-*

b *l. ult. C. de pa. qui ſi. ſu. diſ.*

c *Jor. de re. ſucc. Flor. 1.*

d *Dionyſ. 3. 4.*

e *Decian. 2. conſ. 14.*

f *Alc. 5. conſ. 23.*

tem-

tentos. De re tranſacta ante bis quadraginta annos, hoc eſt, de bis præſcripta, perque longiſſimarum bina tempora præſcriptionum, reſpondent. Etiam poſtquam Tatius in urbem convenit. Etiam poſtquam Numa omnium circa finitimorum animos fœderibus, ac ſocietate vinxiſſet. Et hæc Tullus. *Sequitur jactantior Ancus*. Qui Latinis deſpectus, Numæ nepos: id eſt, deſes quaſi ut avus intra ſacella, & aras acturus regnum. *Incurſionem faciunt in agrum Romanum: & repetentibus res Romanis ſuperbe reſponſum reddunt. Sed medium erat Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor*. Et itaque jactantior: qui unus duorum præſtantiſſimorum regum gemina virtute fulgebat belli, & pacis: [a] aut vir ſane popularis, & qui favorem amaret populi: ubi laus hæc prima regis iſtius eſt. [b] Etiam jactantia ſui non vituperetur, quæ ſæpe neceſſaria: ut hic, cum vindicanda eſt noſtra a calumniis exiſtimatio. Verumenimvero Ancus jam non vituperatur ab accuſatore: ſed laudatur: qui, jure invento fæciali, iniquitatem deceſſorum ſuorum damnaverit. Et hic dicitur a Servio honorato teſtimonium. Quem & ego quidem honorem bonum, & honoratum Grammaticum. [c] At quis mihi aurum Servii colliget tot inter ſordes interſperſas, & dicat, Servius hic eſt? At oſtendimus nos, nullum illatum a Romanis bellum hactenus non juſtiſſime. At vero Lactantii verba non moror. Afer ille, non a Firmo Piceno, ut auctor neſcio quis de Piceno nuperus putat. Oſtendemus & reliqua (quod contra iſtum ſit) bella Romanorum juſta. Interim Afer: & Afrum item qui ſe præſtantior incomparabiliter, contra habet, Auguſtinum. Non audiſtis? Noli illud ridere Africæ. [d] Ille Servius ſic deprehenſus alibi gratificari huic ſuæ genti. [e] Sic Afri dicunt Africam decus terrarum. Audivimus nunc tres cauſſas, cur bellum Ancus Latinis fecerit, ſui deſpectum, fœderum rejectionem, rapinas. Quæ ſingulæ juſtæ. Et quod Latini negabant, nihil ſibi cum Romano imperio, etſi ſibi fuiſſet cum Albano, ſane injuſtum erat perſpicue, ſane injuſtum. [f] Nam aut unita civitas Albana erat Romanæ, & ſubdita; atque quæ omnia erant civitatis Albanæ, tranſierunt in Romanam: maxime quando & exſtincta Albana erat: aut duæ hæ civitates erant ſimul unitæ: & Albanæ igitur adhuc ſtanti cur non paretur, ut prius? Vere tamen exſtincta hæc erat, in Romanam translata tota funditus. Dicam

a *Serv. 6. Æn.*

b *Plut. quo. q. P. ſe lau. Card. 3. de ſap.*

c *Mag. 1. Miſc. 2.*

d *Juni. Terr. de pal. c. 1.*

e *Sext. Vict.*

f *Eng. l. conſ. 43.*

definitiones juris hic captas? Si paterfamilias arrogatur, omnes, qui ei subsunt, veniunt simul in potestatem arrogatoris. Capellæ, & beneficia Ecclesiæ, quæ unitur, transeunt in potestatem, & qualitatem Ecclesiæ, cui uniuntur. Si evincitur Ecclesia, cui sit unio, etiam unita evincitur, &c. Et sic bellorum (ut dico) justæ causæ. Bellatum civiliter, & more antiquo miti: ait Dionysius. Finitum bellum sollemni more Romano, victis in urbem adsumtis, & collocatis. Atque hæc Ancus.

Vis, & Tarquinios reges? Prisco bellum a Sabinis illatum prius, & deductum ad portas urbis, quam, non dico, res essent repetitæ, & ipsum indictum, sed ne intellectum quidem esset. Etiam Latinis tulere adversum nos auxilia. Et itaque cum Sabinis bellatum. Bellatum cum Latinis: qui fœderibus cum decessore ictis abnuebant persistere. Bellatum cum Hetruscis: qui se contra steterant cum Latinis. Hæc Prisci.

a *Dionys. 4.* [a] Servii bellum memoratur cum Hetruscis gestum: qui nihil sibi cum Servii imperio; nihil cum societate; nihil cum amicitia esse dicebant: quæ cum Prisco pepigissent.

Sic & Superbus justa movit arma in Sabinos: qui, sollemni hoc sophismate, post Servii mortem detrectabant pacta cum rege, & Romano populo. Quamquam istum regem ego non tuear: quem populus semper est detestatus. Sed dicendum sit tamen, moviſſe illum justa arma in Pomptinos: qui legatis nostris res repetentibus responderunt superbe: hoc est per facinus, & scelus ingens: b ut superbia apud majores sic accipitur: & ut sic Tarquinius hic est Superbus cognominatus. Movit in Gabinos, & Volscos: qui contra se pro Pomptinis arma tulerunt. Quid ais fraudem in Gabinos malam? Fraus in hostes est bona. Minime Romanam dixisses cum Livio: & vicisses non magnanimam, non heroicam: sed nec vinceres propterea imbrobatam gentibus, aut aliter injustam. Ergo is quoque *nec, ut injustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit: quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in aliis huic quaque decori obfuisset.* Audin' quale tuum argumentum a civilibus gestis ad externa? Ais, Romulum senatorum manibus discerptum: *manavit enim hæc quoque, sed perobscura fama:* inquit Livius. Quæ valida probatio est acculatoris, maxime accedente convicio Maximi: quod & ab eadem est fama. Et quisquam mortalium credat, agi ad illum modum cum

b *Serv. Æne. 11.*

Ro-

Romulo potuiſſe, vel ſi terræ miſceri cælum contigiſſet, qui trecentis ſtipatus ſemper militibus ſtudioſiſſimis cingebatur? Ridet adverſarius, ſublimem raptum procella, & translatum in cælum. Atque ego de cælo etiam rideo. Sed procella cur raptus non fuerit? Id affirmat Plutarchus, & aliis quidem exemplis allatis. [a] Id magicum factum affirmant alii: an vero hoſtis iniqui magicum? an factum dæmonis, qui novum excitare idolum voluerit? an etiam ipſiuſmet Romuli? cui aut philoſophi illius fuerit mens, qui in fornacibus Ætnæ induere opinionem voluit divinitatis; aut etiam mens Alexandri, qui in fluentis Babyloniæ ſibi idem deſtinarat? nihil hoc ad juſtitiam, quam hominum quærimus. Si ſibi Romulus magnus, qui ſibi civitati ſuæ animos facere voluit, ſapiens, patriæ amans. Si Romulo dæmon maleficus: quis vi majori obſiſteret? Si maleficus hoſtis, & hoſtis quoque eſt injuſtitia: quæ in genero iſto cum eſt frequentior, hic quoque fuerit veriſimilior. Tullus magicis item, procuratis male, periiſſe narratur conſtantius. [b] Aræ apud majores non incendebantur: ſed ignem divinum eliciebant (hic Jovis illius Elicii) precibus: hæ male conceptæ mortem cum igne eliciebant. Atque ſic facere dæmones ſoliti: ut ſunt æmulatores Dei veri: [c] qui filios Aharonis, ſacra ſua non rite tractantes, immiſſo a ſe igne interfecit. Et illum interfecit, qui notanti arcæ manum admovit imprudenter. [d] *Scilicet in ſuperis etiam fortuna luenda eſt. Nec veniam, læſo numine, caſus habet. Omnis & in magnos culpa deos ſcelus eſt.* Sic rectius, quam illic, *At bene ſi quæras fortunæ crimen in illo, Non ſcelus invenies, quod enim ſcelus error habebat?* Sic eſt de Tullo. Tui faceſſat hinc teſtimonium Zonaræ. Ancus autem ſi inſidiis periit, an illico inſidiæ a Tarquinio exſtiterunt? De inſidiis præſtat nobis (fateor) aliquod argumentum Plutarchus: neque tamen aut expreſſum ejus de Anco eſt teſtimonium, aut de Tarquinio ullam præbet conjecturam. Et Tarquinius cur vituperetur, ſi regnum, nemini debitum, at patens omnibus, affectat a populo, hoc eſt a domino? Et curat, ſe, non impuberem Anci prolem, præfici regem bellicoſæ, & jactatæ tum civitati? Cur iſte, cur Servius regni audiant invaſores? *Servius tanto ejuſdem conſenſu populi electus, quanto haud quiſquam alius ante rex declaratus eſt: & voluntate patrum a principio ſtatim regnavit.* Huic proles regia Priſci non obii-

a *Bod. 2. dæm. 4.*

b *Serv. 12. Æn.*

c *Lev. 10. 2. Sam. 6.*

d *Ovid. 2. Triſt. 1. & 1. de Po. 11. 7. Met. 3.*

obiicietur: quæ regnare etiam fuiſſet dignior. [a] Nam & populi beneficium nec eſt dignitati cujuſquam obſtrictum: [b] & nec Hallius, nepoſve Priſci Superbus fuit: ſed aut filius, aut nepos fratris, qui Collatiæ in præſidio derelictus. Superbus vere regni invaſor: & quem ferre populus nequiit. & cujus unius ſuperbia fuit cauſſa, ut ipſa quoque regia dignitas tolleretur. Quid hic arrodit Oroſius? Quid ad te, quid hic, aut ille de re velit facere ſua? Regnum populi erat. Regnum habere populus noluit. Clamat anus Sicula, ſe vereri progeniem patribus vitioſiorem. Et hoc quoque probat Picenus argumento, reges omnes improbos exſtitiſſe, quod ſtatum ipſum regium paſſus diutius non eſt populus. Et hoc quoque ſic torquet extra civitatem, quia non ſic ſint habitus animi, ut veſtes variabiles facile, & momento. At boni oſtenſi ſunt omnes. Quid argutamur? *At libertatis originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod diminutum quicquam ſit ex regia poteſtate, numeres: omnia jura, omnia inſignia primi conſules tenuere.* Et hæc infantia populi Romani eſt, innocentiſſima. Deſine, tu accuſator, tragica ſcelera, parricidia infanda clamitare. Non hæc Pelopis regna. Non hic crimen per ducentos potes notare annos. Hæc infantia populi Romani: [c] cum is, veluti in cunis Hercules angues novercæ aggreſſores robuſta ſtrangulavit, ſtravitque manu, ſic vicinos illos invidiſſimos, inquietiſſimos, etiam Albanos, non patres amplius, at ſæviſſimos vitricos, fregit, domuit, adegit ſub imperium, docuit, eſſe quietos, & ſibi obtemperare melioribus.

a *Cic. pro Mur.*
b *Vall. jud. Liv.*
c *Serv. 8. Æn.*

CAP. IV.

Bruti, Scævola, Africanus, alii.

HInc verius, & certius agitur de geſtis populi Romani: quippe jam liberi. Sed liberatori Bruto ſtatim obloquitur accuſator. Objectat inhonoram ſimulationem fatuitatis, proditionem in cognatum regem, perfidiam in collegam innocentem. Nominat autem mihi Socratem: qui oratione, ſibi a Lyſia compoſita, uti noluit. [d] Sed tamen nec licebat Athenis, alterum alteri patrocinari: adeoque nec fraudem iſtam facere legi, & alterius

d *Quinct. 2. c. 16.*

terius uti alterum oratione. [a] At ad diſſimulationem dicam Ulyſſem? qui mentitus eſt inſaniam: dicam Metonem? dicam Solonem? [b] dicam, qui finxit ſtultitiam multo luculentius, Davidem? *Stultitiam ſimulare loco, ſapientia ſumma eſt.* [c] Duplex eſt ſapientia: ut ſcribunt, qui ſcribunt de ſapientia: & qui ſapientiſſimos hic illos appellant, Ulyſſem, Solonem. Neque vero par Socratis cauſſa, & Bruti eſt: ut oratio quoque oſtendit adverſarii. Ille enim anteactam vitam bene multam infamaſſet, & ſæpius traditam aboleſſet doctrinam de contemtu mortis hujus: & vir auctoritatis ſummæ exemplum edidiſſet omnibus periculoſiſſimum. [d] Non hac noſtra (Eleazarus inquiebat Macchabæicus) ætate dignum, & canicie, ſimulare: exemplum relinquere aliis ignobile: & meæ maculam ſenectuti comparare abominandam. Is ajebat, quod & tu argumentaris, Picene, propter paululam iſtam, & momentaneam vitam non oportere leges Dei deſerere: qui judex nobis æternus eſt. Ceterum neque Bruti factum, quale Eleazari, erat: neque nobis defendendi Romani ſunt ad Dei legem: qua & Romani condemnantur, & Græci, & barbari. Laxius hoc judicium datur. Et Brutus igitur in ipſo ætatis ingreſſu magis habuit de futuro, quam de præterito cogitare. [e] Venit autem mihi in memoriam Cato Uticenſis: qui per mortem quidem ſibi fugam a ſervitio fecit: filio tamen, & aliis ſervitutem ſubire ſuaſit, & in meliora ſe ſervare tempora reipublicæ. Neque enim alii, ut ipſe, infracta ſemper uſi libertate eſſent: ſed ceſſerint temporibus ſæpe, & tempeſtatibus: aut in experimentum nullum antea venerint. Quæ & M. Tullius pro ſe, pro aliis, qui verbis efferebant Catonis facinus in cælum, nulli imitabantur. Ad ſectam Stoicam, & perſonam Catonis, adque perſonam Socratis hæc pertinent facta. [f] Et ne neſcias tamen, Picene, ipſe etiam Cato deſeruit aliquando propoſita ſua, ſive vincente juniorem illum infirmitate humana, ſive quia nihil a pertinacia ſua commodi videret publici, ſolum ſuum incommodum. Etiam natus, eductus Cato in civitate libera: at Brutus in ſerva, ſub tyranno. Ut impar ſit ſemper a Catone, & ſimilibus ad Brutum ratio. Brutus & in patriæ commodum ſimulavit: & per commodam mox occaſionem juvandæ patriæ eam mox fatuitatis ſimulationem fortiter poſuit. Semper cogitavit de commodo patriæ: quod res omnes geſtæ

a *Plut. Alc. & co. So. & Popl. Juſt. 2.*
b *1. Sam. 21.*
c *Card. 3. de ſap. Cic. 1. de off.*
d *2. Mac. 6.*
e *Dio. 43.*
f *Dio. 38.*

gestæ sequentes ostenderunt luculenter. Qui mihi osculum terræ latum criminaris? Non illud necessarium, ne prævenissent Tarquinii? Non necessarium, ut novum regnum, consulare suavius, ipse induceret? Etiamne perfidiam fidelissimo patriæ vindici objectare? Id vero neque justi est, neque vehementis accusatoris, sed absurdi, & impotentissimi calumniatoris. Nam de tyranno quid dicant? Nullum est jus, quod quemquam arceat a pernicie ipsius: [a] ut pleni sunt omnes omnium auctorum ea de re libri. Et de avunculo quid respondeam? Exsuisse necessitudinem istam, & abjeciſſe avunculi nomen avunculum prius: qui Bruti fratrem occiderat. Neque Brutus alter, hujus progenies, certe imitator, aut vituperatur hic, aut vituperari potest: Siquidem nec est verum, Cæsari eum exstitisse ingratum, cui debebat nihil: ut hoc Seneca censet: de quo auctore retulit tam multa verba accusator. In jus dandi beneficii injuria venerat Cæsar: ait Seneca. [b] Et hoc beneficium est latronum, commemorare posse, iis se dedisse vitam, quibus non ademerunt. Imprudentiæ damnat Seneca Brutum, & alius non nemo hodie. Belle sane post exitum. Sed si recenti adhuc tyrannide, & nullis ei comparatis subsidiis, ac munimentis tempus ejusdem oppugnandæ, atque tollendæ non erat: an firmato post successore Octavio idem fuisset? cum aut superfuisset nemo, qui aut vidisset libertatem, aut servitio non insuevisset? Viden', Caligula occiso nec potuisse libertatem restitui? Sed & post crudum hoc servitium Cæsaris, Octavii longas fraudes, Tyberii libidines, Caligulæ furores eduxerit pavitantem, & stolidum hominem Claudium ad fastigia dominationis. Verum si judicium istud judicandum fuisset, cum puer esset Octavius, & pugnabant inter se Juliani: aut cum obsessa Italia a Sexto, Oriens totus ad usque littora maris superi tenebatur a Bruto potenter: aliam dixissemus sententiam semper in eum diem, qui postremus Bruto, & [c] improspere (non imprudenter) repetitæ libertati fuit. [d] Sed iniquissima hæc est ratio judicare ab exitu. Sed injustitiæ (quæ propria modo agitur causa) damnatur Brutus: qui optimam, & necessariam reipublicæ formam subvertit: & sustulit principem, in quem juravit. De optima tamen forma unde probatur? [e] Est quidem monarchica ceteris dignior: sed non propterea melior est, & semper aptior. Aut etiam, quod de regia sta-

[a] *Sæv. 10. epit. etb. 23.*
[b] *Cic. phi. 2.*
[c] *Tac. ann. 1.*
[d] *Plin. 5. Ep. ult. Plut. Bru.*
[e] *Pies. 10. ci. ph. 11.*

ſtatu diſputatur, id de tyrannico, qui erat Cæſaris, & qui eſt omnium deterrimus, fiet? Aut quæ audiuntur aliquando de ſimplici regio ſupra ſimplicem optimatum, eadem ſupra utrumque mixtum & populi, qui Romanus, & qui eſt omnium optimus, vera erunt? Etiam unde illa neceſſitas monarchiæ probatur? ut credere ita poſſimus, optimam hanc exſtitiſſe pro illorum temporum occaſione: & non tam interiiſſe civitatem, quam renatam in melius. Immo enim imperium illud ampliſſimum, diffuſum per varias, & feroces gentes plurimas, rectoribus indigebat plurimis, & diverſiſſimis. Quid Q. Catulus, M. Cicero, alii ejuſcemodi viri optimi, & præſtantiſſimi artium pacis in bellicoſis provinciis valeant? Quid Marius, quid ipſe Cæſar, alii alieni ſtudiis pacis in procurationibus pacatis, & otioſis? Sed & arduum ſemper, & ſubjectum fortunæ, nec unius mentis moles, regendi cuncta onus: & plures facilius munia reipublicæ ſociatis laboribus exſequuntur. Ut ita pro magnitudine ejus imperii, ſorte infideliter, at digne Tyberius differebat. Oſtendunt ſequentia tempora veritatem orationis: cum cogerentur ſæpiſſime imperatores adſciſcere ſibi collegas imperii: qui rem regerent ſuam, non ſervi procurarent unius domini utilitatem. Et ſic illud imperium partitum ſæpe in plures fuit. Tantum vera poteſt neceſſitas ſupra que naturam regni: quod (& vulgo dicitur) non capit duos. Sic eſt, ſic in imperio Europæ, Africæ, Aſiæ. Ut ſi princeps pede premat Aſiam, jam Europa aſſurgat, & Africa, quod vides, ſedentibus Coſtantinopoli imperatoribus. Ut, cum ruptis obicibus, & aggeribus hinc, atque inde, inundet aliqua fluvius, neceſſe eſt: dum illi ubique obſtruere nequit agricola: ita imperio illi factum cernis per inundationes varias barbarorum, fruſtra excurrentibus principibus in diverſa terrarum, impotentibus ad omnes partes ſimul ſtare, & obſiſtere contra. Non mihi unas Aſiaticas gentes ampliſſimas, & regnatas unius imperio diutiſſime quiſquam commemoret. [a] Molliores enim illæ, & ut facie, ita moribus ubique ſibi ſimiliores. At ſola Europa, imperii Romani pars, quantam habet diſſimilitudinem? quantam ubique difficultatem? Non mihi aſſerat Dion, popularem ſtatum, evectum ad imperium magnum, recte eſſe non poſſe. Neque enim magnitudo perdit, ſed pravi mores perdunt formam reipublicæ. Nihil dicis de ratione? quam nominas, Dion, pro

a *Hipp. de aer. aq.*

assertione tua. Nihil de experientia dicis. Respublica Carthaginensis, & Romana stetere diu. Stetere diutius, quam minores aliæ. Aspice ad Græculas tuas. Me tamen decet esse brevem. Adi ad Aristotelem, qui unus docet omnes: [a] & qui respondet tibi, immo in majoribus civitatibus non facile aliam, quam popularem posse esse regnandi formam. Tu autem accusator quid agis? Ais mox tyrannum Cæsarem. Jus autem jurandum tyranno præstitum obligat? Ubi justitia? Hæc est tribuere cuique suum. [b] Sed latroni scelestissimo non debetur, quod illi nunc promittitur juramento. Ubi judicium? Abest mens tyrannum expavescentibus: & itaque jure legitimo omnia rescinduntur, juratque, quæ sub tyrannide gesta sint. Ubi veritas, reliqua jurisjurandi comes? sine quibus nec est jusjurandum, sed perjurium, adeoque nec observandum. Tyrannum dicere principem, sanctum, patrem patriæ id genus aliis nominibus, quæ metus congessit in Cæsarem, id vero ab omni vero alieniſſimum est. Non pudet, fœdi Cæsariani mancipii, ac fugitivi, Valerii Maximi verba pro Cæsaris principatu recitasse? Valeat homo iste; audenter dico, valeat: valeat sive cum [c] parvitate, quam ipsemet suam accusat, sive cum pravitate, quam hic cernimus suam ad unum omnes. Valeat hoc loco, vir alioqui vere maximus, Dion: [d] qui, item verius tyrannos, sic scripsit adversus Brutum: pro quo Bruto scripserit Plutarchus, multo maximus: [e] An non etiam ille Stoicus, vim veritus tyrannidis, sic carpit generosos istos libertatis ultores, Seneca? Valeat Hetruscus poeta, sane valeat: qui, in jus pervadens pontificis, nec Brutum solum aliosve tales, sed & (nefas Gibellini hominis) ipsos pontifices pro arbitrio trudit ad tartara. Fremant omnes licet, [f] *deorum est immortalium beneficio, & munere datum huic reipublicæ Brutorum genus, & nomen ad libertatem populi Romani vel constituendam, vel recuperandam*. Fremant omnes licet, testimonium hoc verissimum est. Sed non fremunt omnes. [g] Etiam viri summi hac stant nobiscum: & duos hos probant Brutos: unum, quod tyrannum, alterum, quod hostem perdiderit. Etiam hi viri summi theologi sunt. Quamquam extra theologiam hæc est quæstio. Ut non ferendus sit adversarius noster, qui objectat theologos. Cur vero & perfidiam priori Bruto objectat? Neque enim a Tarquinio, sed a populo, qui regumque tempore detulit magistratus, tenebat Brutus suum. Et itaque, quod a po-

a *Arist. 3. polit. Pict. ci. ph. 13.*

b *l. 31. depo.*

c *Val. Max. prin.*

d *Xiph. Cæs.*

e *Mont. 2. ess. 10.*

f *Cic. phi. 4.*

g *Sot. 2. de ju. q. 1. a. 3. & lib. 5. q. 1. a. 3.*

populo accepit, id pro eo populo exercuit fidei plenus, non perfidus. Quid ſi aut tenuiſſet a rege? [a] Trajanus ipſe præfecto, quem urbi conſtituebat, dum tradit inſigne poteſtatis pugionem, ſic addit, ut eo ferro pro ſe præfectus uteretur, ſi etiam ſe videret imperantem juſte: ſi autem, idem contra ſe ſtringeret. Scilicet ſalus populi lex ſuprema: cujus populi poſſeſſio & regnum eſt, & magiſtratus omnis: non eſt populus poſſeſſio regis, aut magiſtratus. Aut quid hic conquirimus magiſtratus? [b] Etiam a privato tolli tyrannus poteſt, (audi proſectum ejus cauſſam) etiam veneficio, proditione. Etiamne collegæ perfidus? Aut Auguſtinus quomodo innocentem cenſuit Collatinum, & virum probum? [c] qui, patriæ, ac libertatis proditores juſto affici ſupplicio non ferebat: & qui, bona tyrannis reddenda eſſe, cenſuerat. [d] Hæc juris non ſunt. Sed fuerit de reddendis bonis, ut Dionyſius credit, honeſtum conſilium: etiam de maleficis non puniendis fuit imperium ejus honeſtum? Quod ſi in factum iſtud intuitus eſſet & M. Tullius, & Livius, & Auguſtinus, non in ſolam occaſionem illam nominis: non ſcripſiſſet primus, non fuiſſe admodum cum honeſtate conjunctum exſilium Collatini: non ſecundus, exceſſiſſe iſthic modum illos libertatis amatores: non tertius, etiam virum bonum Collatinum fuiſſe. Tu mihi, Picene, judica. Non ſolum nomen intulit civitati terrorem. [e] *Tantum ob nomen, & genus regium:* inquit Florus. Factum illud pluſquam regium eximere perduelles meritis pœnis. Quod non auſus Tullus rex in benemerenti (ſcitis) Horatio, & in delicto longe minimo. Illud factum perculit civitatem. Quod refertque Livius, *neſcire Tarquinios privatos vivere*. Hoc eſt nomen, quod civitati non placuit. Non ipſe diſplicuit ſonus nominis, & litterarum, ſed familia illa. Hoc eſt nomen inviſum. Odioſus populo Callatinus propter cognationem: ut inquit Plutarchus. Manſerunt in civitate alii ejuſdem nominis, ſed non (puto) ejuſdem familiæ. [f] Meminit non multo poſt Livius L. Tarquinii magiſtri equitum: alii poſt nominant Tarquinios alios. Quid vero dicam leviſſimas occaſiones, per quas evecti ad regnum ſunt plurimi? [g] *Regillani nomen a regno: ſit igitur rex Regillanus*: ſic per jocos, & luſus nominis Regillanus quidem imperator effectus: Non hæc timuiſſet populus? qui videbat perſpicue, teneri regni cupiditate quamplurimos, regum captos amo-

a *Sex. Vict.*

b *Cov. 2. de ſp. c. 3. §. 4.*

c *Dionyſ. 5. Plut. Popl.*

d *l. 5. C. ad leg. Jul. ma.*

e *Flor. 1.*

f *Liv. 3. Tarquitii tamen ait Urſ. Sall. Cat.*

g *Treb. Poll. tyr.*

amore etiam cognatos Collatini Vitellios, etiam filios Bruti? Hæc res eſt. Illa infelicitatis Brutorum nihil ad rem: quæ in abdito ſunt conſiliorum Dei. Sed liber jam populus: & oppreſſis internis hoſtibus: ecce ſubit Porſennæ bellum pro eadem retinenda libertate juſtiſſimum. In quo ſunt tamen defendendæ mihi inſidiæ Scevolæ. Defendo. [a] *Suprema pericula ſemper dant veniam culpæ*. Supremum periculum urbis ſcimus. Licitæ illæ inſidiæ in tyrannum: ergo & in ſocium tyranni. [b] Nec enim his ſolis, qui occiderunt parentes, ſed & conſciis, & adjutoribus quoquo modo, pœna eſt parricidii conſtituta. Licitæ illæ inſidiæ etiam in hoſtem juſtum quid ni, ſi licet, hoſtem interficere, & per inſidias? Aſpice omnes hiſtorias, ubique ſtructas inſidias, captos inſidiis videris. Defendendum eſt etiam mendacium Scevolæ. Defendo. Nego, Scevolam mentitum de aliis conjuratis: [c] & auctorem do Mileſium Ariſtidem. Nego, non licitum fallere mendacio hoſtem: non dolus adverſus hoſtem eſt bonus: & mendacium dolus eſt. Nec potuit Scevola rationem ullam habere meriti in ſe a Porſenna collati: cum publica ſtaret hoſtilitas, & pene oppreſſa patria teneretur. Privata gratia privato debebatur beneficio: quæ nihil de publica tolleret caritate; nihil Scevolæ, militi patriæ, imminueret de eo debito, quo patriæ tum maxime obſtrictus ſalutem procurare ejuſdem cunctis viribus & manus, & ingenii habuit. Audin', quam breviter, quam eſt reſponſum veriter? Et ſic reliqua ſexcenta ſunt, quæ bonus tacet accuſator, paria iſtis alia crimina Romanorum. Sexcenta? An ſexaginta? An ſex ſaltem? Ne ſex quidem notare alia potuit, quæ carperet. Nam, quæ potuit, protulit, etiam hæc inaniſſima. Audite. Fuerit calliditas, fuerit verſutia Martii, qua Perſeus rex capitur: necdum fuit aliud tamen, quam in hoſtem dolus: & in eum quidem hoſtem, qui perfidus, qui fœdera, cum patre inita, ſecum renovata, abruperat: [d] *quem per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum, ac veneficiorum cernebant*. Quid ais acculator, habitum Martium ſuis impoſtorem turpem? Tu vero ſplendide mendax. Inducias ille annuit petenti Perſeo in magnam gratiam: & pacis ſpem addidit. Num hoc turpe, & injuſtum, citra conventionem ullam hoſti verba dediſſe, & illuſiſſe? Hoc & Africani eſt crimen. [e] Scilicet neque perfidus Siphax, ac dirus, qui cum primis

a *Claud. 2. Eutrop.*

b *l. 6. 7. de parricid.*

c *Plut. coll. Ro. & Gr.*

d *Liv. 42.*

e *Liv. 27. 28.*

mis Scipionibus in Hiſpania amicitiam pactus, cum ſenatu Romæ repactus, & pactus tertium cum iſto Africano in Africa, ne flocci fecit. Quid mox, Picene, declamitas, & maria, & terras, & totam cies naturam rerum? Ecce tibi reſponſum hic eſt. Neque primus abrupit fœdera Africanus, qui hoſtem Siphaci periculoſiſſimum vehebat ſecum in Africam: nam ipſe ante illud tempus Siphax adfinitatem, & amicitiam cum Pœnis contraxerat. Etiam miles Maſiniſſa magis, quam fœderatus fuit Scipionis, & Romanorum: quod tanto eſt minus reprehenſioni obnoxium. At ſi civitatem meam tueri tantum cupiam, non hic clara Siphacis paret injuſtitia, & accuſatoris noſtri: qui velint, per unum hominem rumpi fœdera populorum? Cur non petit rex a Romanis, ſi Scipio Maſiniſſam publico conſilio duceret? Verum defendi hic ipſum quoque Scipionem. A quo nec poſcat Pœnus Romanas artes, ipſe utens Punicis. Lucro deputent, & gratiæ, ſi quid de magnanimitate Scipionis accipiunt vaferrimi hoſtes, non poſcant veluti debitum. Non cum Latino, aut ſimili hoſte alio res eſt: qui aperta virtute bellum gerat. Cum Græca calliditate, cum verſutia Punica res eſt. Cum Cretenſibus (neſcis?) Cretiſſandum. Neſciebant illi certe ſeniores noſtri: qui improbare Martii artificia viſi ſunt. Sed tamen hoc conſtitutiſſimum eſt, tales teneri oportere, & conſueſſe rationes bellandi, quales ipſi ſunt hoſtes: mites cum mitibus, ſævas cum ſævis, apertas cum ingenuis, ſubdolas cum doloſis. Hoc eſt juris præceptum naturæ, & omnium populorum, ac civitatum, ſuum cuique reddere. De his vero jam ſatis. In præſtigiis Fabii, in perfidia Anitii difficultas objecta nobis paullo major videbatur. Et eſt tamen multo minor. Age quid de Fabio? Nego factum.[a] Et Livius, & Appianus ita rem narrant aliter, ut ſtare narratio Valerii ſimul non poſſit.[b] Sane plura is tradit, quæ cum aliis ſcriptoribus pluribus non conſentiunt: ut id magni critici ad ipſum Valerium adnotarunt.[c] Et, mirifice mendacem factum hunc auctorem a ſciolis, & librariis, ajunt.[d] Et fabuloſa cenſent ejus, quæ teſtimonium non illic inveniunt, ubi, ſi vera eſſent, invenire facile potuiſſent. Scilicet rhapſodiæ ſunt ejus. Tu autem id notes præterea mihi, non eſſe ab iſtis ſcriptoribus veritatem petendam, qui propoſuerunt ſibi, non hiſtoriam ſcribere, ſed exempla colligere, quibus, veluti

a *Liv.* 38. *App. Syr.*
b *Lipſ. ann. Val.*
c *Pigh. ann. Val.*
d *Glar. ann. Val.*

luti per expreſſa operibus monumenta virtutis, ac vitiorum, homines aut provocarentur magis, aut magis deterrerentur. Iſtis ſcriptoribus veritas quærenda non fuit. Nam & ipſæ fabulæ faciunt, quod propoſitum iſtis ſcriptoribus: & ea eſt ratio exemplorum ubique, ut veritatem nullibi polliceantur. Is eſt noſter Valerius, dictorum, ac factorum memorabilium amaxarius: & qui nos, novus quidam docendi magiſter, ducere per tritam ſolo bonorum viam, abducere a contraria velit, etiam ut fiat ([a] ſic filius Scaligeri magni) ſententiarum affectator ineptus. At hic idem Valerius narrationem iſtam, quæ in manibus eſt nobis, ſic narrat, quemadmodum exponi omne incertum, & vulgi fabulolum ſolet: *eumdem, ferunt, cum a rege Antiocho, quem bello ſuperaverat*, &c. Et bello etiam ſuperavit Antiochum iſte Fabius? Heccine, fidei infirmiſſimæ, incertiſſimæ, decuit huc advocari? Sed etiam M. Tullius, vir proculdubio Romanæ omnis antiquitatis ſcientiſſimus. [b] *Ne noſter quidem probandus eſt: ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo)* &c. Nihil in univerſa hiſtoria eſt vanius. Anicius ſupereſt. Quid reprehenditur? Gentium regem, venientem publica ſua ad ſe fide, ſupplicem retinet, in triumphum ducit. At immo dixeris non regem, regno exſutum, & quem debitum ſibi victum dedi Romani poſcere undecunque valebant. Si publica venit ipſe fide cum jure ſuo, non ut majus conſequeretur jus: ſed ut uteretur, quod erat reliquum ſpontaneæ deditionis: & neque vi captus, neque invitus deditus cenſeretur. Et ſic ſupplex venit, non neſcius ſui juris. Et ſic vitæ parcitur ſupplicis; & retinetur tamen, & triumphatur: qui pejora promeritus erat. Pejora Illyrium promeritum erat: in quod tantum deprædatione ſævitum eſt. An non parſum illis eſt urbibus, quæ civibus vacuari, ruinis affligi poterant per jus belli? Si venia pollicita eis eſt argentum dantibus: ecce præſtita etiam venia eſt: vitæ, ædificia conſervata ſunt. Præter argentum, nolle ſe aliud quicquam, non dixit Anicius. Alia jam ſua erant, quæ expoſita oculis, & capta erant. Argentum petit, quod occultum eſſe valebat, & nec captum igitur, nec ſuum. Sic eſt jus, ſic teneas, accuſator, bona, urbem, vitas fuiſſe jam populi Romani: & retenta bona, relicta reliqua in veniam. Sic noſtri cives inculpabiles. Et ſic igitur, per accuſatoris argumentationem, civitas noſtra inculpata.

CAP.

[a] *Scal. catal. Virg.*

[b] *Cic. 1. de off.*

CAP. V.

Romani bellis invicti.

SEd & argumentatur mox acute, dum contendit, victos Romanos bellis ſæpe: victos illo regio, de quo dicebamus, Poſennæ. Victi olim a Tatio: qui regemque ſe, & Sabinos ſuos in urbem intulit: & de Romanis Quirites fecit. Bella ratio, per quam victores alii omnes evadant, qui tracti in urbem populi ſunt. Hæc eſt victoria, qua tracti Sabini Romam ſunt: ſpoliatum nomen Sabinum tot millibus fortiſſimorum civium eſt: non ſolum retentæ mulieres raptæ, quæ belli cauſſa exſtiterunt. Cetera ex æquo fuere. Ut ſic vicerit Tatius poſt artes doloſas, furtum arcis, lenocinium, & perfidiam cum puella, & impietatem in deos. Regem ſe Tatius, & Sabinos ſuos intulit in urbem: quam & ædificavit ſcilicet: neque enim Sabinis data caſula Romanorum eſt. Qui & rex erat ſcilicet: & ſecum inferret, quos regnaret: quique jure ſocietatis æquiſſimo in conſortium communis regni a Romulo propterea exciperetur, conſulente urbi ſuæ, veriſſimo patre patriæ. Hæc eſt victoria: ut, qui urbem ſubvertere voluiſſent, res ſibi raptas recipere tanto cum apparatu veniſſent, ii urbem ampliorem efficiant & res illic ſuas eſſe, & ipſos ſe velint. Nam, quod addit de mutato nomine, quid? [a] Certe hæc lex victoriæ eſt, ut in nomen victoris victus tranſeat, in ſermonem, in habitum. Certe dignioris partis hæc eſt lex, ut ejus ſerventur hæc omnia. *Pro Latio obteſtar, pro majeſtate tuorum, Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri jubeas, Teucroſque vocari, Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes.* [b] Sed Romani a Romulo, Quirites a Quirino appellantur. Silete Grammatici. Roma audit ubique, & ubique Romani: [c] non, ut Meſſana eſt, ſed ſunt Mamertini. Aut quid ſi Quirites in urbe ſunt a tuis Curibus? & auctoritati unius id conceditur Dionyſii, non tantum Feſti Grammatici? Tantulum redditum pro aliis nunquam efficere Sabinos victores poteſt. Etſi eidem tuo credimus Servio, ecce, data Sabinis civitas citra ſuffragii jus eſt. Audi: etiam Sabini a Romulo dicti: ut idem tibi notat Servius. Vicit mox Porſenna.

[a] *Serv. in Æn.*

[b] *Inſt. tit. 2. Ovid. Fa. 2. Cic. 1. de leg. Flor. 1.*

[c] *Str. 6.*

na. *Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat accipere: ingentique urbem obſidione premebat. Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* Atque cum omnibus malis, quæ tum illata Romanis ſunt, retenta libertas eſt tamen, & receptus Tarquinius non eſt: de quibus duobus contendebatur. *Jactatum in conditionibus nequidquam de Tarquiniis in regnum reſtituendis: magis quia id ipſe negare nequiverit Tarquiniis, quam quod negatum iri ſibi ab Romanis ignoraret:* inquit Livius. Et ſic igitur dicis (ut dicitur) cauſſa datum honori regis judicium in cauſſa tyrannorum. Et de dato judicio ſic Dionyſius ſcripſerit. Datum judicium regi fuerit, ſed extra hanc partem reſtitutionis tyrannorum. Ut ſic decet, ſcriptores ſcriptoribus concordes facere. Datum judicium regi fuerit liberum: ſed non tamen (id certum) ut pro libitu, & libidine conſtitueret, at cognoſceret, & juſte definiret. Libertas non eſt licentia: jure cogitur. Atque ad jus rem referre Romani audenter valuere, conſcii juſtitiæ ſuæ, injuſtitiæ tyrannorum: tuti vel ab iniqua ſententia: cum & obſiſtere exſecutioni ejus ſic poſſent, ut tutabantur ſe antea adverſus profeſſam vim. Hæc fuit deditio urbis. Quid autem? Retinuerunt libertatem mei. Pulſus abiit tyrannus. Et, qui pro tyranno ſteterat, judex pro Romanis ſententiam tulit. Itaque Romani victi. [a] Laudat Plutarchus, judicationem regi datam: ſic enim conciliaverit illum Poplicola, ad cujus judicium provocaret. Reſpondet Plutarchus de agri parte ademta: quemadmodum pro eo caſtra regis opulentiſſima, omni commeatu inſtructiſſima, adeoque multo commodiſſima urbi famelicæ ſint accepta. Et tamen quid ſi nec acceptum aliquid pro agro fuit? libertas certe retenta eſt: quæ una utrinque petebatur: libertas eſt parta: quæ inæſtimabilis res eſt ſemper. *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Sed & ferrum ademtum nobis? Sed & libertas retenta nobis: ut hoc iterum dicam, atque iterum, quod caput eſt quæſtionis: adeoque dicendum eſt ſemper. Non igitur vicit Porſenna, qui juſſum ſuum non perfecit: etſi nos dedimus nonnihil honori regis potentiſſimi, atque viciſſim liberaliſſimi. Vicit Brennus? Et ſcelere Romanorum petiti Galli? Scilicet illic quoque vituperabimur, ubi laudem ampliter meriti ſumus. Fabios namque illos dedendos ſenatus cenſuit, & collegium fæcialium: quorum hæc notio erat. Plebi quid feceris, quæ ubique gentium

[a] *Plut. Popl.*

eſt

eſt eadem bellua multorum capitum, aut ſine capite verius ullo. De victoria vero Gallorum notet mihi cum eodem Polybio adverſarius noſter, quod & coacti Galli abire Roma, infeſtantibus Venetis regionem ipſorum: & ſic recuperarint Romani patriæ libertatem. Et hoc Picenus capiat, qui alterum ibidem cepit, abiiſſe incolumes Gallos, non fuiſſe a Camillo cæſos. Namque illa nunc quæſtio magis eſt, ſi victi Romani a Gallis ſunt. Ecce, Polybii teſtimonio, quo & utitur accuſator, victi non ſunt. Etiam Capitolium occupaverunt, teſtimonio Tertulliani, Lucani, Silii? [a] Non illud ſcripſerit Tertullianus. Occupare, & Capere eſt opprimere, & obſidione premere. Eſt, quod Livius, quod Virgilius, *Galli per dumos aderant, arcemque tenebant*. Quod Lucanus ait de peruſto. id minus eſt: jactis facibus id fieri poteſt. Et tu de Tacito dicis, quale illud incendium fuerit ad rem nihili. Quid nunc de tuo Oroſio? Neque enim negamus nos extrema illa mala obſeſſorum: ſed, illic finitum eſſe bellum, negamus. Quid mihi de Polyeno? Neſcis, hominem Macedonem; hoc eſt, Romanorum (ut ſemel utar conſtituto jure tuo) hoſtem? Non vides, eum ſcriptorem ſtratagematum, non hiſtoriæ; hoc eſt, non de veritate factorum ſollicitum, quam de numero qualium exemplorum? quæ vera, nec ne ſint, non curare ulli conſueverunt. Minus is eſt, quam teſtis. At etiam ſuſpectus eſt: ignobilis eſt: contrarius aliis eſt accuſatoris teſtibus majoribus, & accuſatoris diſputationi: qui, reduces Gallos, & in Galliam aurum avectum Romanum contendit: contendit teſtimoniis, contendit ratione de iſta incolumitate Gallorum Picenogallus. An potuit latere, Sangeneſium ſuum a provincialibus Gallis eſſe? Sed figurata ipſius ratio adverſus Camilli inopiam ecce hic quanta eſt? [b] *Conon exſulans Cypri, omni alia ope deſtitutus, excepto corpore, & ingenio, auſus contra Lacedæmonios principes terræ, ac maris: & vicit: & a viro tam abjecto mutatus Græciæ ſtatus eſt*. Sic Iſocrates. Addam autem mox plura. Nam (ut nunc ſum) annuo Gallorum omnem incolumitatem accuſatori: ubi ille tamen non videat Romanos bello victos, ſed præliis afflictos, ſed ambuſtos, ſed ſpoliatos quaſi a latronibus. Etiam Græciam, etiam Aſiam, & ſacratiſſima templa illi vexarunt, qui Romam. Quid tamen vetera iſta (ait accuſator) conquirimus? Nos, nos Piceni, ducibus

a *Jun. no. Tert.*

b *Iſocr. or. ad Phil.* ſed vide Juſti. 6.

Aſculanis meis, amantiſſimis illis patriæ meæ, amantiſſimis familiæ, nos in ſummo Romani imperii faſtigio Romanos vicimus. Etiam Sangeneſiates vos, vos Sangeneſiates, vos, qui poſt ferme decies centum annos exſtitiſtis? Et quibus ea ſumma laus ſit in iſto genere, quod in medio poſiti potentium, ac nobilium populorum, Camerinatum, Tollentinatum, Firmanorum, tenere cum omnibus dignum valuiſtis locum, etiam de Firmanis trophæa erigere, & ſplendida ad omnem poſteritatem conſtituere monumenta. Sed vos, vos Piceni, Aſculanis ducibus. Id bene ducibus, Piceni capite, colonia noſtra nobiliſſima. Audi tamen, colonia: [a] & ita ſcilicet Florus, Italiam tum contra matrem, ac parentem ſuam conſurrexiſſe. [b] Et ita ſcilicet non modo extra Italiam noſtræ erant coloniæ, ſexaginta in Africa ſola, & in Gallia ſimul & Hiſpania totidem, & plurimæ in orbe reliquo ita, ut dixerit Seneca, *Ubicunque vicit Romanus habitat*: ſed in Italia ipſa habuimus centum quinquaginta. Sed de victoria Italicorum non teſtis producitur, ſed tantum ratiuncula. Atque illam nec probes: quæ male confuſis temporibus conſuitur. Neque enim civitas noſtra deferebatur Italicis tum vincentibus, at victis: verſa re Italica, atque everſa. Feliciter Cæſar pugnaverat contra Samnites: hos Sylla iterum, atque iterum expugnaverat hos alii vicerant acie, duce orbarant nobiliſſimo. Idem Sylla Hirpinos domuerat. Marius Marſos ſuderat, & Marrucinorum prætorem occiderat. Plotius Umbros vicerat. Pompejus Veſtinos, & Pelignos acceperat in deditionem: & tuos ſuderat Picenos, atque obſederat, & omnia flammis, ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Aſculi everſione manibus rot exercituum noſtrorum, direptarumque urbium fideliſſimarum parentaret. Cæſi erant legati Italici, & dux auctor belli ejus Popedius. Et, cum hæc ita ſe habebant, delata Italicis civitas eſt. Sic populus Romanus victis aliis eam tribuit civitatem: qui certum agnoſcerent beneficium, non autem aliquid arrogarent virtuti ſuæ: & itaque faciliores in obſequium civitatis noſtræ ſemper manerent. Hoc vere arcanum ejus imperii: & quidem juſtum pro eo, quod Romanæ excellenti virtuti debebatur. [c] Sic ſenatus agros dedit lege Gracchi: propter quam tamen & Gracchus occidebatur, & ipſe obnitendo legi ſenatus adiit ad diſcrimen ultimum. Sapienter (ait Valerius tuus) aucto-

a *Flor.* 3.
b *Paterc.* 1. *Lipſ.* 1. *de macb. Rom.* 9.
c *Val.* 7. *c.* 2.

auctorem ſeditionis, & ſeditionis cauſſam ita ſuſtulit. Etiam hic ſapienter meritis data civitas nunc ſubjectis, quæ antea ſuperbis denegabatur. Neque enim juſtitia cauſſæ eſt ſatis, niſi eadem juſteque proponitur. Ut cum indignus vir quidam id proponeret, quod foret civitati ſuæ utiliſſimum, non antea exceptum fuit tamen, quam mutata perſona proponentis idem conſuleret alius. Atque ſic Italici, & Piceni, & Aſculani vincunt: cæſi, dediti, capti deleti. [a] Sit ille Picenorum ſane honor, quod non ante reſumſit ſenatus laticlavia, aut magiſtratus inſignia dignitatum ob victorias alias de Italicis partas, quam ipſi ſuſi Piceni fuerint. Sit ille honor Aſculanis, quod non ante captum Aſculum cenſuerint mei, victores ſe eſſe. At victores ſe dicere Piceni non audeant. [b] Sacrum genus Piceni ſunt: Quid crudo ſe mendacio maculent? Nec tu, accuſator noſter, novus [c] *Equitius Firmo Piceno monſtrum veniens* Admiror, Picenum, non Volſcum rebellem, non Samnitem efferum, non alium hoſtem noſtrum implacabilem, ſed admiror, Picenum ſuſcepiſſe iſtam, & quidem tanta cum libidine, accuſationem Romanorum: admiror Aſculanenſem maxime. Tanta enim, extra hoc bellum funeſtiſſimum, fuit Romanis, & Picenis conjunctio ſemper, Aſculaniſque, ut ſoli omnium iſti non eſſe Romæ peregrini viderentur, [d] atque videri vellent. [e] Laudati præ ceteris ſunt Romæ, honeſtiſſimarum, ac nobiliſſimarum familiarum nomine, eloquentiſſimorum extra urbem oratorum. Quid tantum nobis contumeliarum, & conviciorum rependitur? Aſculani, veſtram fidem hunc, delicium veſtrum, jam compeſcite. Ecce enim Parthoque facit Romanorum victores. [f] Intulerunt illi quidem cladem nobis ſub Craſſo: ſed mala fraude, manifeſta perfidia. Afflixerunt nec aliter Antonii copias: contra quas fluminibus quoque veneno infectis pugnarunt: & fugiendo pugnarunt: nam conſerta manu victi ſemper abierunt. [g] *Variiſque Antonius, armis Victor ab Auroræ populis*. Quid ſibi Volſcus voluit Trogus, qui tantum potuit efferre barbaros illos? An majores ulciſci ſuos, toties cæſos, captos, ſub jugum miſſos? [h] Cæſi Parthi mox a Caſſio, Craſſi quæſtore: etiam & Oſaces cæſus Parthorum dux: & a Domitio contra eoſdem bellatum proſpere: & repenſam Craſſi cladem in Pacori clade regis, ſive filii regis. [i] Auguſto Armeniam vindicanti ceſſerunt facile: & ſigna militaria, quæ Craſſo, & An-

a *Oroſ.* 5. c. 17.
b *Cato orig.*
c *Val.* 9. c. 15.
d *Cic. pro Syll.*
e *Cic. Bru.*
f *App. Parth. Ant. Dio.* 40.
g *Virg.* 8. *ubi Serv.*
h *Juſt.* 42. 43. *Dio.* 49. *Liv.* 108. 112. 128. *Suid.*
i *Liv.* 139. *Eutr.* 7. *Suet. Aug.*

& Antonio ademiſſent, reddiderunt: obſides inſuper obtulerunt ultro, & tradiderunt. [a] *Etiam Parthi hoc tempore ſubdidere colla*: veriſſime Strabo: [b] *fortes illi, ſed nomine magis, quam re ipſa: ut bellandi eorum ratio oſtendit*: quod Dio, qui late de armis, & aliis ejus gentis tradit. [c] Et itaque Livius juſtiſſime, *Leviſſimi ex Græcis contra Romanum nomen Parthorum gloriæ favent*. Leviſſimus hic Volſcus, immo Gallus Vocontius, commentus eſt cauſſam belli contra Ætolos ſuſcepti pro Acarnenſibus; commentus Corinthi, & Græciæ exſcidii cauſſam: commentus de libertate Judæis tributa: commentus de inſidiis in Hannibalem: & in laudem ejus ducis profuſus: averſus Romanis ſemper: & occaſionem nullam unquam oblitus, ubi notare nos potuit. Hic vir, hic eſt, qui ſcribit, populos Scythicos intactos, & formidatos noſtris fuiſſe. Cæcus homo ab invidia: [d] qui non viderit, Scytharum multos exercitus fuſos vel ab uno Pompejo, & totum fere domitum Septentrionem. Ita vero Parthi Romanorum victores ſemper. Sed hic mihi Ventidius deprædicatur victor: qui ex agro Piceno vir, & Aſculanus. Ego autem nec invideo. Non invidet populus Romanus. Quod ſi velim tamen, Ventidium iſtum poſſum Piceno, & Aſculo incertum facere, Hetruriæ vindicare. Sed nolo imitari accuſatorem: & de tenui conjectura, de auctore uno aliquo contra liquidam veritatem, & contra certiſſima teſtimonia depugnare. [e] Ventidium Picenum, Aſculanum ſcimus. Immo ſcimus Romanum: ut alii innumeri, qui alibi nati, Romani facti & reges, & conſules ſunt. [f] *Religioſa patet peregrinæ curia laudi. Nec putat externos, quos decet eſſe ſuos*. Senator Romanus Ventidius, tribunus plebis, prætor, pontifex, conſul. Ecce, in quantas ille dignitates evectus in mea patria. Mortuus etiam funeratus publice. Quæ nobis dicenda ſunt civitatis, & ſpectanda facta: non etiam ratio poſcenda petulantiæ, vitiive alterius, ſive poëtarum, ſive aliorum: non quid Plancus dixerit, aliuſve: qui contrariarum aliquando partium Ventidio exſtiterunt.

a *Str. 6.*
b *Dio. 40. Virg. 3. Geo.*
c *Liv. 9.*
d *Flor. 3. 6, 5.*
e *Pater. 2. Val. 6. c. 9. Dio. 43. Gell. 15. c. 4. Plin. 7. c. 43.*
f *Numer. 1. vir.*

CAP.

CAP. VI.

Juſtitia Romanorum in fœderibus.

AB his autem victoriis de populo Romano partis accedit Picenogallus ad accuſandum fraudes noſtras in fœderibus malas. Et quærit de cæde Gallorum contra fœdus a Camillo patrata. [a] Atque ita nec audivit de ſuo ſaltem Floro, per inſolentiam ad iniqua pondera additum adhuc gladium, & ſuperbum verbum, *væ victis.* In quo ipſi Galli primi ruperunt fœdus. Sed neque ſine Camillo, qui Romæ erant, potuere cum Gallis paciſci: ut nec poteſt corpus ſine capite functiones ullas obire. Quæ iſta accuſatio eſt? Et caput rurſus nec quidquam faciet abſque corpore reliquo. Non hic decipiuntur Galli, non alii. [b] *Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus: aut ſibi imputet*: inquit lex. Sibi Galli imputent, ſi obſidio ſuo jam fatigati receſſum ſic venditarunt, nec de qualitate emtorum quæſiere: qui, ſe ut potuiſſent redimere, Camillo tamen præſcribere non potuerunt. [c] Etiam qui cum alio contrahit, videtur reſpectu illius qualitatis contrahere. Quid pallii revolutio? [d] quæ & licita. Non dicitur juſte, impuberis contractum non valere, a quo abfuit tutor? & non valere contractum ſæpe tutoris, ubi pupillus defuit? Sic ſexcenta. *Quicquid erat Romæ*: ais accuſator, quod ego rapio. Nam Romæ quid erat? Ais, vix mille hominum. Minima igitur pars Romanæ civitatis. Et igitur, quod geſtum cum ea eſt, aut majorem partem non obligavit, aut nec ipſam quidem convenientem. [e] Nam hoc jus eſt, ut actus minoris partis univerſitatis neque obliget iſtam: quaſi ſic actumque fuerit, ut non aliter, quam veluti univerſitas obligaretur. [f] Vocandi ſunt abſentes, in arduis præſertim negotiis: & qui præſertim abſunt ex juſta cauſſa: aut nec ipſi præſentes obligantur: certe non obligantur abſentes. Arduiſſimum illud negotium quis neget? quis, non abfuiſſe Romanos alios ex juſtiſſima cauſſa? Etiam Corſi huc? [g] Qui neque cum conſule, ſed cum legato fœdus injerunt. Neque par eſt ratio Romanorum ducum, & aliorum, ſed differentia multa per illam clauſulam extremi pacti, *Ita id ratum fore, ſi populus*

a *Flor. 1.*

b *l. 19. de reg. ju.*

c *Alc. 2. conſ. 3.*

d *l. 8. de inoff. te. ubi gl.*

e *Alc. 1. conſ. 4.*

f *Bar. alii l. omnes populi.*

g *Zonara.*

Ius cenſuiſſet. Quæ enim brevicula accuſatoris interrogatio eſt, nihil hic movet, ubi audimus cum exceptione illa initum fœdus: ſed aliam quæſtionem movet. Et ei reſpondemus tamen, Romanos ne tum quidem obligatos futuros, niſi adprobaſſent fœdus. Quo enim jure procurator obſtringit dominum ultra mandatum? [a] Silentio adprobaſſe non intelliguntur, ea poſtquam poſita clauſula eſt, *Ita id ratum fore*: quæ ſi poſita clauſula non eſſet, potuit ſilentium populi inducendæ ratihabitioni ſatis videri. [b] *Nihil intereſt, facto, vel ſilentio ratum habuerint*. [d] Silentio & quaſi convenitur. Et ſcientia, & patientia diuturna decennii, negligentia dolus, præſumtus aliter conſenſus ſatis vel ſilentis. [d] Etiam filius exheredatus, ſi tacet, agnoviſſe patris cenſetur judicium: & jus ſuum naturæ remiſiſſe. [e] Romani præterea contradixerunt illico his, quæ pepigerunt duces ſui. Viden', Picene, differentias? Quid enim illud, ſi non publico tacito fuit Aſdrubalis fœdus obſervatum? Et ego enim replicarim, quid ſi publico tacito obſervatum fuit? Hoc mecum hiſtoriæ dicunt. Hoc oſtendunt hiſtoriæ. Hannibal autem ſero huic ratihabitioni turbandæ advenit. At inquis, ſi pactiones ducum tuorum Romanos non tenent, cur integra ab iiſdem omnia non ſervantur, atque reſtituuntur? Et vero aliquid eſſe videtur, quod poſtulas. Sed a quibus facienda eſt reſtitutio? Tranſvolas ad Samnites. Quid ni igitur & Samnites reſtituant miſſionem exercitus noſtri ſub jugum? probra, eluſiones? vulnera inermium, & cædes? [f] *Id enim eſt integrum, quod ita eſſet, ut fuiſſet*. [g] Atque ſi facta fieri infecta nequeunt: ut Phocylides, Theognis, Simonides, veteres cecinere poetæ, & in leges retulit Tryphoninus juriſconſultus: id quid ad nos? *Reſtitutio ita facienda eſt, ut unuſquiſque in integrum jus ſuum recipiat*. Et itaque reſtituere pro ſua parte non potenti nec ſane reſtituitur. [h] Non reſtituitur aut minori annis, ſi plena non eſt & a parte ſua reſtitutio: ut hic a Samnitum parte eſſe non poteſt. [i] Non reſtituitur aut minor, qui locupletior effectus ſit: ut hic locupletiores effecti Samnites ſunt, ſatiati calamitatibus hoſtium. Et hoc enim lucrum eſt, hoſti feciſſe male. [k] Non reſtituitur minor delinquens: ut hic deliquere Samnites, qui adverſus ſuum fœdus probra, vulnera, mortes intulerunt, non contenti armis, veſtibus, bonis aliis Romanorum. Quid agetis Samnites? Iſthæc ultima, viliaque reſtitue-

a *l. 65. de leg. 1. Cepb. conſ. 272.*
b *Paul. 1. ſen. 9. l. 51. loca. Alc. 8. conſ. 39.*
c *Cepb. conſ. 647. Bal. l. 32. de leg. Alc. eo. Dec. 3. conſ. 92.*
d *l. 16. de inoff. te.*
e *Amm. 25. P. Diac. 11.*
f *Hirt. de be. Alex.*
g *l. 22. de capt.*
h *l. 27. de min.*
i *l. 34. de min.*
k *l. 9. de min.*

tuetis? Sed prima illa, & præcipua an vultis? [a] an poteſtis? [b] Neque purgatio moræ admittitur, ubi impoſſibile eſt, rem reponere in ſtatum priſtinum. Vos igitur non reſtituitis. Vos fœdus illico abrupiſtis veſtrum. [c] At etiam non dati obſides vobis ſunt ſexcenti? dediti conſules, & ſponſores reliqui? Et his igitur omnibus contenti eſſe debetis. Non enim populus Romanus vobis promiſit, & veluti fidejuſſores, ac pignora dedit obſides, & ſponſores: quo caſu accuſare ejus infidelitatem poſſetis, etiam obſidibus, & fidejuſſoribus in manu exiſtentibus veſtra. Sed aliqui promiſerunt, Romanum populum habiturum ratum, & iidem in hanc ſuam promiſſionem tradidere obſides, & ſe devinxerunt, quod nihil ad populum. Obſides, promiſſores relinquuntur Samnitibus. Ubi notetur populus? Deditur Samnitibus Poſtumius, alii deduntur, qui polliciti, futuros ſe in poteſtate Samnitum. Si reliquus id pactus eſſet exercitus: & eum populus non dederet: etiam reprehendere poſſes populum. Ceterum illud ſtat certiſſimum, ut Gallis antea, ita Samnitibus nunc fœdera ſervari nullo modo oportuiſſe, qui fœdera non ſervarunt. Atque ita de populo: quem tuemur. Nec tamen aut illa Poſtumii dediti ludibria ſunt: ut Picene, credis: ille enim, aut ſe confecturum fœdus promiſit, aut deditium futurum Samnitum: quæ conventio & ex parte iſtorum ſtat: qui, habituros eum deditium; ſimul ſtipulati intelligentur. Et ergo illorum erat Poſtumius. Hæc tamen ad rem nihil. Stratagema hominis fuerit ad animandos ſuos. Stratagema juſtum eſt. Dico, neque fuiſſe quidquam fœderis ejus? [d] Ariſtides utique ſcripſit, immo cæſas in illis anguſtiis legiones Romanas, & ipſum Poſtumium. Dico, Romanorum æquitatem in omnibus his contractibus fœderum? Ætolos ſane deceptos ſe verbo uno exiſtimantes reſtituerunt in integrum. Sed ſatisfactum Samnitibus eſt: & Samnitum patronis. Et defenſio hic eſt, non laudatio Romanorum.

a *Dec. conſ.* 73.
b *Alc. B. conſ.* 4.
c *Gell.* 17. c. 2. *P. D.* 2.
d *Plut. coll. R. & G.*

CAP.

CAP. VII.

Cauſſæ belli Samnitici, & aliorum Italiæ.

VIdeamus igitur cauſſam belli Samnitici, & aliorum per Italiam: quæ geſta ſunt poſt primum a libera civitate, & pro libertate confectum: a quo in Samniticum, hac digreſſione de Romanis victis, & de Romanis perfidis, quaſi ſaltu aliquo magno tranſiliit accuſator. Decet enim adfirmare graviſſimorum virorum teſtimonium: qui, arma nunquam, niſi juſtis de cauſis, ſumta a Romanis, tradunt. [a] Bellum contra Auruncos fuit: ad quos oppida Romanorum, coloniæ Latinæ defecerunt, Pomœria, & Cora. [b] Contra Latinos bellum ſuſceptum: *qui æmulatione, & invidia Tarquinios afferebant: ut populus, qui foris dominabatur, ſaltem domi ſerviret*. Contra Volſcos itum: qui auxilia comparaverunt, quæ Latinis mitterent: & contra eoſdem non ſtantes paci petitæ, & impetratæ, at Hernicoſque, & vicinas alias gentes in ſocietatem belli concientes, bellatum rurſus: Rurſus contra Auruncos: qui agrum bello amiſſum extorquere Romanis volebant, & in fines Romanos cum exercitu feſtinabant. [c] Bellum cum Æquis tum fuit: qui Auruncis, & Volſcis ſe junxerant. Non tibi juſtæ bellorum cauſſæ iſtæ videntur? defenſionis ſuarum rerum? defenſionis ſui? & ſive defenſionis, ſive vindicationis adverſum eos, qui non induerunt modo hoſtilem animum, ſed aperuerunt etiam junctis cum hoſte conſiliis, eique armis, & auxiliis comparatis? [d] Bellum, quod iidem Volſci, ducente exſule Romano, intulerunt, quam habuit cauſſam? nempe, quod agrum bello captum reddere Romani noluerunt. Et cum Hernicis ita bellatum, qui Volſcis ſe adjunxerunt, & in Romanos arma moverunt. Qui negabant ſibi cum Romanis fœdus, ictum cum Tarquinio. Qui negarunt dedere prædatores Romani agri. Horum rebelliones vicinorum aſſiduæ, & quotidianæ ſic exercuerunt ſine intermiſſione per annos amplius ducentos populum noſtrum. Fuit bellum contra Vejentes: qui Romanis res repetentibus non ſatis pro jure faciunt. [e] Et contra alios mox Hetruſcos: qui cum Vejentibus fuere: qui & quietos Vejentes concitarunt in Romanos denuo. Vejentes hoſtes anniverſarii:

a *Liv. 2.*
b *Flor. 1.*
c *Dion. 8.*
d *Dion. 8.*
e *Dion. 9. 10. Liv. 4.*

rii: donec rapti funditus, deletique fuerunt. Fidenas, Romanam coloniam occuparunt: legatos Romanos per extremum ſcelus interfecerunt: & idem ſcelus abominandum, cædem hominum ſanctiſſimorum, iterum minitantur. Fera pectora: quibus toties parſum: quibus ſeditione laborantibus inteſtina, itaque deprecantibus bellum, tributæ induciæ. Immaniſſimam barbariem reliquorum Hetruſcorum: [a] qui urbis, jam quadringenteſimum annum vicinæ, oppreſſæ ab hoſte inuſitato, inauditoque, adeo nihil miſerti ſunt, ut in agrum Romanum eo tempore facerent incurſiones, plenique prædæ Vejos etiam, præſidium, & ſpem ultimam Romani nominis, cuperent oppugnare. Sic Romanæ clementiæ, longæ in Vejentes patientiæ, liberalitati incredibili cum Faleriis pueris, curæ rerum Cluſinorum uſque ad ruinas noſtrarum, repenſum a cognatis iſtorum eſt. [b] Sed & iidem Hetruſci mox concitant bellum majus, concitis pervicaciſſimis hoſtibus Volſcis, aliisque: ut ne reſpirandi quidem momentum haberemus a Gallica tum vix repulſa clade ſuprema. [c] Tum & Latini animos tollunt: qui tamen centum annorum pace ſic nobis obnoxii, ut ne quidem ad defenſionem tractare arma injuſſu noſtro valerent: ſed tum, contemtu urbis incenſæ jus civitatis, partem imperii, ac magiſtratuum poſcebant pari imperio. His & Sabini ſe junxerant, fœderum, & adfinitatum ipſi quoque immemores. Latinis bellum faciunt iidem Hetruſci: atque adeo faciunt nobis, quibus Latini obnoxii erant: ut dixi: & Volſcos illos, & Æquos noſtros hoſtes æternos, ſibi ſocios addunt, atque alios, qui magnis ſemper votis adverſus civitatis noſtræ incolumitatem ſerebantur. Antea nec reddiderant Romanis res: nec milites dederunt, in anguſtiis ſummis, quos dare ex fœdere tenebantur. [d] Cauſſa hæc raptarum rerum, nec redditarum, cauſſa belli rurſum in Hernicos, Tyburtes, Tarquinienſes, Privernates, Veliternos, Cærites. Tyburtes hoc amplius præſtitere ſe hoſtes, quod Romanis militibus, a bello Hernico redeuntibus, portas occluſerint. Tarquinienſes immane facinus auſi, Romanos trecentos amplius, bello captos, quaſi pecudes, immolarunt. Privernates, Veliterni incurſione repentina vaſtant agrum nobis, in alia, & difficillima bella occupatis Cæritibus, qui & in bello Tarquinienſibus contra nos ſocii fuere, bellum remiſſum ſtatim, & induciæ datæ in annos centum: ſic remunerantes mei hoſpitium

a *Liv. 5.*

b *Liv. 6.*

c *Flor. 1.*

d *Liv. 7.*

tium veſtalibus, & ſacerdotibus noſtris habitum Cære: *ut maleficii potius, quam beneficii immemores eſſent*: inquit Livius. Hæc virtus, hæc, quam nullibi in terris, niſi Romæ repereris. Undique & vitia alia, & crimen ingratitudinis experta Roma. Quis crederet, & Faliſcos futuros hoſtes? At cum Tarquinienſibus juventus eorum militavit: & qui Falerios victi perfugerant, ii redditi nobis non ſunt. Quis crederet, adhuc Volſcos futuros hoſtes, toties victos, cæſos, captos, ſub jugum miſſos? Ferocior ad rebellandum, quam ad bellandum gens (ut ait Livius) Latium circumit, & tentat univerſum, & in nos proritat. [a] Obſtupeſcit idem auctor, unde his ſic afflictis vires ſuffecerint, & milites. Ego ſane obſtupeſco, unde animi fuerint adeo immites, & feri, ut perire maluerint millies, quam ſub præſtantioribus conſervari. At nunc de juſtitia potiſſimum diſputamus: & gradatim venimus ad Samnites. Invenimus vero nihil, in quo non juſtitia, & virtus omnis Romanorum eluceat. Bellum porro pro Campanis contra Samnites ſuſcipi a Romanis oportuiſſe, quid vetat? Movet duas rationes Picenus, alteram, quod ipſi Romanimet, ſuſcipi non oportuiſſe exiſtimarunt in Sidicinorum cauſſa pari: alteram, quod hoſtes fœderatorum victos, jam jam capiendos, Romani capere defendendos contra fœderatos non debuerunt. [b] Reſpondeo, *nec concedi quidem poſſe, ut amicis noſtris accuſantibus non etiam alieniſſimos defendamus, & ut adverſariis amicorum noſtrorum de jure conſulentibus non reſpondeamus*. Sed & quod de fera inducit vulnerata, immo nihil valere hic habet. Et immo ipſe renarrem diverſam plerorumque ſententiam: quæ & recepta probato jure Juſtiniani eſt: laudata eſt laudato jure. Nego autem, contrariam Trebatii adfirmatam moribus. Et de his fuit docendum accuſatori. [c] Nam eſt verius, non eſſe neceſſe, ut interpreti juris dicenti de conſuetudine teſtimonium credatur. Immo enim neque credetur pluribus: non certe teſtantibus adeo indefinite. [d] Apagete doctores (ait Alciatus) conſuetudinarii: ordinariis ſtemus, & juri certo. Minus autem nunc eſt neceſſe eidem credere interpreti de jure dicenti, & neque legem, neque rationem, neque auctoritatem afferenti. Magnus ſit Galliæ juriſconſultus Cujacius: & Gallia cauſidicos doceat facunda Britannos. Non tamen magnus eſt ille juriſconſultus: certe non adeo magnus, qui & ſedeat inter Romanos juriſconſultos, ac Cæſares, inter Treba-

a *Liv. 6.*

b *Cic. pro Muræ.*

c *Jaſ. l. 42. de legi. Cepb. conſ. 299. Alc. 5. 24. 39.*

d *Alc. 5. conſ. 25.*

batios, Cajos, Juſtinianos, Fridericos: & judicet quaſi Pythius Apollo abſque verbo uno addito, quo ſententia abs ſe lata pro parte numeri minoris, minoris auctoritatis, minoris dignitatis, hoc eſt pro Trebatio, & Friderico, vel tenuiter ſubornetur. Cephalus hoc tentat. Conficit rationes, per quas defendi poſſe Trebatii videatur opinio. Sed eæ ut vulgaribus quibuſdam innituntur enunciatis, leviſſimi prorſus ſunt momenti. Pro actu eſt potentia proxima actui: & id genus aliæ. Quibus quis non reſpondeat abſque ulla aut difficultate, aut mora? [a] *Actus actum, potentia potentiam proprie ſignificat*, &c. Sed neque confiſus his Cephalus eſt: neque his eſt immoratus accuſator. Ad ſententiam omnium juriſconſultorum uterque tranſvolant. Quam & ſic eſſe contendunt: ut, ſi certum ſit, effugere feram non poſſe, fera immo adjudicari debeat vulneranti, & perſequenti. Qua de interpretatione ſi litem moveo, eam quoque oſtendam non bonam. At quæro, ſi certitudinem valeant iſtam explicare. Nam evaſerunt nobis ſæpe animalia mortifice vulnerata, & jam moribunda, atque morientia. Quæro ad ipſam rem noſtram, ſi certitudo hæc oſtendi in bello poſſit. [b] *Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra*. Quod bellica fors valde probat. [c] Ea plerumque anceps: & magnus numerus a pauciſſimis, & potentiores ab imbecillioribus ſæpe ſunt ſuperati. [d] *Multa dies in bello conficit unus. Et rurſus multæ fortunæ forte recumbunt. Haudquaquam quemque ſemper fortuna ſecuta eſt*: inquiebat pater Ennius. Et plurima ſunt hujus generis apud omnes. [e] *Mars ſæpe ſpoliantem jam, & exſultantem perculit ab abjecto*: ait Cicero. [f] *Parvæ occaſiones magnos motus, & mutationes habent*: Demoſthenes. [g] *Sæpe uſu venit, ut qui majores copias haberent ab imbecillioribus vincerentur: & qui urbem obſederant, ab obſeſſis interirent*: Iſocrates. [h] *Multi jam parta victoria maximis cladibus affecti ſunt*: tuus, Picenæ, Polyenus: [i] *Sæpe minor manus, dum metuit, majorem præ contemtu parum inſtructam profligavit*: Thucydides. Etiam nec ſolutam, at bene inſtructam dicimus quoque. Neſcimus telum vehementiſſimum, neceſſitas, & deſperatio? *Sæpe deſperatio præſtat, quod nequit virtus*. Neſcimus, *Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem?* [k] Sane ſic deſperatio, non illa dejecta quidem, & vilis, ſed quæ furorem animis addit, & rabiem, & tenax propoſitum inulti non moriendi. [l] Nobilis ille

a *Bal. l. 1. C. de inſt.*

b *Heracl. de polit.*
c *Herodi. 8.*
d *Macr. 6. Sat. 2.*
e *Cic. pro Milo.*
f *Demoſth. Leptin.*
g *Iſocr. Archid.*
h *Polye. 3.*
i *Thucyd. 2.*
k *Jacob. probl. 65. Bal. l. 1. C. de eunuch.*
l *Juſtin. 22.*

locus apud Trogum eſt : ubi Crotonienſium centum viginti millia quindecim millibus Locrenſium acie ſuperantur . Qui paucitatem ſuam circumſpicientes , omiſſa ſpe victoriæ , in deſtinatam mortem conſpirant : tantuſque ardor ex deſperatione ſingulos cepit , ut victores ſe putarent , ſi non inulti morerentur. Sed dum mori honeſte quærunt , feliciter vicerunt. Nec alia cauſſa victoriæ fuit , quam quod deſperaverunt. Et id genus plurima ſunt exempla. Illic apud Trogum & de his ipſis Crotonienſibus eſt : qui poſt cladem iſtam , & conſecutum otium pauci magno , & victori exercitui alteri fortiter reſtiterunt . *Tantum virtutis paupertas adverſus injolentes divitias habet : tantoque inſperata interdum ſperata victoria certior eſt* . Cum deſperatis iſtis , præceptum militare ſic eſt , non pugnare. [a] Hoc illud Scipionis cum Numantinis : qui deſtinata morte in prælium ruerent , *Intellectum ab imperatore conſilium : itaque non eſt permiſſa pugna morituris* . Præceptum alterum militare eſt , ſpem iſtis præbere aliquam : quos vincere prælioque velis . Quid nunc dicimus & exempla hujus fortunæ variantis? Primo Punico bello num floruit res Punica magis, quam cum victi illi & prælio , & bello ſunt ? Aut de ſecundo quid recitem ? [b] *Propius exitio fuerunt , qui vicere: & ſi quis conferat damna utriuſque , ſimilior victo videbitur populus , qui vicit* . [c] Atque Scipio generaliter , idem quod de Lucilio recitabas , Picene, *Magnis omnibus bellis victi vicimus* . Atque ſic Dionyſius , preſſus obſidione a Pœnis ; ſuis inviſus , tamen vicit , quod Iſocrates notat. [d] Atque ſic ille alter de eodem quaſi nido , cum tueri jam nequiret mœnia ſua , obſidet obſeſſorum ſuorum muros: & itidem vincit . [e] Sic Dion de eodem , inſtructus navi una prævaluit tyranno potentiſſimo . Sic exſul Thraſybulus ſexaginta comitatus viris contra vim , atque imperium potuit Lacedæmoniorum . Sexcenta hæc ſunt . Monſtra in bello fiunt magis , majoraque , quam in ulla parte naturæ . *Num capti potuere capi ? num incenſa cremavit Troja viros* ? Mitte , accuſator , tuum jam capiendos. Quæro etiam , ſi alios advocare Campani non potuiſſent iiſdem conditionibus: qui ſe tutari a Samnitibus potuiſſent? Deſuiſſent Hetruſci conſanguinei , vicini Græci , Pœni avari. Quanta igitur ſpes illa Samnitum erat : quibus de mediis rapta faucibus præda intelligatur ? [f] Neque enim inſpicitur , aut conſideratur , quod ſperatur , & fieri

a *Flor.* 2.
b *Liv.* 22. *Flo.* 2.
c *Liv.* 26.
d *Juſtin.* 22.
e *Plut. de vi. be. Ath.*
f *Cepb. conſ.* 3.

fieri poteſt, niſi certum hoc idem ſit, & infallibile: ut idem ſcribit Cephalus. Atque audis, accuſator, valide, & varie reſponſum eſſe rationi tuæ poſteriori. Simul & intelligis, opinor, hinc infirmitatem prioris. Nam ſi potuerunt Romani ferre Campanis auxilia, etiam Sidicinis potuiſſent jure. Jure inquam: ut de jure diſputatio noſtra eſt. Etenim concedam tibi, noluiſſe meos Sidicinis opitulari. Ultima tamen non ſolum neceſſitate horum erat extorta deditio: ſed & ſera fuit. Seram deditionem aſpernantur patres: nam petitum jam, & impetratum per Samnites, ut ſibi ab Romanis belli jus liberum adverſus Sidicinos foret. Ita, quem hic ſequeris, Livius. At cape, quod tibi fateor aliud. Tantæ non fuerunt Sidicinorum opes, quantæ Campanorum. Sed num tu putas, bellum ſic ſuſcipi oportere pro aliis, ut nihil cogitemus pro nobis ipſis? Primum, non tenemur eſſe aliis auxilio, ſi hinc nobis creetur periculum. Deinde, piſcari aureo hamo, ſtultum eſt. Aliis tamen & fuere auxilio mei, Fabretanis, Lucanis contra eoſdem Samnites, noſtris deditiis. Hoc mihi notes verbum. Ut enim Florus ſcribit, erat quidem fœdus cum utriſque, cum Samnitibus, & Campanis. *Sed hoc Campani ſanctius, & prius, omnium ſuorum deditione, fecerunt.* An tibi jam reſpondi ad omnia de Samnitico bello? An illud adhuc ſupereſt unum de intereſſe, & damnis Samnitum: quæ debeant Romani ſemper, etſi a Campanis ſuſcipiendis abſtinere non debuiſſent? Sed huic parti reſpondetur breviſſime: ſic jus eſſe adverſus eum, qui alteri capiendas intercipit feras: adverſus eum, qui alteri capiendos intercipit prædones. Nullum enim tuetur jus feras, nullum prædones. Sed Campanos tuetur belli jus, & ratio concertationis: ut, victi ſententiis, non tenentur ad iſthæc tamen, ſi qua cauſſa eis exſtitit concertandi. Exſtitit Campanis juſtiſſima, timor nefarii Samnitum latrocinii. Atque ſic fuit bellum Samniticum, non pro nobis, ſed, quod eſt ſpecioſius, pro ſociis noſtris. Poſtea cum illis bellatum adhuc, cum quibus ante toties: cum Latinis, Hetruſcis, Umbris, Volſcis: toties infidis omnibus, atque rebellibus: [a] qui neque bellum, neque pacem pati poſſent: nec ante quieti, quam expugnati, in deditionem accepti per ſingulas urbes, & omnino ſubacti fuiſſent. Subactos inquam? pro merito cujuſque accepti ſinguli: & multis civitas elargita. Nam tuis iſtis Samnitibus quid feciſ-

[a] *Liv.* 8.

feciſſemus? [a] Fœdera nobis ruperunt ſexies: rabie, furore, ſacrilegiis, humanis hoſtiis in exitium noſtræ urbis agitati, poſt annos quinquaginta, poſt triumphos viginti quatuor ſemper ſuperbi. Bella & cum aliis per contagionem Samnitici exſtitere: cum Marſis, Pelignis, Satricanis, Veſtinis, Auſonibus. Miror de Auſonibus dictum in accuſatione. [b] Immo enim ipſe ſic ſcribit Livius, *Quia ducibus abſentibus impetus eſt factus, nullus modus cædibus fuit: deletaque Auſonum gens, vix certo defectionis crimine, perinde ac ſi internecino bello certaſſet.* Siccine mutilare etiam teſtimonia: cum nec fabulas deceat contaminare? Miror, & Calabriam inductam Græci teſtimonio. [c] An enim verum non eſt, receptum fuiſſe Pyrrhum a Calabris? Græcos iſtos infeſtaſſe claſſibus mare ad uſque Tyberis oſtia? Cum iſtis gentibus ad Palæpolim bellum geſtum? Per iſtos a Tarento Romanis abſtractos ſocios Apulos, & Lucanos? Iſtos crudeliſſimis Romanorum hoſtibus faviſſe Samnitibus? In pace & amicitia deſæviſſe in Romanam claſſem? Barbarice affeciſſe contumeliis Romanam legationem? At jam memoravimus, quod fugit accuſator, Italicas gentes omnes: quæ Romanorum armis oppreſſæ ſunt: & gentium injuſtitiam, Romanorum ubique juſtitiam patefecimus. Quæ ejus populi veluti adoleſcentia, fuit: cum flore virtutis exarſit: [d] & Italiam, poſt quingenteſimum a conditione urbis annum, *laceſſentibus aſſidue uſquequaque finitimis*, tot diſtractam in principatus, & reſpublicas diſcordantes coegit tamquam ex variis elementis in corpus unum ſub ſe capite præſtantiſſimo. Niſi tu feros Samnitas caput malueris, aut ſuperbos Campanos, aut Hetruſcos, aut alios ſimiles, aut Picenos tuos, & Aſculum, & Corfinium. [e] Mei *victis nihil præter injuriæ licentiam eripiebant*. Meos dico veteres illos, de quibus nunc ſermo eſt. Et id ſane dico, Romano teſte: ſed idoneo; qui de Romanis poſtumis pari fide, *perinde quaſi injuriam facere, id eſſet imperio uti*. Nunc igitur a patriis non calamitatibus, ſed felicitatibus, alio convertatur oratio: ubi provinciæ factæ, & gentes ſtipendiariæ, vectigales, & tributariæ ſunt.

[a] *Jor. de rc. ſu. P. Dia. 2. Flor. 1.*

[b] *Liv. 9.*

[c] *Liv. 7. 8. P. Dia. 2. Flor. 1.*

[d] *Flor. 1. 2.*

[e] *Salluſt. Catil.*

CAP.

CAP. VIII.

De bellis Punicis.

IN Siciliam quæ cauſſa devexit arma Romana? *Cum viderent opulentiſſimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ ſuæ abſciſſam, & quaſi revulſam, cupiditate ejus jungendæ, & ad continentem ſuum revocandæ exarſerunt. Sed ecce, ultro ipſis viam pandentibus fatis, nec occaſio defuit: cum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ civitas Meſſana quereretur.* Ita Florus: quem tu, more tuo, mutilum exhibuiſti. Exarſerunt cupiditate etiam prædæ opulentæ: ſed naturali alia adhuc cupiditate, reſtituendi ſuo corpori avulſum membrum: *Sed ecce*, Florus ait, *nec occaſio defuit*. Sit juſta adquirendi cauſſa, voluntatem nemo vituperaverit. [a] Et quamquam Cyro, & Alexandro datum crimini fuit deſiderium iſtud imperii proferendi: juſtitia tamen ſine odio eſt. [b] Non tu de magiſtris tuis didiciſti, bellum pro gloria, & imperio juſtum jure gentium eſſe? & juſtum ſic fuiſſe Romanorum imperium, quod ita crevit? Etiam ad juſtam, & rectam dominationem juſtum eſſe bellum didiciſſes. [c] Huc addidiſſes, Siciliam iſtam patriam Cyclopum, nutricem tyrannorum, captivam ſervorum: ubi carnibus hominum primi, cruciatibus medii, mortibus poſtremi paſcebantur. Hanc Siciliam, prædam omnium, armorum externorum ſemper præmium, Romani non cupiiſſent a tot monſtris, calamitatibuſque liberare, & veteri capiti ſociare? Et neque tamen ſe dum commovent. *Sed ecce nec occaſio defuit: de Pœnorum impotentia fœderata civitas queritur.* Itaque [d] *Mamertinorum ſociorum periculum juſta nobis, ac pia induit arma:* ut ait Scipio. Juſta ſane, ac pia: nec quiſquam negaverit. At de Floro excipis, ſpeciem quidem iſtam fuiſſe juvandi ſocios, re autem prædam ſollicitaſſe. Quo de interiori ſenſu animi diſputandum tamen nobis non eſt. Aperta cauſſa belli juſta eſt. Populus autem auxilia Mamertinis decrevit: ut ut ſine auctoritate ſenatus. Ut id eſt, quod Polybius ait. [e] Nam Livius, etiam a ſenatu decreta, etſi per contentiones, & diſſenſiones, narrat. [f] Decreta auxilia & contra Hieronem, & contra Pœnos. Quid amplius? Decerni non debuerunt flagi-

a *Procop. 2. Perſ.*

b *Caſtr. rep. l. 5. de ju. & vi.*

c *Oroſ. 2. c. 14. Juſt. 4.*

d *Liv. 30.*

e *Liv. 16.*

f *Plin. 16. c. 29.*

flagitiosissimis viris? Scilicet ad nos pertineat, justi, an injusti sint, qui nostræ civitatis non sunt. Et opem non ferimus afflictis communi potius jure humanitatis, quam ullo eorum merito singulari. Et hic non etiam occurrebatur impotentiæ Carthaginensium? quos
a *Chrysost. 1. Cor. Hom. 25.* crescere, & quidem vicinos nobis, non expediebat. [a] An tu domi occlusus agis, si ædes vicini ignis ceperit? An tu ignoras, perire nostram nobis utilitatem, qui non respicimus ad vicini? Sic Deus colligare invicem omnes voluit, & hanc rebus hominum imponere necessitatem, ut in proximi utilitate alterius etiam esset colligata, & mundus ita constitutus esset universus: neque enim homines aliter commodum proximi accurassent: & hoc tamen non tam Deus voluit, quam ut ratione humanitatis benevoli omnibus, atque benefici simus. Quæ suo illo ore differit Chrysostomus aureo. Sic decreta semper bene auxilia Mamertinis. Sed nec mittebantur decreta auxilia? Sed neque constituta dies erat: intra quam missa esse oporteret. Et res istæ arduæ exercituum comparandorum, classium instruendarum, in civitate tum nec concordi satis, dictæ factæ esse non potuerunt. Hoc est imperii nostri arcanum, quod tu tibi ingeniose fingis, accusator. Nos notemus, quod si ita exarsissent cupidine prædæ Romani mei, utique nec controvertissent de sumendo bellum, nec cunctati essent in apparando, nec lente adeo ad istam cupitam prædandam movissent gradum. Aut qui ardent etiam deliberare, & torpere valent? At Picenus disputat contra Polybium: &, non licuisse, ait, Romanis in eas Siciliæ partes navigare, quæ Pœnis parebant: ita-
b *Liv. 14.* que nec Messanam, quæ jam Pœnis parebat. Belle. [b] Ipsi Pœni sic fœdus violarunt primi: qui auxilio Mamertinis venerunt. Et sic epitome Liviana. Quid enim Pœnis cum sociis, ac fœderatis Romanis erat? Non dubium est, quin fœdera ita fuerint, ut neque Romani navigarent in partes Pœnorum, neque in partes Romanorum Pœni. Aut si isti Siciliam totam occupassent, Romani tota exclusi Siciliæ navigatione exstitissent? Etiam ut amittere illic socios facile possent? Etiam ut metuenda Pœnorum potentia, & vicinitas posset ita augeri, nobis eis fretum religatis? Immo, *Iberum Pœnus ne transito*. Sed instat accusator, contenditque, discedere debuisse Messana meos, quemadmodum & Carthaginenses discesserunt. Et magnam, & manifestam æquitatem hanc, ait. Cur tamen istud? Improbos Mamertini se, levesque

veſque præbuere nobis: qui noſtris non exſpectatis auxiliis, quæ petierant, & impetrarant, ad Carthaginenſes tranſierunt: ad quos neque tranſire poterant, quin ſocietatis, ac amicitiæ noſtræ jus non violarent; addendo ſe illis, qui ſibi per fœdera jungi nequibant. Fidere Mamertinis poſtea non potuimus. Fidere illic Pœnis poſtea non potuimus. Quid? & non ante etiam fœdus nobis violatum a Pœnis fuit? qui contra nos auxilio Tarentinis fuerunt? Et, cum arguerentur mali ejus facinoris, labem perjurio accumulaverunt? Tui hæc dicunt teſtes, Picene. Sed hic & de Sardinia, hic & de Corſica: altera, quod extorta Pœnis iniquiſſime: & in id omnes conſentire ſcriptores: altera, quod nec intelligitur, cur ſubacta ſit. Et ſic ſane de Sardinia Livius, & pleno Polybius ore. Ego autem, quod licet per accuſatorem, a ſcriptoribus iſtis quæſierim unum, ſi Carthaginenſes ipſi, qui viri acuti fuiſſe perhibentur, conqueſti eam iniquitatem ſunt unquam: etiam poſt quam inferre bellum Romanis ſunt auſi? Veriſimiliter itaque cauſſa illic nulla erat: aut ipſi vidiſſent melius, quam fecerit Livius: qui cenſet, querelam afferri iſtam juſtam oportuiſſe. Age, audi, accuſator, aliud. Si duobus his teſtibus opponere ego quatuor poſſum, tu quid dices? Sardiniam ego non extortam per fraudem, ſed conceſſam per fœdus cum Lutatio ictum adfirmo; teſtibus Dione, Diacono tuo, item Oroſio, & Sex. Victore. Quod ſi facit ſemper non nihil numerus teſtium: & illuc vergere habet ſententia, ubi tantulum vergit probatio: nos vincimus. Majores ſunt illi ſane teſtes, quam Diaconus, Oroſius, Victor. Dionem non dixero. Sed iſti tuique ſunt; & valere ſupra unum Livium poſſunt, dum Polybius, & Dion æquo certant. Vincimus tanto certius, quanto unus dici iſthinc Polybius teſtis meretur: de quo plane hauſit hic, ut facere Livius ſolet. Unus eſt teſtis, cum plurimi de uno habent, quod dicunt. Neque referri ratio iſta valet in Oroſium, Diaconum, Victorem: quos ſaltuatim magis concerpſiſſe narrationes ſuas videmus. Vincimus extra controverſiam, poſtquam ſtat & veriſimilitudo in iſtam partem, inveriſimilitudo in alteram. Recitemus nunc teſtimonia. *Sicilia*, *Sardinia*, *cæteræ inſulæ conceſſæ a Pœnis in fœdere Lutatiano*. Hoc teſtes nunc mei. Etiam recitem, quæ Dion paullo diſtinctius habet. Rebellavit Sardinia auctoribus Pœnis: itaque illatum eis bellum eſt. Sed & data pax poſt mul-

a *Liv. 14. ubi Sigon. P. Diac. 2. Oroſ. 4.*

b *Cic. acad. 2.*

c *Dio. ecl. de leg. a. Dio. 3. Oroſ. 4. c. 12.*

multas legationes, & oratione quidem Hannonis, minimi legatorum. Cum enim facerent Romani apparatum belli: & Carthaginenſibus, finitimo bello diſtentis, nihil moderati reſponderent: miſſus poſt Hanno eſt, juvenis libertatis miræ dicendiqui aliaque plura, & hoc dixit, dediſſe ſe Siciliam, & Sardiniam, quibus non duraturas ad aliquod tempus inducias, ſed amicitiam perpetuam redemiſſent: atque eas igitur reddendas inſulas eſſe, ſi colere pacem noluiſſemus. Hæc illi alii, & Dion: Num vero tempora nos confundimus, & varia in unum facta involuimus? Sane, ſi fœdere Lutatiano tradita Sardinia eſt, illud primum tempus eſt omnium. Et ſi rebellavit Sardinia, certe & tradita fuerat. Et hic tamen habet, quod reſpondeat accuſator: traditam quidem, at inter Africæ motum, poſt Lutatii fœdus: [a] nam & alii ſcribunt, & in laudibus Romanorum, quemadmodum adjuti ſint Pœni milite, & commeatu: quæ hoſtibus Pœnorum, illis mercenariis, occluſa fuerint: & quemadmodum recepti non ſunt, qui deſciſcere ad Romanos volebant, Uticenſes, & Sardi. Age, relinquamus rem dubiam in ea ſcriptorum varietate. In re dubia accuſator non vincet. Nos laudes iſtas arripimus Romanorum: [b] quas & alii ad cælum ferunt: & hoc addunt, ab iſta clementia, & humanitate eorum factum, ut ipſi nos poſtea in negotia inciderimus. Venio ad ſecundum tempus poſt fœdus Lutatii. Pœni Italos mercatores, Romanoſque interficiunt, & mari mergunt. Hanc dicimus juſtam cauſſam belli: & Sardiniæ eripiendæ, oportuni criminum loci. Eſto res, ut ita narrat Appianus, homo Ægyptius, id eſt Libycus, & Pœnus magis, quam Romanus. Atque quod Polybius replicat, tranſactum de his mercatorum injuriis jam antea exſtitiſſe: & Romanos de tranſactis non habuiſſe movere poſtea controverſiam: ſic tibi tollitur, & Polybio: ut de captis, & carceratis mercatoribus, & de reliquis injuriis cognitis tranſactum fuerit: non etiam de necatis, & merſis mercatoribus, & de aliis injuriis, quæ latuere (ut ait Appianus) diu. Ad incognita, & incogitata nullam trahi conventionem, certum eſt. Nullæ fuerunt injuriæ aliæ, quæ latuiſſent? Sed teſti dicenti, Appiano, credendum eſt magis, quam vel neganti, Polybio. Sic igitur, ſi non primo, non ſecundo, at hoc tertio tempore tradita Sardinia, & capta eſt juſte. Quamquam ſi hoc eſt, non re-

[a] *Cor. Ne. Amil.*

[b] *Polyb. 3. App. Pun. Zona. 2.*

rebellioni ejus insulæ, non orationi Hannonis tempus relinquitur. Secundum Polybium his nullum est tempus quoque. Secundum alios illud esse potest, quod post Lutatium fuit. Quin igitur in tanta varietate, & obscuritate aut stamus pluribus concordibus, qui in fœdere Lutatii manent? aut in illa quiescimus ratione, quod si injustitiam accusare nostram Pœni potuissent hic, non eam tacuissent, & prudentes satis semper, & tum moventes bellum secundum potenter? Sic Sardinia est. De Corsica iniquius proponitur argumentum. Latet causa viros versatissimos in historia: Ergo causa nulla est. Atque amisso Livio, & reliquis rerum earum monumentis, ita liceat argumentari? Sed & viri illi magni tantum dicunt de causa factæ provinciæ. [a] Sed & hoc ego dico, captam Corsicam serpente bello: & Florus hoc dicit, *serpente bello Sardinia annexa, atque Corsica*: ita descriptor Flori Jornandes. Sic sæpe. [b] Sic Appianus, *Nullum in Rhætios, aut Noricos bellum gestum privatim reperi: quamobrem cum reliquis finitimis una devictos arbitror*. Sic est junctim mentio istarum insularum scriptoribus. [c] Pro Sardis, & Corsis defensandis Pœnos adfuisse, narrant. Sardos, & Corsos lacessisse magis, quam exercuisse Romana arma. In Sardinia contra Sardos & Corsos pugnatum. Sardos, & Corsos rebellantes subactos. Sardiniam, & Corsicam a Metello victas. Et id genus alia. [d] Una scilicet ut videtur insula, ita unam utriusque incendium verisimiliter fuit. Sic insulas habemus. Habemus Punicas etiam Hispanias. [e] *Non cum Hispanis ab initio, sed cum Pœnis in Hispania inde contagio, & series, caussaque bellorum*. Pulsi illinc secundo bello Carthaginenses sunt. Et belli hujus æque bona, aut etiam melior causa fuit. Quod omnes historici tradunt. Quid mihi in Hispanica re citas contrarium, & magnum nominas testem Macchabæicum? Non ille peritus rei Romanæ, mi homo. Uni Romanos paruisse in libera republica. Senatum Romæ fuisse trecentorum, & viginti. A Romanis captum vivum Antiochum magnum: deque regnis ejus tributas Eumeni Mediam, atque Indiam. Hæc illius historici: qui ad fodinas auri Romanos tibi in Hispaniam misit. Quid mihi de perfidia Saguntinorum in Hannibalem: & de Hannibalis erga Saguntinos clementia obtrudis? [f] De Salmatensibus illud est, quod ais: relege, & quidem sic relege: nisi velis, quicquid est contra histo-

a *Flor. 2. Jor. de re succ.*

b *App. Illyr.*

c *Oros. 4. Liv. 17. 20. 21. P. Dia. 2. Sex. Ru.*

d *Zon. 2.*

e *Flor. 2.*

f *Polyc. 7.*

riam omnem, ipſamque adeo certiſſimam veritatem. Nam qui alii illi ſunt, qui tradunt, non ab Hannibale, ſed a Metello Saguntinos obſeſſos? Unus, neſcio qui commentarius pannuceus ad Juvenalem. Quid Hannibalis quoque teſtimonium contra Romanos? Cauſſa deſperata tua eſt, Picene, & deſperata ratio accuſandi. Quis enim inimicitias exercentis teſtimonium contra inimicum protulit unquam? Nec vero tu adeo deſipis, ut ſic putes, futuros uſquam ullos unquam, qui ab inſipidis his hiſtoriis traducantur in partes. Et quæris igitur, ſi quid in Pœno reprehendimus nos: etſi ſit ita hiſtoria Saguntina, ut ſcripta a Livio eſt? Tu dicas, accuſator, quid in Romanis accuſas. Nos contra veteres ſocios pro ſociis novis, & his injuſtis bellum ſuſcipere non debuiſſe. Ceterum quod cenſes de veteribus: decipis in eo te. Non enim veteres ſocii tum erant Carthaginenſes: qui fœdera fregerant vetera, & in novo erant Aſdrubalis, pariter cum Saguntinis. Vetus illa deſiit amicitia per bellum. Renovata non ea eſt, ſed inſtituta nova. [a] Scilicet novum eſt, quod exſundatum reſtituitur. Et contra hos ſocios pro aliis ſociis, forſitan fide, forſitan merito aliquo magno nondum notis, ſed certe neque perfidia: immo pro nobis ipſis contra Pœnorum potentiam ingruentem, non decebat bellum ſuſcipere? At injuſti Saguntini. Reſpondeo, reſponſum huic argumento eſſe, cum de Mamertinis idem afferebatur. At quare Saguntini injuſti? Non iſtos hic condemnaveris, quin & Numantinos condemnes poſtea: de quibus Florus, *Non temere, ſi fateri licet, ullius cauſſa belli injuſtior. Segidenſes ſocios & conſanguineos Romanorum manibus elapſos, exceperant, habita pro eis deprecatio nihil valuit: cum ſe ab omni bellorum contagione removerent.* Eadem cauſſa cum Hannibale Saguntinorum. Et nec igitur Saguntini injuſti ſunt, ſi Numantini tui non ſunt injuſti. Non ſunt Saguntini injuſti: etſi medii relicti tradiderint ſe Romanis totos. Non illos nos accepimus ſub ſervitutem: quod contra fœdus fuiſſet, eos ſe ita dare, nos eos ita accipere. Sed ſua cum libertate nobis adjungebantur. At iſtamque negamus adjunctionem, de qua nuperus ſcriptor (non ille Plutarchus) exponit. Saguntum æque Pœnis amicam, in Hiſpanicis Appiani audimus. Cautum vero, immo cautum novo fœdere Saguntinis erat. Nec fuit Livius in iſto judicio præceps. [b] Ut enim controverſum valde videri poſſit, ſi ad

a *Alex. 5. conſ. 34.*

b *Alex. 2. conſ. 178. Jaſ. l. 76 de V. O. Alc. 8. conſ. 30.*

ad futura verbum extenditur: cum tamen poteſt prævideri futurum, tum & futurum venit: & mutuum ubi quid proponitur, ibi etiam futurum continetur. Ut ſic, ſi pax facta pro ſe ſit, & ſuis ſociis, hi quoque comprehendantur, qui poſt aſſumti in ſocietatem ſunt. Quæ omnia in cauſſa Saguntinorum omnes cernimus. [a] Et in illa diſerte pro Romanis ita definit Alciatus, vere magnus juriſconſultus, & eruditus Fornerius. [b] Etiam ea definitio juris facit cumque ipſis verbis Livii: quod ſi conceſſa ſit civitati immunitas, hæc & de futuris adoptatis civibus intelligitur: ne videatur ablata civitati facultas creandi cives. Quid ſi cautum ſociis eſt, & adjectum eſt verbum univerſitatis, *omnibus*? [c] Utique & futura veniunt jam, etſi alias nec venirent. Quid ſi hujuſmodi interceſſerunt cautiones, quæ interceſſerunt proculdubio: ut erant formulæ illæ longis, & anxiis compoſitæ carminibus ſemper. Cedit hic accuſator: &, cedat, neceſſe eſt. Sed illam tenet arcem, quod ita decretum fuit in ipſa urbe, ne auxilia Saguntinis ſummitterentur: quoniam nec fœdere comprehenſi, ſed liberi relicti eſſent. Id tamen ita non eſt. [d] Diſputatum Romæ eſt, ne auxilia mitterentur ſtatim, neve ſtatim ad arma concurreretur: ſed prius de ratione videretur, per quam Saguntinis ſuccurri, Pœnis occurri valeret: ſed prius ut querelæ legitimo more exponerentur. Sic magni illi, Polybius, Livius, alii. [e] Non dubium fuit, quin violatum ab Hannibale fœdus eſſet: qui Iberum trajecerit contra fœderis legem. Id ipſe ſcribit Appianus, nec ſemel. Et tamen non procurritur ad arma? retinente religione, & amore legitimi juris, nulla perfidia, nullo malo arcano. Et ſic tenent Romani Hiſpaniam: in quam & ſocietatis Saguntinæ cauſſa bona, & cauſſa violati a Carthaginenſibus fœderis arma portarunt. Violarunt illi fœdus, cum Hannibali permiſerunt, ut cum Saguntinis, tranſmiſſo Ibero, ageret pro arbitratu: & cum legatos Romanos, qui querebantur, ſic raptos, & ſubactos populos cis Iberum, habuere ludibrio. Quæ in Hiſpania ſunt poſtea conſecuta, perfidia Celtiberorum, rebelliones continuæ omnium illic populorum, & id genus alia, ne attigit quidem accuſator. Rapitur ad Numantiam: quo illum ſequimur: Tu, quid Flore Annei, non Juli Flore: tu Hiſpane ſcriptor, quid popularibus tuis quid blandiris? [f] Aut Galle, quid maledicis nobis? Certe quid rhetori-

a *Alc. l. 1. 8. Forn. l. 1. 58. de V. S.*
b *Cep. conſ. 451.*
c *Bal. l. 33. C. de epiſc. & cl.*
d *Flor. 2.*
e *App. Pu. Hiſp. Ann.*
f *App. Hiſp.*

toricatis tu professor rhetoricæ in Gallia, & in toto hoc tuo rhetor opere? Num rebellis non erat Numantia? Num illic consilium non est initum de bello contra Romanos? Hæc Appianus. Etiam si nihil feciſſent isti tui Hispani, nisi quod dicis tu: illud & justa fuit contra ipsos causſa belli: etsi tum nec injusta ipsorum ratio diceretur: quod stat, ut bellum utrinque sit justum scilicet. [a] Exsciderunt Numantiam, civitatem crudelem, spirituum insolentissimorum: quos culpa nutrierat eorum (fatendum id nobis est) ducum, qui a nobis missi illuc primi sunt. Stulti Numantini, qui crediderint, civitati nostræ defuturos meliores, si minus bonos illos vicissent. [b] Sed immo civitas mea Numantiam non exscidit. Scipio exscidit absque decreto populi. Neque tamen hoc dixerim, quasi exscindi Numantia non meruerit: quæ est vi capta: & eadem contra se rationes habuit a Scipione, quas a populo habebat. Nunc nos insulta, Picene. Numantia jacet, tanta illa virtus, nostræ majoris monumentum virtutis. Noluit conditionibus ullis eam se dedentem accipere Scipio: qui (Florum audi) *veram vellet, & sine exceptione victoriam*. Agite, in Africam traiiciamus: bella concludamus Punica. Urbem Carthaginem, & Punicum imperium extinxerunt. [c] Etenim Pœni contra fœderis legem instruxerunt classem, exercitum pararunt, frequenter territarunt Masiniſſæ fines. Quid hic obgannit Orosius? Ecce audis causſas ejus belli de Appiano, ac Floro. Quod illud Orosii argumentum? Alii volebant, Carthaginem dirui ob securitatem: alii, ad virtutem acuendam servari: Igitur causſa non ex injuria Carthaginensium erat. Videlicet non disceptatur sæpissime, si, parcere nocentibus, expediat: & quomodo expediat, victoria uti. Expediebat, exscindi Carthaginem. Sic Cato. [d] Urbem Capuam non exscidimus: erat enim in oculis: ut timere ab ea non oporteret. At nec timore, sed magis invidia imperii est exscisa. *Invidia magis*, non invidia tantum, sed & noxia ejus temporis: quam ostendi. Et quæ noxia nobis justam fecit exscindendi potestatem: sicut fecit invidia voluntatem. Fateor invidiam, fateor: & illo utor Cæsaris, *Invideo gloriæ tuæ, Cato, quoniam & tu invidisti meæ*. Invidimus gloriæ Carthaginis, quoniam & Carthago invidit gloriæ nostræ. Hæc illa est celebris illarum rerum publicarum æmulatio. Alterum auctoris ejusdem ferri non potest, *Magis quia vo-*

le-

[a] *Cic. 1. de off. Val. 2. 4. 7.*

[b] *App. Hisp.*

[c] *Flor. 2. App. Pu.*

[d] *Cic. agr. 2.*

lebant Romani. Quid enim ſi volebant, hoc eſt, velle debebant: ut accuſator ais? Volebant, hoc eſt credebant, quia timebant? [a] Sic alibi: *Quæ etſi falſa nunciata fuiſſent, apud timentes tamen pro veris habebantur*. Metus juſtus eſt, ſi cauſſa metuenda juſta eſt, etſi periculum nullum vere ſubſit. Neque tamen hoc indigemus præſidio. Sunt enim (ut dixi) oſtenſæ noxiæ. Etiam ſi nec tantæ fuiſſent, quantæ mererentur per ſe pœnam tantam: erant veteres tamen, quæ novis his additæ merebantur tantam. [b] Et vetera delicta, etiam punita, vel condonata, faciunt, quod ſequitur, delictum gravius, & in eo puniendo manum addunt: ut ſic convenit inter juris prudentes, & moribus receptum eſt. Nec juvat Pœnos, quod, experti iniquos Romanos, proſpicere ipſi ſibi coacti ſunt. [c] Namque eſt ſemper verum, ſic in fœdus veniſſe, *Ne bellum in Africa, neve extra Africam injuſſu populi Romani gererent*. Quod etſi durum, erat ſervandum tamen. [d] Duriſſimam ipſi Pœni viderunt uſque a principio legem, cum eam dici ſibi audierunt: & cum recuſarunt propterea pacem abuſque principio: duriſſimam legem, interitum civitatis, viderunt: [e] Neque enim, ut privatorum tranquillus ſtatus eſt tutus maxime, ita & civitatis eſt: quod natura, quod perpetua oſtendunt exempla: etiam exemplum civitatis noſtræ, ablata æmula iſta Carthagine. Sed & ſic coacti pacem tandem tamen accipere. Cujus jus pactæ pacis abrumpunt Pœni injuſte, tenent Romani juſte, nec crudeliter. [f] Nec enim crudele quid efficit, qui leges ſequitur. Aut num injuſti mei ſunt: qui regi favent Maſiniſſæ? Mirum, ſi non Carthaginenſibus magis, quam regi *bono, ſocioque*; ut Florus ait, & omnium maxime merito de re Romana. At favent, quantum poſſunt: [g] id eſt, quantum per leges poſſunt: ut hæc poteſtas eſt: & ut illa altera ſine juſtitia omnia tum potuit Romanorum, & Maſiniſſæ ſupra Carthaginenſes. Vera illa poteſtas eſt, quæ regi favet: & quæ plurimis in toto jure favet ſæpe cauſſis, & perſonis. Nihil eſt, quod nulla ſit lex, aut pactio de ſe non defendendo. Nam publica iſta conventio pro certo valet: ut valetque illa ſe dedentis hoſtis, per quam vita etiam in voluntate, & manu ſit hoſtis: quamvis in privatorum negotiis vera iſta non cenſeantur. Lex ſumma Pœnis, ne bellum gererent. Lex ea violabatur ſtatim, ac gererent. Lex prohibitoria

a *Juſtin.* 31.

b *Cla. §. furtum. Exo.* 32. *ubi Tre. Decia.* 2. *conſ.* 27.

c *Liv.* 30.

d *Dio. ecl. de legat.*

e *Dio.* 38.

f *Caſſ.* 7. *var.* 8.

g *l. ult. ubi Gl. de relig. l.* 15. *de condit. inſt.*

prævalet. Lex prævalet, quæ violatur ſtatim: ut hæc erat de bello non gerendo: & illa non erat defenſionis, quæ moras patiebatur: namque mœnibus arietes, portis Carthaginis faces nondum admoverat Maſiniſſa. Aut quid dico defenſionis? [a] Ipſi fuerunt Pœni, qui, occupatis bello Celtiberico Romanis, vaſtant Maſiniſſæ fines ejus agri, qui judicio Romanorum judicatus Maſiniſſæ eſſe. Qui legatos Maſiniſſæ, & in his filium, non admittunt in urbem: abeuntes territant, & tractant male. Quæ igitur Romanos admonebat juſtitia, non favere regi? ſtudere, bellum componi placide, quod ſuſceptum contra fœdus, ac geſtum a Pœnis eſt? Hæ ſunt ſolidæ cauſſæ, & rationes pro Maſiniſſa, pro Romanis, adverſum Pœnos. Ad iſtas mihi reſpice accuſator: &, quæ adjectæ ſunt leviores, tu mitte mecum. Nam eſt ſatis, ac ſuper, ſi per aliquas vincimus rationes. Mitte tu inania verba, & Byrſam, & caſas, & cumulum, & ſtramen. Huc ad rationes contende. *Maſiniſſa, locum injuriæ ratus*. Et Maſiniſſam ſi concedam Pœnis iniquum, quid ad meos? quid tum? Homini injuſto meos favere non oportuiſſe? Sane non contra juſtos. Sed Pœni infames etiam erant: adeoque comparatione ipſorum juſtus haberi Maſiniſſa potuerit. [b] *Etiam nocentes, viri boni, ſi neceſſarii ſunt, non defendendos eſſe, non putant*. Etiam dicimus injuriam bellum. [c] Etiam non ſemper injuſte fit injuria: non injuriæ ſpecies contumelia. Perge quærere, Picene, de rationibus, quibus eſt bellum adminiſtratum: nam, quæ in bellum moverunt Romanos, juſtiſſimas audis. In primo Punico laceras populum morantem Reguli reditum. Regulum laceras, legatum perfidum. Iterum populum, qui Regulum, juſte necatum, injuſte vindicat. At adverte, Picene, ſemel ad confectas res, non ad diſputatas, & cogitatas. Neque enim ignoras, multa tractari, quæ non conficiuntur: & in tractatu nullam eſſe obligationem. Neque enim ignoras, eſſe hoc quoque tempore juriſconſultos, nec eos quidem de plebe: qui, Regulum nulla neceſſitate rediiſſe, immo etiam contra jus patriæ feciſſe redeundo, affirmant audentiſſime. Etiam perfidia objectatur unico illi exemplo fidei? At ſuſcepit legationem, quam in contrarium egit. At immo miſſus in legationem eſt: quam hoc agere, vel illo modo, nihil ſuſcepit: cedo iſtam reſtipulationem: egit autem fide in patriam maxima, & admirabili. Et ergo crudeliter ne-

Ce-

[a] *App. Pun.*

[b] *Cic. pro Syl.*

[c] *Ter. Eun. Inſt. de inju.*

catum ab hoſtibus crudeliſſimis vindicant cives ſui juſtiſſime. Atque tantum in primo, & nihil amplius potes? In ſecundo etiam minus? Si enim captivi remiſſi non ſunt ad Hannibalem, id, quia nec repetiti ab Hannibale, ſic fuit. Oſtende repetitos. Nam jus non petenti nec redditur. Nam Romani contemtum Hannibali jus obtrudere non debebant: &, ad ſe ipſos quod attinet, juſtitiæ fecere ſatis, qui turpiſſimos homines notis meritis confecere. Quid nunc in tertio? Bellum ſimul indicitur, & infertur. Indicitur tamen? Sed nec erat neceſſe, Carthaginenſibus indici ſollemnius: qui tributarii jam, & obnoxia illa pace non arma tangendi ſub nobis erant. Æqualibus illa ſollemnitas, ac ritus indictionis debetur. Et ea (ſic ad Polybium, atque Varronem) ſervata meis, donec meis exſtitere æquales: ſervata cum his omnibus, qui profeſſi noſtri hoſtes non erant. Nam Germanis, Parthis, profeſſis hoſtibus cur bellum indixiſſemus? Cur Carthaginenſibus nunc? Cur eis reddidiſſemus hac indictione facultatem tractandorum armorum: quibus & contra nos uterentur? Non fuit hoc bellum. Non ad perduelles ibatur. Ultio erat de obnoxiis, & rebellibus. Jam fruſtrationes etiam commemorantur fruſtra. Idque tollitur totum Appiani verbo uno, certas nunquam dictas de pace conditiones. [a] *Spem deditionis non ademit: obſidesque imperavit*: ait ille. Obſides, id genus alia imperare, non eſt pacem dare. Salva igitur fides, ſalva Romana juſtitia eſt. De callida forſitan ratione vafrities Punica altum ſilebit: neque per legem ullam belli nos eam condemnare valemus. Etiam laudare iſthic valemus: per quam Pœnis conſulebatur, ut neque perire valerent, neque furere furorem, jam inermes, jam arctis vinculis ſtricti. Dic Picene, dic unum mihi, ſi, loqui proprie, & verborum proprietatem ſequi, & retinere, ſit vetitum? Nam civitas promittebatur libera. Et promiſſioni ſic fiebat fatis, ſi civitas ſervabatur libera: ſi ſuæ leges, ſi ſui magiſtratus civitati adſervabantur. De alia libertate dictum nequibat intelligi excellentiori, & de illo urbis genio magno. [b] Nam facta perpetuo ſub tributo, prohibita naves habere bellicas, ſpoliata elephantis, vetita tractare arma, obnoxia nobis cogitare de ſuo illo genio Carthago non habuit: ſed hoc tantum, quod dico: & quod illa audivit, intellexitque proximo fœdere Scipionis, *ut liberi legibus ſuis viverent*. Salva fides, ſalva Romana juſtitia

a *Cic. pro le. Ma.*

b *Gell. 6. c. 3.*

est. Non erubescimus. Carthago deleta pessimo suo est merito? deleta Numantia: altera in meridie, altera in occidente: [a] ad notandam hostium calamitatem nostrorum, æternum testificandam victoriam nostram.

a *Cic. agr.*

CAP. IX.

De Græcia, & Syria.

ET ita vix relictum Corinthi vestigium est. [b] Procul enim a conspectu imperii, potens exsurgere, atque recreare se, vehementer erat timenda reipublicæ nostræ. Nescis, tres solum urbes in terris omnibus statutas, Capuam, Carthaginem, Corinthum, quæ potuerint imperii gravitatem sustinere, ac nomen? Ipse hic tuus Cicero an non addit, in exscidium Corinthi Romanos motos ob istam caussam, ne illa loci opportunitas adhortari aliquando ad bellum faciendum posset? Aut ignoras, tantus magister, quantus videri vis, juris licere consulere statui suo, & securitati? Res omnes, nec timendas fortassis, sed quæ aut tenuem præbent periculi suspicionem, auferre? Etiam prospicere in tempus longissimum decet: neque expectare, donec fores, & cubicula, cubiliaque periculum pulset. [c] *Victor hoc timere potest, quod non timet.* Certa hæc imperiorum ratio est. Nunc igitur audiendum de justitia est: per quam Romani & huic securitati caverint, & in Corinthi exscidium venerint. [d] *Critolaus caussa belli: qui libertate a Romanis data adversus ipsos usus est*: sic Florus. De quo illud, facinus indignum, ut oppressa civitas fuerit ante, quam in numerum certorum hostium referretur. Judicium, quod negamus. Et ante diximus de Carthagine, non esse opus cum his sollemnia hostium observare, qui sint nobis obnoxii. Audin' ab eodem Floro, ultionem mandatam criminum Corinthiorum? Etiam cum his sollemnia teneantur, qui legationemque violarint? Non mittitur ad eos legatio, apud quos sanctum suum legatio locum non obtinet. Et isti per se satis, & super, tanto admisso facinore plusquam hostili, in numerum certorum hostium se retulerunt. Sic mecum de scriptorum sententiis, Picene, judica. Illa, inquis, commemorare non attinet, quæ notant omnes gesta turpiter a Romanis ad concilium

b *Cic. agr. 2. de off. 1.*

c *Sene. Agam. 4.*

d *Flor. 2.*

cilium diſſolvendum Achajæ: unde Corinthus, & reliqua Græcia conflagravit. Et hoc imperii arcanum noſtrum, hic, alibi, notas. Ego tamen nec contra de iſto pugnem: at nego ſolum factum turpiter. Achæi nimis potentes propter iſtam conſpirationem videbantur? Hic nihil turpiter: ubi circumſpectator oculus tantum apparet. Quærebant Romani cauſſas belli? Scilicet remedium, quo tutior ſuus, & firmior ſtatus evadere poſſet: & quod neque reprehendere potes: ut ante in Tullo reſpondimus. Quærunt cauſſas. Sine cauſſis non movent: ut ante etiam reſpondimus in Sicilia. Quærunt cauſſas, juſtas ſcilicet: nam injuſtæ nec ſunt cauſſæ: & injuſtas nec neceſſe eſt quærere: quæ paſſim ſunt. Et hactenus itaque nec quidquam turpiter: quod tu addis verbum narrationibus ſcriptorum ſane (pace ſit dictum tua) turpiter. [a] *Quærentibus igitur Romanis cauſſas belli, temeſtive fortuna querelas Spartanorum obtulit: quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur.* Hanc ſociis demere injuriam, placuit. Nunc ne mutire quidem audet audax accuſator. Aut eo revertitur, quod *legatis occulta mandata data ſunt, ut corpus Achæorum diſſolverent, ſingulaſque urbes proprii juris facerent: quo facilius ad obſequia cogerentur?* Illum juvo. [b] Sic Themiſtocles graviter caſtigat Lacedæmonios, quod non virtute, ſed imbecillitate ſociorum potentiam quærerent. Sed non juvo tamen. Erat enim Romanorum cura ejus ſtatus, & libertatis Græciæ: cujus & conditores fuerunt. Audi, ut pro eo jure verba faciant, & decretum ſenatus in conventu totius Græciæ legati recitent. De Agrippa rege, quod factum temporibus Claudii, tanto fuit loquendum minus quanto rex ille ſubditus Romanorum magis erat. Sic igitur & deleta Corinthus, ingrata civitas, & violatrix legationum. Quid factum in Græcia reliqua. [c] *Implorantibus Athenis auxilium contra Philippi regis injurias: placuit ſenatui, opem tantis ferre ſupplicibus. Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes præſidia ſibi ab hac urbe petebant.* Ut pupillo noſtro, regi Ægypti: ut amicis noſtris, Attalo, & Rhodiis auxilia ferremus: bellum decretum contra Philippum. Etiam hoc renotemus in cauſſa Achæorum: quod etſi ſingulari, quam dixi, ratione Spartanis, aliiſque adeſſe Romani non habuiſſent, hoc tamen generali decuiſſet eos, illam non negligere curam. [d] Id & Adherbal dicebat, Romanis pro magnitudi-

a *Juſti.* 34. *Plut. Philop.*

b *Juſti.* 2.

c *Flor.* 2. *Juſti.* 30.

d *Salluſt. Jug.*

tudine imperii esse curæ debuisse jus, & injurias omnium. Id & Plutarchus censet in eo libro, qui de fortuna est Romanorum. Græcia igitur, petita a Philippo in servitutem, Romana arma in Græciam devocavit. Justa an non est causa? Etiam censet accusator justam. In altera cavillatur, Hannibalis adjuti pecuniis, auxiliisque ejusdem regis: quia desierit hæc esse causa, cum acceptas injurias Romani dissimularint. Atque bellorum causis sic præscribatur, ut injuriis privatorum? [a] *Professa perdunt odia vindictæ locum.* Et in persecutione civili verum non est: cum semper sit magistratus eodem modo potens injurias vindicare: est verum in violenta persecutione: quam præcognitam aut vitare, aut facilius omnino sustinere valemus. Ridiculum porro postremum est, quod venerint immo ad deprædandam Græciam mei, prædones ipsi, & a prædonibus Ætolis deducti. Quid enim? liberatam Græciam non intuemur? Suspicionibus, petitis longissime, indulgemus: & præsentia cernimus gesta contraria? Aut injecta hic mentio est de latronibus & prædonibus, ut latrocinia somniata quædam memorata commode viderentur. Scilicet laudatissimo illo legum fonte societates piraticæ adprobatæ sunt: & ejus rei supereſt vestigium illic, ubi scribitur etiamnum, potestatem a legibus duodecim tabularum his fieri, qui ejusdem collegii sunt, pactionem sibi ferre, quam velint: legem ex lege Solonis translatam: eaque permittente prædatum ire. Etiam permittente, *dum ne quid ex publica lege corrumpant* tamen: &, ut Solon dixerat, *dum ne id publicis sanctionibus probibeatur*. Atque prohibitum tum erat prædari, & latrocinari. Aut si prohibitum non erat: quid reprehenditur? Et videtur sane necdum prohibitum: [b] nam inquit Trogus de temporibus Tarquinii regis, & Phocensium, qui Massiliam tum condidere, piratica, latrocinium maris illis temporibus gloriæ habebatur. Et fuit tamen, & nunc est aliqua latrocinandi licentia, ac sane justa. Reprehendisti & istam licentiam prædandi res eorum, qui non in fœdere amicitiæ nobiscum sunt: leges isthic reprehendisti, quarum te sacerdotem profiteris: quarumque alii & in parte ista justitiam defenderunt. Sed an hostium deprædari res neque licet? Et igitur sic cape pactiones illas, quæ permittuntur, nihil corrumpentes de lege publica. De hac piratica cape legem fœderis Carthaginensis: si Pœni piratæ sibi de piratica omni non timue-

runt

a *Sen. Med.* 2.

b *Justin.* 43.

runt ab aliis, quam ipſi affatim, & abſque ullo juſti, & injuſti diſcrimine exercebant. Neque vero Alexandri, neque Demetrii verbum, neque Platonis narratio tangit Romanos hic. Trahe, accuſator, omnia: nihil attrahes. De Antiatibus illi dicebant: ut de his etiam ſenſerit Plato, & de Tyrrhenis, & Thuſcis: [a] qui itidem piraticam exercuerunt a priſco ævo. Oenotria ipſa proprie Sabinorum tractus eſt. Si vis, tibi reſponſum & in hoc eſſe. Oenotriam ſolam Italiam nominare priſci. Quod tibi tui auctores, Servius, & Strabo dicunt. Nunc judicia: nunc afferuntur ſenatuſconſulta. Et mihi fere venit in animum, concedere aliquantulum in defenſione. [b] Audi Iſocratem de ſuis Athenienſibus, *Omnia, quæ noſtræ urbi obiiciuntur, non refutabo: nam alii ne deos quidem expertes omnis peccati eſſe putant.* [c] Audi Livium, *Nulla eſt civitas, quæ non & improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem ſemper habeat.* An tu putas, cæleſtem aliquam Hieruſalem a nobis iſthic defendi? & non comparatione aliarum, quæ unquam fuerint, dicere, virtute civitatem meam propagaſſe imperium ſuum in orbem terrarum? Et defendenda nobis eſſe etiam vitia ſingulorum, [d] quæ urbibus nemo adſcribit? Etiam, quæ non commiſſa, ſed ſunt omiſſa, defendenda? Et grande erit civitatis Romanæ crimen, ſi Antiatum, & Thuſcorum latrocinia non impedierit? Etiam ſi non potuerit? Neque enim aut erat ubique unum populi Romani imperium, ut id poſſet ubique, quod cupiiſſet: aut, occupatiſſimo in bellis, ſemper ea fuit facultas, noxios compeſcendi, & puniendi. Etiam illa defendenda ſunt nobis, quæ everſa contigere republica? Etiam, quæ improbata nobis: adeoque emendata nobis fuerunt? Nam, ſic fuiſſe judicia illa Ardeatium & Neapolitanorum, neſcit nemo. Et illud accuſator ipſe habet verbum, *Singuli non nocent univerſitati. De privatis ſpondere, aut præſtare nemo poteſt.* Age igitur accuſator, ſic mecum contende de re publica. Age, contende mecum, ſi voles, ſimpliciter etiam, non per comparationem ad alias, de virtute reipublicæ noſtræ. En quantum mihi præſidium aufero! Age, ad Carthaginem uſque deletam mecum contende: etiam (aggredere latum campum) uſque ad deletam Corinthum: uſque ad deletum Mithridatem. Neque enim mihi es imitandus: ut quemadmodum tu laudatiſſima omnibus ſecula vituperaſti, ita laudem ego ſequentia, quæ omni-

a *Serv. 7. 8. 10. Æn. Cic. Horiens.*

b *Iſocr. ep. 2. panat.*

c *Liv. 45.*

d *Sene. 9. contr. 2.*

a *Aug. 2. de civ.* b *Flor. 2. 3.* omnibus vituperata ſunt. [a] Ad Carthaginem uſque deletam *laudamur* certatim ab omnibus. [b] *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus, aureus, atque magnificus.* Defendo ego & quæ ſunt poſtea conſecuta adhuc ſeculo altero. Nam *hactenus* inquit hiſtoria propter ſeditiones domeſticas, & civilia bella; quæ nobis, virtute etiamnum virentibus foris, labem domi aliquam contraxiſſe videntur. Et de illis nec tu obiicis, accuſator, nec eſt mihi animus reſpondere. Bene uterque diſtinguimus: quod eadem jubet hiſtoria, *ne ſcelera virtutibus obſtrepant*. Defendo poſt Carthaginem multo: ut intelligas, non metu ejus civitatis bonam exſtitiſſe civitatem meam, ſed ſponte ſua, ac virtute vera. Cur enim, ſi metus Carthaginis nos fecit bonos, Carthagine deleta, metu ſublato non exſiſtimus repente mali? Id natura rerum, atque hominum experientia depoſcebat.

c *Cic. pro Syll.* [c] At is, qui vere bonus eſt, nec fiet repente malus, & quibuſdam veluti gradibus ad improbitatem declinat. Age, abſolvamus de Ætolis prædonibus tuis: dicturi poſt de Illyriis, Balearibus, Hiſtris, Dalmatis, Liguribus, Ætolis auxilia non miſſum, ſed ſpeculatores rerum Macedonicarum immiſſum accuſas, & defertum Ætolos. Vera quodam modo facta. Sed accuſatio non vera. Neglectæ in Græcia res: verſis animis ad movendum tandem aliquando Hannibalem ex Italia, bellum transferendum

d *Liv. 29.* in Africam, [d] Et nec ita neglectæ tamen, (eodem auctore jam tuo) quin ſub tempus initæ Ætolorum pacis cum Philippo proconſul in Græciam appuliſſet, auxilio Ætolis futurus cum decem millibus peditum, mille equitibus, triginta quinque roſtratis navibus. Et non irati mei fuiſſent, quod Ætoli ſic ſine noſtra auctoritate, & contra fœdus, pacem feciſſent? Non ſuſcepera-mus manu plena bellum: qui in viſceribus Italiæ Hannibalem habebamus. Sed tueri Ætolos voluimus tantum, & Philippi ar-

e *Liv. 26. 27. 28.* ma inhibere. [e] Itaque illis dedimus, quod debuimus, aut etiam amplius: ſi pro libitu modo credere Livio, modo eidem abrogare funditus fidem non velis. Contra Philippum non eſt viſum ſtatim tentare amplius, & contra nobile regnum Macedoniæ, vi-

f *Juſtin. 29.* ribus ejus incognitis, & inexploratis. [f] Legatum miſſum ad Hannibalem dimiſimus incolumem, *non in honorem regis, ſed ne dubius adhuc indubitatus hoſtis redderetur*. Quæ ſunt conſilia virorum prudentium, non turpia verſutorum arcana. Sequitur de

bello

bello cum ipſis Ætolis, geſto pro Acarnenſibus. Et Livius de iniquitate Ætolorum ſumma explicat: neque Acarnanas hic miſcet. Strabo hoc ſcribit, Acarnanas ſolos relictos liberos ob iſtam vetuſtam cauſſam. Sed hoc aliud eſt. Nam in beneficio benignitas ſola pro cauſſa. Ad bellum faciendum deſiderare aliud conſuevimus. [a] Si non & Plutarchi concidit fides: & Plutarchus ſane accuſat Ætolorum contra Romanos avaritiam, arrogantiam, contumelioſam contumaciam. [b] Etiam tuus auctor: *Offenſi Ætoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque ademta Philippo, & data ſibi in præmium belli eſſet, Antiochum in Romana bella impellunt.* Etiamne defuiſſent prætexus omnes Romanis contra Ætolos, mortalium nequiſſimos: ut ad commentum illud de Arcanenſibus fuerit abeundum? Sed neque auctor tuus, Picene, bellum Ætolis factum tum dicit, aut unquam ex iſto commento; legationem ex iſto commento Roma ad eos miſſam habet. Quid tamen aut commentum dico, quaſi rem nihili? Et non juſta ſunt bella Græciæ pro Jonibus ſuſcepta, veteribus Græciæ coloniis? [c] Et non eſt verum, quod, cum veniſſent poſt Romani Ilion, tanta utrinque lætitia omnium fuit, quanta eſſe poſt longum tempus inter parentes, & liberos ſolet: & quantam epitomator Juſtinus explicandam latius duxit? Et non eſt verum, ornatam eam civitatem a meis ſemper, de Antiochi ſpoliis ſtatim? & non ipſe accuſator? *Albani, memores Italicæ originis exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres ſalutavere.* Et hæc igitur belli fuiſſet cauſſa juſta. Nam quid etiam de belli fine eſt? [d] *Memineramus auxilii* contra Philippum. *Sic* victis, deditis Ætolis *ignoſcere placuit.* Redi, Picene, ad hiſtorias. Non etiam de judicio riſoris inepti, apoſtatæ flagitioſiſſimi hic mihi fereris mutum C. Cæſarem, virum illa vi ingenii, illa oris facundia, illa animi præſentia, illa peritia antiquitatis. Ætolorum caſu, aut ante oppreſſus Antiochus, & in regna Orientis penetratum: in quæ etiam itum antea improbe: cum Judæis tributa fuit libertas, a rege ſuo deficientibus. Ita tu quidem accuſator. Ceterum Tacitus, *Tum Judæi Macedonibus invalidis Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, ſibi ipſi reges impoſuere; qui mobilitate vulgi expulſi*, &c. Ceterum quem tu memoras regem Judæorum? Regem Syriæ, regem? non tyrannum injuſtiſſimum? Siccine ſancta illa Macchabæorum geſta? Siccine ver-

a *Plut. Flam.*

b *Juſtin.* 30.

c *Juſt.* 31. *l.* 17. *de excuſ. Liv.* 38.

d *Flor.* 2.

verbum effugit de ore abominandum? Non ego hic diſputo: at; quod Alexander imperator reſpondit, aptem hic, [a] *Jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet*. Deorum injurias diis curæ: ut alius inquit. Etiam hic Trogus? Qui Damaſco ducit originem, ducit Judæorum: & illic regnantes majores, Abrahamum, Iſraelem facit: & Iſraeli filios, decem: quibus diviſum regnum: & Joſephi natu minimi filium Moſen: &, iſtum ducem Ægyptiorum: qui propter vitiliginem pulſi, & furatum ſacra Ægyptiorum, & reliquas fanaticas ineptias ſcribit, non Tacito, aut Plutarcho melior Judaicarum, & religionum ſcriptor. Sed belli cauſſa cum Antiocho quæ fuit? [b] *Europa jam dubio procul ad Romanos pertinebat: Ille Lyſimachiam repetebat, ut conditam a ſuis majoribus*. Bellum facit parvulo regi, qui poſtremis patris precibus noſtræ erat fidei traditus: & noſtram hac de re ſpernit legationem. Civitates jure belli noſtras factas occupat: & aliam legationem noſtram hac de re mittit irritam. Parat in nos bellum amplius, etiam tentatis ad ſocietatem Carthaginenſibus: & tertiam legationem noſtram itidem ſpernit: quæ id habebat, ut contentus terminis Aſiæ eſſet, ne nobis ingrediendi Aſiam neceſſitatem imponeret. Etiam non accipere, ſed inferre bellum conſtituit. Sic igitur, ſic in Antiochum, arma cepimus: qui elatus ſucceſſibus, cognomine auctus Magni, noſtris, nobisque injurius, & terribilis inſultabat. Hunc multatum dices immaniter? Non ei lex ante dicta talionis, abſtineret alieno, ſi poſſidere ſuum vellet? [c] Non hæc eſt æquiſſima lex, ut qui concupierit, & corripuerit de alieno multum, iſte multum de ſuo perderet? Etiam Perſeus meritus, ut non aliter audiretur a nobis, quam ſi ſe dedidiſſet, & de ſumma rerum ſenatui permiſiſſet arbitrium. Hæc eſt juſta pœna perfidiæ, & fœderum violatorum. Si vera eſt, inquis, defenſio Perſei. Si vera eſt: fœdera nec violavit. Sed qui nos accuſas quaſi ex vera illa defenſione, quam nos veram inficiamur, eam niſi probaveris veram, nec efficis quidquam cum *ſi vera*. Falſam vincunt hiſtoriæ. Fœdus eum patre ictum, ſecum renovatur, [d] itaque ſuum, varie temeravit, & inſolenter rejecit, [e] Non debet ſperare veniam, qui geminat delictum: nec ei parcitur. Quando autem illud obtulit de ſatisfaciendo injuriis? Quum exercitus jam transportati in Macedoniam eſſent. [f] At ceſſare a bello non tenemur, etſi non ſatisfa-

a *l. 3. C. de reb. cr.*

b *Flor. 2. Juſt. 31. App. Syr. Plut. Ca. ma.*

c *l. 4. C. fin. reg.*

d *Decia. 3. conſ. 117.*

e *Bald. l. 5. C. de epiſc. audi.*

f *Ball. 5. con. 3. cap. 15. ad quem Dan.*

tisfacere nobis hoſtis velit Non etiam dare pacem tenemur aut ante bellum inchoatum. Non tenemur. Non tenetur judex indulgere furi, qui furtum reſtituere velit. Aut nimis eſſet fœdifragorum bona conditio, ſi ſic vitare juſtam læſi indignationem, & reliquam peccati pœnam valerent. Sileat mihi de peccato alius. Non peccamus, qui pœnam ſumimus de ſceleratis, & nocentibus. Non peccamus, ſi, pars cum ſimus, ſupra volumus, quam parti debeatur, quoc eſt ſatisfactio. Immo enim & judex ſumus: ut alibi nonnunquam perſonas has duas ſuſtinemus, in bellis autem ſemper. Et judex juſte tum dicitur puniiſſe, cum id effecerit, ut & ipſe, qui peccavit, tale poſthac non audeat quidquam, & ceteri ſint ad injuriam tardiores. Sic Cicero: quem ſollemni tuo more truncum nobis exhibuiſti: ſic leges, ſic interpretes de pœnis: quæ proſpiciunt generaliter in futurum magis, quam de peccato præterito cogitant. Ad hæc move cauſſam Perſei. Divortii cauſſa nihil ad iſtam. *Sed pœnituit eum, qui libellum tradendum divortii dedit: isque per ignorantiam mutatæ voluntatis oblatus eſt: durare matrimonium dicendum, niſi, pœnitentia cognita, is, qui accepit, ipſe voluit matrimonium diſſolvere? tunc enim per eum, qui accepit, ſolvitur matrimonium.* An potes non omnia mutilare? Aut ego tamen cur moras omnes non amputo? Quid reſponſum Perſeo a ſenatu eſt? Mitteret ad conſulem, qui erat in Macedonia, ſi ſatisfacere in animo eſſet. Mittit Romam rurſus. Sed ſatisfactio eſt inficiatio facinorum manifeſtorum, defenſio injuſtorum glorioſa, deprecatio leviuſcula imprudentiæ. Mittit & ad conſulem poſtea: plenus ſpei ab non magna tamen victoria: & alia non pollicetur, quam quæ præſtaret Philippus pater.

CAP. X.

De Mithridate, & Hannibale.

SUpereſt Mithridates. Atque in cauſſa ejus belli ſignificanda duo habet accuſator ſophiſmata: unum, quod civitati adſcribit, quod fuit a ducibus quibuſdam, ut Ariobarzanes, & Nicomedes Mithridatis infeſtarent fines: alterum, quod hinc du-

a *Aup. Mitr.* cit belli cauſſam primam. [a] Et ante hæc Mithridates tamen contra edictum populi Romani plurima tenebat in Europa. Hoc fuit edictum, ut Aſiatici omnes reges Europa abſtinerent. Et edictum juſtum hoc erat. Cum illi ipſi Romani tum Europam de manu Antiochi vindicaſſent. Sed etſi hoc Mithridatis peccatum non eſſet; defendi non poteſt ille tamen: [b] *qui cauſſam quidem belli hoc prætendebat, attrectari terminos ſuos a Nicomede: ceterum elatus animus ingentibus, Aſiæ totius, & ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat.* [c] Ariobarzanem, amicum noſtrum, ac fœderatum, regno pellit, noſtro munere: etiam & Nicomedem. Quos ſupplices cum reſtituere decreviſſet ſenatus: ille meditata jamdudum, & proviſa Septentrionis totius, atque Orientis arma adverſum nos ſuſcitat. Siccine decuit, aut licuit? Si injuriam fieri ſibi a Nicomede credebat: & credebat etiam, agendum ſibi de ea re eſſe cum Romanis: cur non mittit legatos Romam, ut fecit antea in controverſia alia cum hujus Nicomedis patre? Cur ad Caſſium, aut ad alios Romanos duces nunc mittebat: a quibus concitatas ſibi præſentes turbas exiſtimabat? Cauſſas (inquit Appianus) belli ita captavit: ad quod quidem paratiſſimus erat. Captavit occaſionem ex civilibus Romanorum diſſenſionibus: ut ſic Sylla ei reſpondit: immo ipſe ſic profeſſus eſt prius: & inde ſuos animavit ad bellum. Quamquam & hoc falſum, a Nicomede factum principium injuriarum. Ipſe Mithridates primus & regno, & vitæ alterius inſidiatus eſt. Id itidem ipſi exprobat Sylla, [d] & conteſtantur hiſtorici. Moverat nobis bellum Mithridates cum apparatu illo ſuo maximo: quo ſolum eſſe contra nos opus videbatur. Et id prudentiſſime differebat Nicomedes. [e] *Rei qualitas agentis intentionem demonſtrat.* [f] *Paulum diſtare videtur ſuſpectus, vereque reus.* [g] *Inſtat nautis fera tempeſtas: cum ſine vento tranquilla tument.* An exſpectandum erat, dum profeſſus ſe hoſtem nobis fuiſſet? Et non pluris facta ejus, quam verba fuerant facienda? *Quis adeo ſtultus, ut non ex verbis potius, quam ex factis rem cenſeat?* alicubi Cicero. [h] Hoſtes ſunt, qui apparatus faciunt, ut nos oppugnent. [i] Nihil a bello aperto abfuiſſe Antiochum dicebamus: qui magnis cum copiis in Europam trajecerat: etſi abeſſet adhuc a finibus noſtris longiſſime: nam illum quidem, etiam ſi in Italiam trajeciſſet, negaturum. Et itaque Mithridatici belli cauſſa, & principium

b *Flor.* 3.
c *Juſti.* 38.
d *Sex. Vict.*
e *Bal. l.* 14. *C. de teſtam.*
f *Auſ. ephemer.*
g *Sene. Thyeſt.* 5.
h *Dio.* 45.
i *Liv.* 33.

ſic

ſic ſunt. Media belli infamare nobis tacite, clamoſo illo ſuo ſilentio, maluit adverſarius, quam producere in apertum. Videlicet traducere oratione nequiit Romanas partes: facinora ei narranda Mithridatis erant, quæ barbaries nulla a ſe admiſſa audeat confiteri: nullus, quantumvis audax, & ferreæ frontis patronus colorare ſuſciperet: nulla excuſare vis linguæ poſſet. [a] Ut cædem centum, & quinquaginta millium civium Romanorum, una die, tota Aſia, uno nuntio faciendam curarit: & domos, templa, aras, humana omnia, atque divina jura violari. [b] Nam qui iſti occiſi ſunt? Mercatores, alii inermes negotiatores, in amicis civitatibus, cum conjugibus, liberis, infantibus, etiam ſervis Italici generis: & abjecti omnes inſepulti. Proditio hæc ſcelerosa, latrocinium immane, fera rabies, internecina crudelitas: ut late etiam Appianus exponit. Dicam, prætores deditos? legatos in vincula conjectos? nominis Romani memoriam in terris illis deletam? Et his noſter feciſſet adverſarius ſatis? Sed mihi Murenæ factum eſt defendendum: quod factum ſenatus ſuit: [c] & triumphus ſecutus eſt. Ais, Picene, negaſſe Murenam impudenter, videre ſe ulla fœdera. Et tamen non ille, Picene, impudenter, ſed tu una amplius latranti littera imprudenter. Neque enim Sylla, a quo percuſſa fœdera dicebantur, eam auctoritatem habebat fœderis ineundi, ut ante tibi de iſthac poteſtate ducum Romanorum reſponſum eſt. Et neque ſervata fuerant pacta a Mithridate: qui ſolidam Ariobarzani Cappadociam non reſtituerat. Sic contentus Sylla exſecutione pactorum: non facta, non perfecta, ſed ex fœdere perficienda. Quid, quod magnum parabat rex exercitum? Adverſum Bosphoranos ſuos rebelles ſubditos? Sed erat opinio, eum immo cogitare Romanos. Et a qualitate exercitus utique cogitandum ſic erat. Non ſatis Murenæ factum tibi defendi? Aut etiam teſtimonio Syllæ contrario habeo reſpondere? Sed quid ille de facto dixiſſet ſuo? Quid tu de Aſdrubale, qui fœdus ſervavit ſuum? [d] Non probat teſtimonium, ubi vertitur teſtis exiſtimatio. Nunc narra ſenatus Romani fraudem: qui Murenæ palam denunciarit aliud, & clam aliud. Quaſi circumvenire hoſtem dolis cum factorum, tum etiam verborum non liceat. Aut quaſi tyrannis Syllana ſenatum eo modo agere non coegerit, ut ſibi aſſentiretur, & geſtis ſuis aſſentaretur. Nunc narra Murenæ ſacrilegia. Quaſi ſacra hoſtium rapere

a *Plut. Syl. Flor. 1.*

b *Val. 9. cap. 2. Cic. pro Flac.*

c *Cic. pro le. Ma.*

d *Eug. 1. conf 31.*

neſas ſuerit: aut quaſi ſit quidquam ſacrum ſacrilego homini: aut quaſi non juſte repenſa hæc ſint Mithridati ſacrilego. Narra nunc patientiam, & æquinimitatem regis: & perſuade, ſi potes. Alii enim cenſent, Mithridatem, præteritis admonitum malis, factum prudentiorem: & timuiſſe nunc vim Romanam magis, quam antea fecerit; cum ſe ad primos quorumdam ducum motus commovit. Nunc enim receperat Sylla, quæ rex rapuerat: ceciderat regi centum, & ſexaginta millia hominum: caſtra ceperat bina cum apparatu omni. Senſerat Mithridates, quod ille a ſuo ſinu, ac latere ſibi profeſſus eſt, [a] *rem invictam Romanæ arma*. Et hæc tua illa exſecrabilia media belli hujus prioris. Unum hactenus bellum, unum: & alterum eſt, quod ſequitur: & quod cum morte Mithridatis finitum eſt. Immo unum eſt bellum & prius, & poſterius: quia non ſenatus, populuſque priori, ſed Syllana vis tandem poſuit finem. Et ſcimus tamen dici ab hiſtoricis etiam tria cum Mithridate bella. [b] *Tribus ingentibus bellis ſubactus felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii*. Sed loqui hiſtorici conſueverunt cum vulgo: quod ita exiſtimaret, novum eſſe bellum, quod renovatum fuerat a Murena. Modo autem, cum quæritur de re ſubtiliter, miſſa vulgi & oratione, & ratione, loquendum, ſapiendumque cum prudentioribus eſt: qui unum evincunt bellum, quod, bis ſuppreſſum, nunquam legitime finitum fuit. At de cauſſa ultimi belli cur eſt ſilentium acculatoris adeo altum? Monit hoc ſine cauſſa Mithridates. Ita Appianus. De inſidiis, de parricidiis accuſatio eſt. Sed etiam Attilii, hominis transfugæ, & deterrimi cujuſvis facta populo noſtro tranſcribentur? Sylla cur reprehenditur, qui Archelaum ad ſe illexerit? Africanus cur carpitur, qui Pœnum ducem ſollicitarit? Cur Papyrius, qui legatum Tarentinum corrupit? Equidem exiſtimavi ſemper, licere corrumpere arma hoſtium, ad ſe pellicere. Et Parricidium Pompejo cur datur? [c] Non hæc parricidia in illis terris ſollemnia? [d] Et bella Orientis quando abſque ſceleribus aut cœpta, aut terminata. Non abierim longius. Mithridatis parricidia plurima Trogo notata ignoramus? Ab ingreſſu regni matrem veneno interfectam ignoramus? Bellum ejus cum patre, geſtum pro regno, ignoramus? Armatum filium Tigranis, nepotem ſuum, contra ejus patrem, generum ſuum, ignoramus? Pharnacem paren-

a *Plut. Luc. Lipſ. prin. de mil. Ro.*

b *Flor. 3.*

c *Liv. 50. 100. Oroſ. 5. cap. 4. App. Mitr. Juſt. 32. 38. 42. Val. 9. c. 11. Dio. 36. 37. Zoſim. 2. Serv. Æn. 5. Tac. 5. hiſt.*

d *Oroſ. 5. c. 4.*

renti insidiatum, timentem, ne faceret sibi pater, quod fecerat reliquis filiis, quos occiderat, etiam hoc ignoramus? Quid hic simile cum Farnesii casu est? Nisi quod accusator velit pudenda facere, ubi non sunt; illic retegere, ubi tegit jam tempus, & oblivio hominum, &, quasi nec sint, facit. At Pompeii facinus est: qui alia similia patrare solitus, & hoc ipsum patrarat ante in Africa? Ne tamen, ne tu mihi civilium bellorum furores huc trahas ad justa bella. Illud, quicquid Hiempsalis fuit in Africa, belli civilis Mariani, cujus secutus partes pater Hiempsalis, exstitit: In sua sævit viscera rabies isthæc, & sceleri jus omne tradit. At alia Pompeii quid tentas? Probari nunquam Romæ valuisse cum omni ejus viri gratia, & magnitudine, nescis. Quis etiam te furor, Picene, rapit huc, illuc, quod ais, ut nullo ordine a Septentrione nunc feraris in Africam, & ab Occidente trahereris paullo ante in Orientem? [a] Etiam Viriati notas casum, improbatum senatui, & populo, & tribubus. Et fortassis tamen nec improbandum (audi) contra latronem. *Viriatus ex venatore latro, ex latrone subito dux*: ut scribit Florus. Etiam Hispanum hunc latronem, & per latrocinia magis grassantem, latronum more, venatorum ritu, quam per acies justas, & artes ullas imperatorias belligerantem, is Hispanicus auctor, ire in cælum, jubet: tamen a ducibus nostris, nec illis quidem melioribus *fractum, & extrema deditionis agitantem*: quod idem scribit. Non improbaveris, quod est & cum Jugurta affectum, & quod confectum est. [b] Erat regnum illud populi Romani munus: erat in fide Romanorum, & clientela. Perfidus rebellis Jugurta erat: cui jura justi belli, & legitimi perduellis non deberentur. Verum obiter ista accusator. Et illud obiter de præmiis per nostram civitatem non uni sceleri contributis. Vidit enim jus apertum, quod dixi, licere corrumpere arma hostium, & ad se pellicere. [c] *Omne, quod datur, aut ob rem datur, aut ob causſam: & ob rem aut turpem, aut honestam: turpem autem, aut ut dantis sit turpitudo, non accipientis: aut ut accipientis dumtaxat, non etiam dantis: aut utriusque*, ut lex ait. Scelus igitur ex parte accipientis sit in casibus accusatoris: ex parte dantis non est. *Romani semper scelerum sprevere ministros*: quæ turpitudinem haberent & partis suæ. Sic traditorem pædagogum sprevere: sic venificum medicum: sic alios

a *Flo. 2. Val. 9. Oros. 5. Sex. Vict.*

b *Flor. 3.*

c *l. 1. de condict. ob. tur. ca.*

alios. Neque enim lædere infamnam illam licebat ætatem: neque veneficiis in bello uti. In Hannibale manet accuſator. Inſidias huic ſummo duci per orbem terrarum univerſum ſtructas conqueritur, ac pæne lamentatur ejulabundus. Sed, uno verbo, an non receptum hoc jus belli eſt, ut victor victum, ubicumque exiſtentem, poſtulet ſibi dedi? Ut violatores fœderum dedantur? [a] Hoc petiit populus Romanus a principio ejus belli: petiit in fine: petiit poſtea. Dedi ſibi Hannibalem petiit, hoſtem victum, fœderis violatorem. [b] Adde, qui infractisque rebus pertinax reges pererravit: ſenex non deſiit omnibus angulis contra populum Romanum bellum quærere. Iſte autem faciet impune injuſta omnia: populus vero Romanus adhuc perſequi jus ſuum nequeat? Depoſcebatur a Pruſia Hannibal, non petebatur occidi. *Sed Hannibal, re cognita, ſumto veneno, legationem morte prævenit*: Trogus ait. Etiam cædis ejus petitio juſta fuiſſet. Nam hoſtis juſtus jam eſſe deſierat penitus: jam privatus: jam a ſuis damnatus populo noſtro: nobis deditus, nobis debitus. Etiam calliditas inſimularetur noſtra, qui verſutiſſimum Pœnorum [c] facere ſuſpectum ſuſpectis noſtris, & hoſtibus volebamus? Aut qui ſunt doli iſti turpes, quibus per nos petitus ille in Africa, Aſia; & Europa? [d] Si dicis conſilium Flaminii, quod & Romæ vituperatum exſtiterit: privatæ inimicitiæ factum dicis, laudes autem civitatis. Et ſemper tamen dices, ſi verum amas, Hannibalem juſte confectum. [e] Ego tibi non dico, non ita convenire ſcriptores de morte Hannibalis, ut de ea aliter, atque alii, non ſcribant alii. Etiam ut ruina cadentis Fabii Maximi in quodam prælio victor ceciderit. Non detraho tibi de laude ejus imperatoria: non de iſthac laude detraham Mithridatis, aut cujuſquam alterius hoſtis noſtri. Hæc laus noſtra eſt: viciſſe viros fortiſſimos quosque, & eximios omnes belli duces. At neque tu mihi ratiocineris, vinci Romanos ab Hannibale potuiſſe: qui Hannibalem victum cernis. [f] Quis at dux tantus Hannibal; qui Græco eguit magiſtro ad vincendum? [g] Et vero ſic vicerant Carthaginenſes antea Regulum, accito magiſtro a civitate Lycurgi. Conferam nunc ejus facta, & Scipionis? [h] quem ſibi Hannibal, & reliquis omnibus prætulit: nec auſus in comparationem vocare: ut *inter magna non poni ſæpe eſt eximiæ cujusdam magnitudinis argumentum*: quod ipſa iſta in re dici audi-

a *Liv.* 21. *Sex. Vict. Juſt.* 32.
b *Sene.* 3. *nat.* 9.
c *Juſti.* 31.
d *Plut. Flam.*
e *Panſ. lib.* 8. *Plut. in Ro. & Gr.*
f *Vegt. proe.* 3.
g *Liv.* 18. *Flor.* 2.
h *Liv.* 35. *Petr.* 3 *in* 3.

dimus. Certe præferre Scipionem potuit Hannibal ſibi. Hannibal vix anno Saguntum cepit, urbem omnibus undique anxiliis deſtitutam. Scipio cepit uno die Carthaginem, urbem multo potentiorem, & præſidiis intus, & exercitibus foris munitiorem. Quot tentat alias ille urbes fruſtra? Neapolim, Spoletum, Cumas, Puteolos, Nolam, [a] exiguum quoque caſtellum, prope Placentiam, unde, quadringentis amiſſis, & ipſe vulneratus diſceſſit: Quas tentat noſter fruſtra? Vincit Hannibal primo in Italiam adventu. [b] cum in otio fuiſſent mei poſt prius bellum cum hac gente: [c] & cum bellis aliis laceſſita, non exercita Romana arma fuiſſent. Vincit Hannibal ad Trebiam per Sempronii ambitionem inconſultam, ad Thraſimenum per impiam Flaminii audaciam, ad Cannas per furioſam temeritatem Varronis, ubique per ſuas fraudes multas. [d] Ut hæc fuit Punica fortitudo ſemper dolis, & inſidiis, & fallaciis inſtructa: quæ certiſſima circumventæ virtutis noſtræ excuſatio eſt: quoniam decepti magis, quam victi ſuimus. Senſitque ſic Hannibal, cum imperitis ducibus ſe geſſiſſe rem, poſtquam Fabium adverſum habuit. [e] Huic neque virtute, neque bellandi arte par fuit: qui per tot victor acies jam a Fabio cohibetur, reprimitur, ſpe ſpoliatur victoriæ ultimæ. Tantine eſt, quod ipſe Fabio dederit verba ſemel? Et tot iniqua Æmilii Probi afferri huc decuit? Caſtra caſtris collata non habuit? poſt Cannenſem pugnam non habuit in campo collata? Ubi igitur Marcelli? Ubi Neronis? Qui iſte invictus, a Marcello victus, ab aliis dejectus in angulum terræ Brutiorum, & deluſus a Nerone veluti puer? Certe inter alia Hannibalis felicia & hoc eſt, quod revocatus ex Italiæ eſt: ubi jam conſeneſcens aut mori abjecte, aut fugere turpiter habuiſſet. Ceterum in diſceptationem iſtam laudis bellicæ me non penetro, quam nec intrare voluit accuſator. De factis quibusdam diſceprat Hannibalis: quæ contra Livium defendit. Et de illis ego ſilere itidem poſſem: qui hic accuſationi reſpondeo, non accuſem. At mos gerendus eſt Piceno tamen: qui hoc vult importune, ut de Hannibalis juſtitia bellica ipſum inter, & Livium cognoſcatur. Etiam ratio huc nos ducit: qui, ſententias Livii, & aliorum magnorum hiſtoricorum ſuſcepiſſe defendendas, & dignitatem eorumdem contra clamores hujus vindicandam, videri poſſumus. Defendit cædem Saguntinorum Picenus, veluti neceſſariam, juſtam-

a *App. Annib.*

b *Veget. 1. c. ult.*

c *Liv. 21.*

d *Val. 7. c. 4.*

e *Front. 1. c. 8.*

ſtamque, nec crudelem. Sed neque Livius illam non excuſat. Et eſt tamen, quæ nec meruit excuſari. Audi: qui, exſcuſatione non contentus, quæris laudem, & pretium feres diverſiſſimum.

a *Polit. 4.* [a] Alexander alicubi in Oriente cum puberes omnes, qui pugnarunt ſecum deſperate, occidiſſet, & urbem ſolo æquaſſet, creditus Indis eſt, bellare more barbarorum, atque latronum: Quorum ſapientiſſimorum hominum, juſtiſſimorumque judicium reveritus Alexander, deſiit iſta in poſterum. Romana, quæ profers, non ſunt paria. Et de Numantinis antea reſponſum eſt. Ænnenſium conceptam adverſus ſuum præſidium rebellionem, proditionemque nec tum potuimus, nec unquam debuiſſemus aliter vindicare. Fraus fraude pulſa, & ſubjectorum hominum perfidia punita eſt. Quid iſta ad Saguntinos? At Romani in captis urbibus etiam animalia conficiebant. Sane etiam & viros, quos obviam habuiſſent armatos. At quid iſta ad puberes Sagunti jam captos? Habes de Fabio, crudelitate, perfidia! qui Brutios cecidit Tarenti.

b *Liv. 27.* [b] Verum in triplici facti ejus narratione, itaque incerta, quæ hæc eſt licentia accuſatoris, ut rapiat deteriorem, & nobis nocentiorem? [c] Etiam abſque proditione captam urbem, adfirmare valemus. [d] Sed ſi errore, & obſcuro noctis ſecuta cædes eſt, vacat culpa omnis. Idem ſi errore alio. Nam quid ſi (& hoc pro certo fuerit cati, cauti, celantis ducis conſilium) pauciſſimis Romanorum, atque Brutiorum cognita erat proditio? Tum rei ignari, Romanique Brutiique reliqui miſcuerint utique prælia: per quæ cædes iſta infirmiorum ſit conſecuta. Quid ſi nec errore ullo, ſed vetere in Brutios inſito odio cæſi ſunt? [e] Hæc ſecunda narratio eſt. Dolori juſto condonari multum oportet: immo etiam temeritati ignoſcitur multum, & inconſulto calori, & iræ. [f] *Quiſnam audet leges vibrato imponere ferro? Inflammata ſemel neſcit miteſcere virtus.* [g] Atque audi & de iſta ira, & de nocturnis prælis verbum ducis ſummi, *Regi frenis nequit & ira, & ardens hoſtis, & victoria commiſſa nocti: quicquid indignum, aut ferum cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor, tenebræque, per quas ipſe ſe irritat furor.* Duas concedimus, & ecce defendimus narrationes. Unam tu æquiſſimo jure habes relinquere: Quam & tueri poſſemus, ſi duri potius adverſarii tibi, quam juſti Romanorum advocati eſſe vellemus. Nam qui iſti Brutii? [h] Gens bruta, & ſervorum colluvies: qui lictores, tabellarii eſſe juſſi ad ignominiam ſunt poſtea,

c *Plut. apo. reg. & du.*
d *l. 4. C. de adult. Alc. 7. conſ. 21.*
e *l. 38. de adult. l. 4. C. eo. l. 2. ad Turp. Tiraq. 1. de pœ. moll.*
f *Claud. 2. Ruff.*
g *Sen. Troa. 2.*
h *Feſt. Brutiani. Str. 5. Died. 16. Gell. 10. c. 3.*

ſtea, propter defectionem, & iniqua alia in Romanos admiſſa. His hominibus, rebellibus, criminoſis fides, ſi qua data fuit, etiam ſervata fuiſſet? Legitimis hoſtibus, non latronibus ſervatur fides. Atque hæc ad primum caput judicii ſunt. Secundum eſt de vi captis Vicuviis. Et per criminis relationem tuatim tuum tueris Hannibalem. Male. Et Pomœtiam nominas male: quæ rebellis civitas jus hoſtium non merebatur. Ita tu nunquam diſtinguis, quod diſtinguendum eſt ſemper, jus hoſtis juſti, & rebellis. Pomœtia item dedita, cum muros jam miles ſcanderet: adeoque tempore jam omni deditionis elapſo. [a] Urbes Epiri aut perfidas, aut obſtinatiores, redactas ſub poteſtatem, & pactas de incolumitate nihil, quid non diripuerit, afflixerit Æmilius juſte? Calliditas quid exprobatur: qua uſus is eſt in inducendo illuc rurſus milites, ut non rurſus oppugnare illas haberet? Non ita ſævitiam ſuam Hannibal temperavit. Vicuviæ neque vi captæ ſunt: ad quas nec ductus aries fuit, neque ſcalæ admotæ. Et munitum oppidum captum vi ſine iſtis quidem tentamentis dicetur, ſi ſe dedat? Apage novam rem militarem. Sed jam perge ad caput tertium. Maſiniſſæ, atque Maharbalis pacta ſtatuis puri loco. Tu aberras, Picene, non jure tantum, ſed toto etiam (quod dicitur) cælo. Nam Maſiniſſa pactum fecit Sophonisbæ jam captæ, & ſervæ: cui nec ipſe Scipio promittere quidquam potuiſſet, captæ jam, & ſervæ factæ populi Romani. Sic ipſe Scipio ait Maſiniſſæ veriſſime. Et quod modo de Æmilio dicebamus, ille nec potuiſſet eis oppidis parcere abſque juſſu ſenatus. [b] Maharbal eos noſtros nec expugnare vi poterat facile: nec putavit pugnandum cum deſperatis. Sic Appianus. Et ſic Maharbal cum liberis pepigit hoſtibus: cum quibus pactum tenet. Et tenet pactum a Maharbale initum: quia & hujus paciſcendi pacti poteſtatem dediſſe ei Hannibal intelligitur: qui miſit: & qui juncta mandato, quæque ſollemnia ad rem mandatam ſunt, intelligi denegaſſe non poteſt. De Maharbale amplius non dico, quod & ipſe ſua fide Punica, pactus abitum noſtris tradentibus arma, nudos ad Hannibalem ducit. Supereſt caput quartum. Injuſtum non eſſe perdere hoſtilia: & itaque magnam, & certam eſſe Livii imperitiam juris, qui Hannibalem in hoc accuſat avaritiæ, & crudelitatis. Et Romanos idem feciſſe: qui cum Hannibale condemnarentur. Sed Politorium oppi-

a *Liv.* 45.

b *App. Hannibal.*

dum, jam antea vacuatum habitatoribus: quos in urbem, & civitatem Ancus tranſtulerat. Sed noſtrum diruimus: ne hoſtibus receptaculum, contra nos propugnaculum eſſet. Oſtende cauſſam, accuſator, cur Hannibal ita fecerit non cum ſuis. Nam & eſt certe differentia aliqua, an in noſtro quid faciamus, an in hoſtico. Voluntas noſtra eſt ratio omnis ejus, quod facere volumus in re noſtra. Sed in re hoſtica ſunt jura, & obligationes, quibus obſtringitur voluntas, ac utrinque regitur. An enim ſacraque vaſtare hoſtium licet? [a] Nam tuus Hannibal Deorum *ſacrilegus face miſcuit arces*. Hæc ſumma crudelitas: quæ cæco efferueſcit furore: & munimentum ex ſe ipſa capit. [b] Hæc Hannibalis tui virtus improba. Etiam virtutem facere ille improbam potuit. Et hæc ſunt omnia, quæ narravit contra Hannibalem Livius. Falſo tu ais, quæ potuit ille narrare. Plurima adhuc potuit: & multo quidem acerbiora. [c] Sed malignitatem redolet hiſtorici, & animum cupidum maledicendi, curioſe perquirere, atque perſcribere iſthæc curioſius. Maximus hiſtoricus Thucydideſne quidem flagitioſiſſimorum plurima perſpicua peccata percenſuit. [d] Qui vitas ſcribit, is ſingula notat, vel leviſſima: de quibus cognoſci homo poſſit, quem veluti pingit. [e] Qui hiſtorias ſcribit, is (ſic veteres ſapientes dixere) habet alium imitari pictorem: qui, ſi archetypum naturæ vitioſum videt, non exprimit in pictura vitium totum. Sed vis, Picene, alias adhuc Hannibalis audire virtutes tui? [f] Aut ſcire diſſimulas, quomodo tractarit ille Nuceriam, quæ dedita ſibi per pactum erat? Senatum in balineis concluſum æſtu ſuffocat: populum abeuntem configit jaculis. Et Acerris quid facit? Hannibal non æquus Acerris. Senatum, poſt fidem datam, in puteos conjectum, obruit terra. Coniicit alibi in foſſas captivos: qui uſum pontium præberent. Inquit Florus de aggere quodam C. Cæſaris, quem fecerit ex cadaveribus, *fœdum etiam inter barbaros*. Quid hic: ubi non cadavera, ſed viventes ſunt? Subjecit alios elephantis proterendos. Coegit, fratres cum fratribus, filios cum parentibus digladiari. Ad Cannas debilitavit jacentes; ut deſolati morerentur. [g] *His pernas ſuccidit iniqua potentia Pœni*. [h] Tot millia illic captivorum variis ſuppliciis interfecit. Hæc humanitas ad Cannas. Hæc laudata vox; *Cæſi ad boſtium ſocietatem: donec Hannibal diceret militi ſuo, Parce ferro*: ut Flo-

rus

a *Sta. 4. Syl. 6.*
b *Sil. 1.*
c *Plut. de Herodo. ma.*
d *Plut. Alex. & Ca. Ut.*
e *Plut. Sert. Joſe. de vi. ſu. Nic. Greg. 1.*
f *App. Pun. Val. 9. c. 6. Flor. 2. 4.*
g *Ennius.*
h *P. Diac. 5. Sene. 2. de ir.*

rus recitat: qui eadem & de Cæſare in Pharſalica pugna, *Vox ad jactationem compoſita, Parce civibus, cum ipſe ſequeretur.* Parci ferro in pugna voluit, ut in otio mox reſumtis viribus occiderentur, qui occidi per deſeſſos nequibant. Vox illa Hannibalis, vox non hominis, ſed belluæ Libycæ, *O formoſum ſpectaculum!* cum foſſam ſanguine plenam vidiſſet. Hæc improba vox: non illa, quam paullo ante tu reprehenderas in Africano. Ille enim in artibus, & viribus viventium potuit, ut cognoſcere multa, ita etiam oculos oblectare. [a] Hominibus hoc contingit, ut caſus alienos intuentibus etiam ipſa miſericordia ſit jucunda. Neſcis ſpectacula Tragœdiarum. Sed Hannibali quis alius, præter crudelitatis, vacat in ſpectaculo iſto locus? Nunc quid memorem annos ejus in Italia ultimos, & ex Italia fugam? Cum videret, non ſe illic manſurum diu; omnes amicos, & Brutios ſuos, variis falſiſque criminibus afflixit. Adi ad Appianum. Et hæc tamen virtus fuit tracta a gente, utcunque aucta in homine valde fuerit. [b] Nam Carthaginenſes ſub navibus ponunt captos noſtros: qui ita per inauditum cruciatum colliderentur. [c] Vivos defodiunt dimidiatos: quibus necandis ignem admovent. [d] De Regulo cui non dictum? Ipſis etiam Afris damnatum facinus: quod tu defendere tentabas. [e] Etiam cruci ſuffixere captivos. [f] Quæ in tertio patrarunt bello, ea fuerunt adeo ſæva: ut ipſi a ſævitia ſua terrerentur. Dicam & de fide Punica? [g] Sextum de fœdere deceſſerunt. Audiſti. Dicam facinora ſingula infidelitatis? [h] Cornelium conſulem primo bello captum perfide: abductum Carthaginem: necatum. Secundo bello legatos Scipionis violatos contra jus gentium. Immo me dies deficeret, ſi de iſtorum perfidia dicere omni, aut leviter attingere velim. [i] Vere, vere Maſiniſſa, *perjuram ab origine gentem.* Vere Virgilius, *Tyrioſque bilingues*: de quibus etiam prodiderunt hiſtoriæ. Sed dicam de perfidia hujus Hannibalis? Dixi. *Perfidia plus quam Punica: veri nihil: nihil ſancti: nullum juſjurandum: nulla religio.* [k] Miſſum ex pacto, qui cum elephanto depugnaverat, abeuntem mandat interfici, *Juris jurandi immemor captivos necat*: ut tuus ait Zonara. At neque Hannibalis perfida placet enumerare. [l] *Fideique ſiniſter*: ut ait alius. [m] Infideliſſimus: ut ait tuus Oroſius. Nunc tu fidem memora: quam iſte aliquando ſervavit. Quaſi improbiſſimus quis eſſe nequeat,

a *Cic. 5. fam.* 12.
b *Non.* pa-langæ.
c *Gell.* 3. c. 14.
d *Gell.* 6. c. 4. *Cic. Piſo.*
e *Sex. Vict.* *Sil.* 18.
f *App. Pun.*
g *Gell.* 10. c. 1.
h *Val.* 6. c. 6. *Oroſ.* 4. c. 7. *Flor.* 2. P. *Dia.* 2. *Jor. de re. ſu.*
i *Sil.* 16. *Virg.* 1. *Æn.*
k *Plin.* 8. c. 7.
l *Sil.* 1.
m *Oroſ.* 4. c. 14.

queat, niſi qui agit improbe ſemper? Et improbi etiam proba non agant improbe? [a] Et, qui neſciunt probe facere, his non accidat, ut aliquando faciant probe? Nunc tu mihi humanitatem concelebra Hannibalis: quæ dicta Livio inhumana crudelitas: & oſtenſa nobis vera feritas eſt. Sed humanitatem concelebras in funeribus ducum noſtrorum. Accuſas ducum noſtrorum barbariem: qui caput Aſdrubalis ante ſtationem fratris projecerunt. Sed oportet, te ſcire, nec juſtos fuiſſe hoſtes, hos fratres nobis: pro quibus eorum civitas non reſpondit, publico eos conſilio exſcidiſſe Saguntum, reliquum bellum gerere. Hic erras, Picene, ſæpiſſime. [b] Perſeum, & Siphacem, utcunque reprehendas, juſtos tamen hoſtes, publico funere, honorifico, regali extulimus. Et primo Punico bello conſul Romanus Annonis ducis corpus extulit magnifice de ſuo tabernaculo conſulari. Alia temporum, alia hoſtium conditio alios mores poſtulat. [c] Et neſcis, iſtum Aſdrubalem fallaciis malis, promiſſis mendacibus antea huic illuſiſſe Neroni: qui de ſcelerato capite vindictam in præſentia capit? qui ait. *Non hic nemora avia fallent Pyrenes, nec promiſſis fruſtrabere vanis. Ut quondam terra fallax deprehenſus Ibera, Evaſti noſtram mentito fœdere dextram.* Et Hannibali ipſi, *Duplica nunc perfida bella.* Etiam in bellorum acerbitate nec ſunt iſta illico condemnanda: quæ & uſurpata cernimus ſine reprehenſione ſæpius. [d] *Curruque abſciſſa duorum Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat* ad aliorum terrorem Turnus. *Ptolomæus*, Macedonum rex in prælio adverſus Gallos, *multis vulneribus ſaucius capitur: caput ejus amputatum; & lanceæ fixum tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur.* [e] Et Priami caput affixum conto, *jacet ingens litore truncus*: & hoc ſollemne fieri viris inſignibus. *In haſtis præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur, Euryali, & Niſi.* [f] Caput Cyri amputatum in utrem humano ſanguine repletum Tomyris conjecit, cum hac exprobatione crudelitatis, ut ſe ſanguine ſatiaret, quem ſitierat. [g] Capiti amputato Craſſi infundunt aurum Parthi cum elogio ſimili, ut ſe auro ſatiaret, quod ſitierat. [h] Et hic repenſum quod Parthis eſt a Ventidio: qui illorum regis caput per urbes circumtulit. Audi. Repenſum & Hannibali hic eſt: [i] *qui nobis, memini, ad Cannas lætiſſimus iræ, Servili fert ora ducis ſuffixa veruto.* Hoc jus eſt ſine cujuſquam indignatione juſta. [k] *Fas*

eſt,

a *Cl. Alex. ſtr. 1.*
b *Val. 5. c. 1. P. Diac. 3. 4.*
c *Liv. 26. Sil. 15.*
d *Virg. 12. ubi. Serv. Juſti. 24.*
e *Servius. En. 2.*
f *Juſtin. Herodo. 2.*
g *Appian. Parth. Flor. 3.*
h *Flor. 4.*
i *Sil. 7. Lipſ. 4. Poliorc. 4.*
k *Ovid. Metam. 4.*

eſt, ab hoſte doceri. [a] Quid tibi alia dicam capita? adoleſcentis Pompeii in Hiſpania, Romanorum in Macedonia, Pyrrhi Argis, Saulis in Syria? [b] Quid capita principum Madianitarum captorum delata ad Gedeonem? Caput Goliæ a Davide præciſum, & ſuſpenſum longo oſtentui? Caput Nicanoris, dextramque, truncata, ſuſpenſa a Macchabeo? Caput Oloſernis a Juditha? At iſtam jam lanienam ſino. Jacent Pœni, jacet Mithridates.

a *Herodo. 5. Hirt. Hiſp. Liv. 42. 1. Sam. ult. Juſt. 25.*
b *Jud. 7. 1. Sam. 17. Judit. 13. 1. Macc. 7. 2. Macc. ult.*

CAP. XI.

Reliquum imperium, & Cæſares.

NUnc reliqua Romanorum bella dicenda ſunt: cum Liguribus, Hiſtris, Dalmatis, Illyriis, Balearibus, Cretenſibus, Cypriis, Britannis, Gallis, Cantabris, & ſi quæ ſunt alia. Ut enim *bona fide adolevit* ([c] quod ait hiſtoricus) noſtra civitas: ita bonaque fides ejus per totam hanc juventutem, cum ſubegit reliquum orbem, oſtendenda a nobis eſt. Atque Ligures vel Gallicos intelligit accuſator, vel Italicos. Nobis contra utroſque juſtæ bellorum cauſſæ ſuperfuerunt. [d] Itum contra illos eſt: quod ſociorum uſque a Tarquinio rege noſtrorum, Maſſilienſium, fidiſſimæ, atque amiciſſimæ civitatis, oppida Antipolim, & Nicæam vaſtarent: ut contra Allobrogas vicinos, Aruernoſque itum pro Heduis eſt fratribus, noſtram implorantibus opem. [e] Itum contra alteros Ligures eſt, & pugnatum annos actuaginta: quod iter nobis in Hiſpaniam impedirent: ſuis aſſiduis latrociniis arma noſtra laceſſerent. [f] Cum Hiſtris, Carnis, Japidibus bellum fuit: qui Ætolis ſe contra nos conjunxere. Cum Hiſtris etiam: qui latrocinati naves noſtras fuere. Belli primi adverſus Illyrios non videtur accuſatori cauſſa juſta facinus privatorum. Et quidem non eſt: niſi ſi privata nos non compeſcimus, aut non ulciſcimur malefacta. Nam publicum ſic evadit facinus, quod eſt privatum. [g] Et ſcientia enim, & voluntas, & mandatum præſumitur domini, quando non momento delinquitur, ſed iterum atque iterum pluries. Et id certum, atque exploratum eſt. [h] Sed & legati noſtri cæſi in Illyrio fuerant juſſu reginæ. [i] Bella poſteriora itidem juſta cum ſociis hoſtium, & rebellibus noſtris.

c *Flor. 2.*
d *Liv. 47. 60. 61. Flo. 3. Juſti. 43.*
e *Str. 4. Flor. 2.*
f *Flor. 2. Plin. P. Diac. 3.*
g *Decian. 3. conſ. 88.*
h *Oroſ. 4. c. 13. Liv. 20. Polyb. 2. App. Illyr.*
i *Flo. 2. P. Dia. 3. Liv. 43. 44. Sex. Ru. App. Illyr. Juſti. 29.*

ſtris. [a] Et propter Illyrios, poſtea amicos, bellatum cum Dalmatis eſt: qui agros Illyricos devaſtarunt: injurias alias amicis aliiſque noſtris intulerunt acerbiores: nobis nec moderate reſponderunt. [b] Balearibus factum bellum eſt piratis: aut piratas ſuos non ulciſcentibus. [c] *Baleares piratica rabie corruperant maria*: ut ſic loquuntur hiſtoriæ. Sed Metelli perfidiæ, & ambitionis cur eſt Creta? Audio Florum: *Creticum bellum, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus, ſola vincendi nobilem inſulam cupiditate. Faviſſe Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare.* At vero ſi Mithridati favit: cur nos fecimus bellum? Cur ſola cupido, vincendi nobilem inſulam, nos armavit? Sequimur teſtimonium: diverſo judicio non auſcultamus. Et ſic cum teſtibus fit; qui aliud narrant, aliud judicant: ut narrationem ſequatur judex, ſpernat ſententiæ dictionem. Atque eſt teſtimonium ſane verum. [d] Nam & ipſe Dion, & Plutarchus tradunt, factum ab ea inſula contra fœdera, quæ nobiſcum erant. [e] Quod ſi Antonius, qui ante Metellum intulit arma Cretæ, vituperatus fuit: ſi etiam ipſe Metellus ab Octavio, & Pompejo fuit argutus: neque id ad juſtitiam cauſſæ ejus belli facit; quam nunc audivimus juſtam. Nihil hoc tempore judicia civium de civibus ſuis nos movent: cum privatas quiſque cupiditates ſequerentur, & ad arma civilia præcipiti gradu decurrerent, ruerent curſu citatiſſimo. Mithridatem juvere Cretenſes. Hoc tene. [f] Gallos adjuvere Britanni. Neque enim diſputaveris, quibus adjuverint rebus. [g] Adjuviſſe auxiliis is quoque dicitur, qui vel pecuniis, vel ſimilibus adjuverit. [h] Scio, non teneri pœna auxilii, qui tale attulerit, ſine quo patrare tamen maleficium potuit. Sed an iſtud in iſtis cauſſis obtinet? Sed an oſtenditur, in Britannico ſic fuiſſe, ut ſine eo Galli bellare potuiſſent, & rebellare voluiſſent? Hoc tene. Quicquid, odiis in Cæſarem ſtimulatus, privatiſque, publiciſque, Cato contrarium cernat, [i] Inimici viri, licet graviſſimi, & ſpectatiſſimi teſtimonium non auditur. Superſunt commentarii Cæſaris ipſius: veridici ſemper habiti. Et illi juſtiſſimas bellorum Galliæ, & Britanniæ, & Germaniæ cauſſas habent. [k] *Juſtiſſimis ex cauſſis* (ſic hiſtoriæ aliæ) factum bellum Germanis eſt. Etiam juſte turbavit Cæſar quieſcentem Hiſpaniam. [l] Neque enim (ut reſpondet Antonius) fidam tamen eamdem offendit: itaque nec concedendum putavit, ut ſub no-

[a] *Liv. 47. Zon. App.*
[b] *Oroſ. 5. c. 13.*
[c] *Flor. 3.*
[d] *Plut. Pomp.*
[e] *Liv. 97. Dio. 36. Cic. li. 2. 3. Verr. ubi Manut.*
[f] *Cæſ. 4. Gall.*
[g] *Bar. l. 7. de parric.*
[h] *Decian. 3. conſ. 125.*
[i] *Cic. pro Mure.*
[k] *Flor. 3.*
[l] *Dio. 44.*

nomine pacis adverſarii moliri res novas poſſent. Jam ſileant inimici Cæſaris. Etiam Suetonius jam, & Plutarchus: qui, Trajani regnantis ſtudio, non ſat æqui fuerint noſtro huic imperatori, patriæ Trajani domitori. Sileat: aut, quia ſilere Cicero nequit, non audiatur Cicero: non, qui de Cicerone hauſerunt proculdubio, poſtremi ſcriptores, qui Cyprum male nobis partam adfirmant. Ubi ad Clodii factum reſpicitur, illic Cicero audietur? Immo potiora erunt verba Patereuli de eo rege, [a] *omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum*. [b] Potius erit Strabonis judicium: [c] qui auctor laudatiſſimus. Et qui ſcribit, regem illum hoſtem declaratum: qui deliquerit in nos, & ingratum ſe nobis præbuit benemerentibus. Hoc teneo. [d] *Nil homine terra pejus ingrato creat*: ut veriſſime dixit Menander. [e] Si enim gratitudo virtus eſt non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum: etiam ingratitudo vitium eſt non ſolum maximum, ſed mater quoque vitiorum omnium reliquorum, impietatis, avaritiæ, injuſtitiæ, inimicitiarum efferatiſſimæ feritatis. [f] Nam & bruta gratitudine cenſentur, & obligantur. [g] Gratitudo juſtitia eſt. Et ego ſi de ſacerdotibus illis juſtitiæ velim aut gravitatem, aut pœnas dicere ingratitudinis: ante diem clauſo componet veſper Olympo. Levis culpa in gravem evadit, & gravem promeretur pœnam, ſi & inſit ingrati vitium. Sic igitur vel ſi in unum peccaſſet Clodium Cyprius rex, illum etiam virum nequam: ſemper eſt verum tamen, fuiſſe regem ingratum Romano civi, & civitati. Quoniam non cum bono cive eſſet, quam cum civitate conjunctus, & cive. Et qui alteri eſt devinctus, nunquam ſane vitia creditoris objectat, aut cauſſatur, ne ſolvat debitum. Superſunt Cantabri. [h] Et Florus, Eutropius, ipſe Oroſius, qui de puſilla terra dicit, ſic tradunt, Cantabros, & Aſtures non ſolum propriam libertatem tueri voluiſſe, verum etiam finitimorum præripere, quos & aſſiduis populationibus divexaſſent: itaque arma in ſe Auguſti provocaſſe, *Cantabria gens effera: pertinax in rebellando*: ait Florus. [i] Scilicet ſubacta fuerat & ante Auguſtum. Et ita rebellis nunc erat. Habes bellorum cauſſas. Quid mihi nugaris de terræ perpuſillo? Habes reliquorum bellorum cauſſas. Quid reprehendis in bellis? Regis Aruernorum exprobas captivitatem? [k] Livius tamen, cui credendum ſemper eſt ſupra Valerium, inquit, quod, poſtquam

ca-

a *Paterc.* 2.
b *Str.* 14.
c *Sig.* 1. *de a. i. p.* 13.
d *Auſ. epigr.* 1. 2.
e *Cic. pro Planc.*
f *Dec.* 1. *conſ.* 25.
g *Bal. l.* 10. *de juſt. l.* 2. *C. de lib. & eo. lib.*
h *Flor.* 4. *Eutrop.* 7.
i *Liv.* 48.
k *Liv.* 61.

cæsa essent Aruernorum centum viginti millia: rex ille profectus Romam fuerit ad satisfaciendum senatui: & ibi retentus sic fuerit, quia contra pacem videbatur, si fuisset remissus. In quo nihil est reprehendendum. Etiam si cum Valerio dicimus, captum perfide a Domitio, & missum Romam, & non remissum: senatus adhuc defendi factum potest: cui a ducis pactione nullum iniici vinculum potuisse, velint illi jurisconsulti, qui Consalvi Hispani factum cum Valentino duce, item & Hispani regis examinant. [a] Pactus Consalvus incolumitatem venienti ad se Valentino: & eum mittit captivum mox in Hispaniam: &, pactionibus suis antestare voluntatem regis sui, dicebat. Probant & regem, & Consalvum illi. Quos ego accusatori senatus, Domitiique obiicio. Nam & Domitius ab his defenditur: si Aruernum jussu senatus Romam misit. Nunc de bello Jugurthino: in quo moram nostram vehementer accusas. Et tecum Sallustius esse videtur: & ego sim: si civitas a paucis improbis decepta non fuit. Et si Jugurthæ dignitas, meritaque in bello Numantino quæsita non etiam facere illam moram justissime potuerunt: ut non contra eum illico ad arma procurreretur. [b] Etiam Sallustius monumentis insevit suis litteras Africani, quas Jugurtha post excidium Numantinum testes ad Micipsam pertulit decoris sui, [c] Erat ille Masinissæ nepos, quemadmodum & Adherbal, & Hiempsal. Nihil enim, nihil apud Numidas, quod ex legitimo matrimonio natus non fuerit. Erat ille Micipsæ itidem filius, licet per adoptionem. Sed magno suo merito adoptionem promeritus, & partem hereditatis: [d] qui unicum Numidiæ munimentum: & virtutum avi Masinissæ unicus heres. Quid nunc de iisdem Masinissæ nepotibus, & de nepote Hieronis, & raptis additur eorum regnis? Quasi potuerimus lædi impune a liberis, quia cari nos parentibus fuimus. Quod hoc jus novum est? Et non illi multo plurima semper tulerunt a nobis? Nam quis fuerat Masinissa? Tantum illi regnum, exsuli, rerum omnium egenti, quis comparavit? Et non Masinissæ solum, sed & aliis donavit populus Romanus regna, quæ ipse quæsiit: Eumeni in longitudinem itineris triginta dierum, decem in latitudinem. [e] *Quoties hic prælia sumsit pro sociis! quoties dono concessit amicis Regibus Ausonio quæsitas sanguine terras.* [f] Hoc ipsum regnum Numidiæ non & pro parte datum Jubæ, filio Hiempsalis, viro de ge-

a *Guic. 2. 6. Aya. 5. de ju. bi. c. 6.*

b *Symm. 4. Ep. 24.*

c *Flor. 3.*

d *Alc. 4. conf. 8. 10.*

e *Claud. 3. Stilic.*

f *Dio. 41. Sigo. de a. i. p. 17.*

genere Maſiniſſæ? Partem alteram Boccho datam, tu dicis. Ubi igitur Romanorum rapina? Atque ſic ſunt reliqua bella, & in bellis geſta. Nam de fraudibus, quibus captus Jugurtha eſt, ante reſpondi. [a] *Fraudulentiſſimus regum fraude ſoceri ſui in inſidias deductus eſt.* De Metellis ſupereſt reſpondere: qui inepte ambitioſi fuiſſe tibi videntur. Et quid ſi hoc confitemur, indulſiſſe civibus his ſuis Romanos in iſta parte? Et non confitemur tamen: ſed virtutem, meritum illorum tuemur: ne iſta indulgentia in ſuos, eſſe notatio in alienos contendatur. Qui Macedoniam vicit, & eum ducem Macedonum, [b] qui regiam formam, regium nomen animo quoque regio implevit, & res geſſit maximas: & qui regem hunc cepit, Macedoniam domuit, indignus Macedonici cognomento: quod Macedones raptum injuſte de ſe valeant lamentari? Juſtum cognomentum, & triumphus juſtus de Macedonia: quicquid de iſto falſo rege conſtituatur. [c] Is & Achaicus dici meruit, qui exercitus fuderat Achæorum: & ipſum Corinthum premebat obſidio, *cum ad victoriam Mummius venit*, ut ait hiſtoria. Expreſſe ait hiſtoria, eumdem meritum & Celtiberici cognomen: qui Contrebiam memorabili cepiſſet exemplo, & Vertobrigis majori gloria pepercit. Non alter meruit appellari Numidicus? [d] qui univerſam Numidiam ſub poteſtatem redegerat: Jugurtham armis, viris, pecunia ſpoliaverat: eumdem ad Getulos, & ad Mauros depulerat: itaque fuſum, & ſaucium tradidit ſucceſſori non tam profecto vincendum, quam vinciendum. Bellum, quia conficere prohibitus fuit, pro confecto acceptum eſt: [e] ut Tacitus alicubi pro Germanico ſcribit. Et ut ſic ſunt leges, & rationes. Et ſatis tamen, ſuperque ad nomen capta Numidia eſt: etſi Jugurtha captus non eſt. De Dalmatico audis Appianum? [f] Sed Livii, & Aſconii teſtimonio refutatus hic Appianus eſt a Sigonio eruditiſſimo. Quod ſatis eſt. Audivimus de Cretico, & Balearico. Magna proles Cæcilia Metellorum: [g] qui etiam de Sardis: etiam de Thracibus triumpharunt, & uno die tres fratres. Non fato iſti Romæ fiunt conſules. Nævi, Campane inflatiſſime, ſile maledictum, aut verius recanta. [h] *Malum dabunt Metelli*, ni feceris. Ecce nec per falſa nomina raptum quid orbi eſt a Romanis. Nihil raptum per falſa jura teſtamentorum. [i] Libya teſtamento Ptolomæi, Aſia teſtamento Attali tranſcripta eſt. [k] *Et ne quid tamen populus*

a *Flor. 3.*

b *Flor. 2. Liv. 49. ſe. 52. Sigo. 1. de a. i. p. 8.*

c *Flor. 2.*

d *Liv. 65. Salluſt. Flo. 3.*

e *Tac. 2. ann.*

f *Sigo. 1. de a. i. p. 7.*

g *Manu. pro Sex. R. A.*

h *Scip. Gent. 2. par. 30.*

i *Str. 13. Juſt. 36. 38.*

k *Sex. Ruf.*

Romanus non viribus partum haberet, Asiam, Attali testamento relictam, armis ab Antiocho vindicavimus. Donum ea populi Romani fuit. Alia regna sic fuerunt. Et populus igitur Romanus suum ita recipiebat a donatariis non ingratis. Quid ille non recepissent, isti non reddidissent, si legitima proles non supererat? [a] Ita & Paphlagonia, & Comana receptæ. [b] Atque hic insuper notare decet, neque data unquam sic esse a Romanis regna, ut essent hereditaria: neque ita cuiquam, Masinissa excepto, ut etiam soluta ab omni nostro imperio libertas esset. Hæc in tractata isto nihil justificare nobis non valent. Quid si recepta regna sunt a regibus, qui nobis rebellarunt ingratissimi? [c] Sic utique recepta sunt alia. [d] Redeunt jure ad originem suam, redeunt ad dominum feuda, exclusis filiis, & cognatis omnibus, si in dominum peccetur. Etiam vetera sic redeunt. Et itaque nova, hereditaria redeunt magis: ut interpretes juris exponunt. [e] Etiam, cum spoliatur bonis vasallus, aut confiscatur ob causam aliam, domino feudum redit. Atque id contra Mithridatem, & alios est, qui populi Romani beneficia rapere de hostibus suis, & sua efficere voluerunt. Contra Mithridatem, qui, regna patri donata a Romanis, ablata sibi, conqueritur apud Trogum, facit alterum prius dictum: quod in hereditatem regna dare Romani non consueverant: [f] itaque quem modum esse beneficii sui vellent, ipsorum æstimationem fuisse. Ad hæc disceptatio accusatoris de jure regum generalis non pertingit. Nobis autem sic imperium orbis est. [g] Postquam in Septentrione, & Oriente Pompejus duos nobis & viginti reges debellavit: & sequentes Cæsares provincias ultra Danubium, & Euphratem constituerunt: & postquam ad occidentem solem Oceano aquarum, ad meridiem mari arenarum C. Julius, Augustus, Tyberius veluti finibus ipsius orbis fines nostros definierunt. [h] Quæ & alii notant.

a *Str.* 12.
b *App.* 3. *civ. Val.* 7. *c.* 2.
c *Str.* 6. 7. 11. *ult.*
d *Bar. l.* 3. *ae int. & re. Alc.* 3. *conf.* 17. 5. 11. 132. 6. 28.
e *Alc.* 5. *conf.* 7.
f *l.* 191. *de reg. ju.*
g *Eutr.* 6. *Oros.* 6. *c.* 6.
h *Hegesip.* 2. *c.* 9.

CAP.

CAP. XII.

De Romanis & Alexandro.

SEd hic aliam Livio litem accuſator noſter intendit: & in comparationem Romanorum, atque Alexandri excurrit. Credo, novus Herculi antagoniſta in aliqua vult forma vincere, quas varias mutat. Fraude factum imperium Romanum, injuſta vi factum contendit, & vincitur: fortuna factum nunc ait: vincatur virtute Romana hic quoque: arenas mordeat ore: gutura premantur: cornuque cadat a fronte revulſum. [a] Ridet Alexandrum Hannibal, in Homeri tantum caſtris verſatum: id eſt, hominis cæci certe qui caſtra, & acies nunquam aſpexerit. Merito: ut qui ſic fuerit Alexander quaſi nauta ex commentariis, nunquam naves ingreſſus ſit, nunquam in tempeſtatibus maris verſatus. Nauta etiam ex commentariis nec nautæ. [b] Et irriſit Phormionem Hannibal, & deliriſſimum ſenem nuncupavit merito: qui in umbris, & otio ſcholarum enutritus, de ſole, & pulvere bellorum dicere auderet. Hic eſt ille Hannibal in judicio iſto a Cicerone probatus, & in re alia omni a te, accuſator, omnium temporum imperatoribus cunctis prælatus. Hic eſt ille Hannibal, [c] qui, nulla habita Alexandri mentione apud Plutarchum, ſe, Scipionem, Pyrrhum dilaudat ſolos. At verior ſit tamen fabula, in qua ſupereminet & Pyrrho, & Hannibali Alexander: etiam verum per eam eſt, Alexandro ſupereminere Scipionem, hoc eſt Romanum. Falſa ſit Hannibalis Lucianici criminatio de educatione Alexandri; [d] qui immo in caſtris & ſub militia patris tyronicii rudimenta poſuerit: etiam verum illud eſt, paucorum eam fuiſſe militiam menſium; pauciorum menſium, quam anni fuerint Hannibalis, Scipionis, Romanorum ceterorum, quos in iſta comparatione Livius Alexandro opponit. Etiam conſtat, propoſitum Alexandro fuiſſe Achillem, quem imitaretur, juvenem & audaciæ, & temeritatis plenum. [e] Rident docti viri, & prudentes Græculam in hiſtoria vanitatem: quæ, cum huc omnes ingenii ſui nervos intenderet, ut eximium quemdam, & inimitabilem principem depingeret, nihil tamen aliud nobis, quam toties furioſum, ſed ubique felicem, & quam Ho-

[a] *Lucia. Scip.*

[b] *Cic. 2. de orat.*

[c] *Plut. Pyrr.*

[d] *Juſt. 9.*

[e] *Glar. ad Curt.*

mericum Achillem illaudabilem, descripsit. [a] Sic ipse Plato in Achillem invectus sæpe, & in varia ejus peccata, ac vitia. [b] Sic Tertullianus, Seneca, Lucanus, alii Alexandrum felicem prædonem, feliciter temerarium, vesanum, sine virtute, ajunt. [c] Quid dicam, conficta & ab aliis, & ab ipso Alexandro de se mendacia? Quid, omnes rerum Alexandri scriptores miracula omnia pro veritate habuisse? Hæc Strabo sic notat. Et sic Curtius protestatur, se transcribere plura, quam credere. Traditis & de temeritate Alexandri: & quod unum hoc erat solatium suis, temeritatis ejus perpetua felicitas. Hæc illa virtus Alexandri: propter quam ipse sibi præconia canit, facessere a se longe omnem fortunam jubet. Et non vides, Picene, declamatoriam illam esse scriptionem Plutarchi, non sententiam philosophicam? Quicquid in Alexandro erat, militis strenui erat, & manu promti, non semper boni, certe nullo modo sapientis imperatoris. Atque si tuus Hannibal laudavit Marcellum ut militem, risit ut ducem: quid alteri huic feciſſet, temeritatis incomparabiliter majoris? Vidisti hæc (non dubito) clare satis. Et itaque ad Alexandri duces, ad Alexandri exercitum mox fugis. Sed hic quoque sunt Romani superiores: qui non cedunt ducibus illis secundis, aut exercitibus, & primo vincunt imperatore. Imperatores autem sunt, qui bella vincunt. [d] *Tanti exercitus, quanti imperator.* [e] *Quales præfecti, tales, qui sub eis sunt.* Et id genus alia, quæ a te dicta, ab aliis, vulgo decantata. [f] Numantini, postquam vicissent nos sæpius, cum vincerentur Scipione duce, acri excepti convicio apud suos dicuntur, ut, qui toties superassent nos glorioſe, nunc a suis victis turpiter vincerentur, illi autem, esse quidem oves easdem nunc, quas vincere consuevissent, at esse pastorem alium, responderunt. [g] Et hic mihi de ducibus notes secundis in Romana militia, quemadmodum ii fuerint apud Romanos sæpe secundi duces, ac legati, qui ducatus primos ante cum laude summa, & summo cum bono reipublicæ gesserunt. Ne vero, ne usque ad finem actionis, virtutem Romanam, altissimo de loco radiantem, velis calumniarum, & conviciorum nebulis infuscare: ut Corvinos, Torquatos, Decios, Papyrios appellare fraudulentos, necromantas, belluas, pullos minimum belluarum. Nam & Decios, quos tu necromantas nominas, & alios meos, quos tu ubique verbere fla-

[a] *Plat. de rep.*
[b] *T. de ani. S. 1. de bon. L. 10.*
[c] *Str. 11. 15. Just. 12.*
[d] *Flor. 2.*
[e] *Xenoph. 8. Cyrop.*
[f] *Plut. ap. re. & du.*
[g] *Liv. 11. 37. Cic. pro Mur.*

flagellas linguæ, Fabritium, Curium, Camillum, Coriolanum, Cincinnatum, Fabium, Marcellum, Scipiones, Scævolam, Coclitem, alios virtuti comites addit Plutarchus tuus. Ex his etiam in caſtris noſtris ſenatus, qui primo aſſediſſent illi duci, ut dicebam, legati, atque tribuni. Cum interim & ſederent alii domi, qui incertis ſemper bellorum proſpicerent, & abſentium certis neceſſitatibus ſubvenirent? An enim in caſtris ſeritur, metitur, netur, texitur, alia civitatum exercitia habentur, de quibus non minus, immo magis militi eſt, quam pagano, atque urbano ſuccurrendum? Vincimus duce primo; vincimus ſenatu gemino. Quid cum reliquo milite? Pyrrhus dixerit. [a] *O quam facile erat, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* Iſti illi ſunt milites, a quibus inflicta vulnera, grandia expavit Macedonia. [b] Neſcis arma Romana? Quid tu mihi recentiora omnia Alexandro facis? [c] Tullus rex audit noſtræ militiæ artifex, & omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi condidiſſe? [d] Sic oſtendunt hi viri ſæpe, qui de iſta re tota politiſſimos commentarios ediderunt: & ipſi tamen nec ſatis æqui aut genti Æneæ, aut Italæ. Nos a Pyrrho caſtrametationem: quam ille admiratus eſt noſtram? De Romana acie dicam? [e] Ratio Romana inſtruendi aciem tribuiſſe Romanis dicitur victorias omnes. Et erat ſane illic mirabile, ut pulſi redirent ſemper valentiores: cum haſtati a principibus exciperentur, & a triariis utrique: atque ita in hoſtem irent: formidoloſiſſima acies: cum velut victos inſecuti auctos repente numero contra ſe cernerent. Exſpectas de diſciplina? At hæc illa eſt una, cui nulla unquam a quoquam comparatur. Quis tibi contendit, nata omnia hæc, & perfecta ſimul? Hoc contendimus, perfecta fuiſſe omnia in Alexandri ætatem: quæ tradita a patribus Albanis, qui ceperint antea de Trojanis experientiſſimis, & exercita jam per continuos annos amplius quadringentos fuerunt. Vim reſpicis numerorum, & copiarum? Illa ſcilicet nobis defuiſſet: [f] cum ſenatui, populoque Romano ante Punica bella parerent ſex equitum millia, peditum centum, & quinquaginta. [g] Nam Alexandrum accepimus ad imperium Perſicum ſubvertendum non cum pluribus, quam duobus, & triginta millibus peditum equitum quatuor, & quingentis profectum eſſe. [h] Decreta patri a Græcia ſcimus in idem illi meditatum bellum

a *Flor.* 2.
b *Macc. de ar. be.* 2. 3.
c *Flor.* 1.
d *Lipſ.* 5. *de mil. R. prin.* & 1. *Poliorc.* 3.
e *Maccb. de ar. be.* 3. *Lipſ.* 4. *de mi. Ro.* 1.
f *Polyb.* 2.
g *Juſti.* 11.
h *Juſti.* 9.

lum auxilia peditum ducenta millia, quindecim equitum : extra quam ſummam eſſent exercitus Macedoniæ, & confinis domitarum gentium barbaries. Ceterum & Romanis, præter ſuum robur illud proprium, ex minori Italiæ parte adverſus hoſtem externum (adi Polybium) quinquaginta millia equitum, quingenta millia peditum adjungebantur. Anguem Lernæum clamabat Pyrrhus. Quid ſpectas? Quid huc, illuc voluens oculos tacitus hæres? [a] Ne tamen, ne ex hac, quæ nunc eſt urbium ſolitudine, regionum deſertitudine priſcam illarum gentium expendas copiam. Ex unica Siciliæ civitate Syracuſis Dionyſius exercitum peditum centum viginti, equitum duodecim millium confecit. [b] Hac Alexandri ætate civitas noſtra ex urbana noſtra, & agreſti juventute decem legiones ſcribebat: quem poſtea exercitum non illæ noſtræ ſequentes vires, quas vix terrarum capiebat orbis, contractæ in unum, facile effeciſſent: ut notat Livius. [c] Quis crederet hodie, primo Punico bello nos amiſiſſe ſeptingentas, [d] non triremes, aut minores iſtiuſmodi, quas nomine inepto itidem triremes hodie appellamus, ſed quinqueremes: & prælio adhuc viciſſe magno navali, quod finemque attulit toti bello? Quis illam ad bellum ſecundum multitudinem ex civibus, ſociiſque, bello aptam, relatam in numeros? Diodorus decies centena ferme hominum millia profitetur, [e] Miracula audire credimus veterum Thebarum Ægypti opes, & Ægypti poſtea regis Philadelphi, & claſſes navium quinque millium, & alia ejus generis. Verum ſic Livius reſpondet, ſic ea creſcere, in quæ & laboratur. Hoc erat veteribus ſtudium, viris, & viribus pollere. Deſivimus admirari: qui intelligimus, belli tempore Romanos omnes milites exſtitiſſe; agricolas fuiſſe omnes ſemper: nunquam mercatores, artifices, aliter ſervos civitatis, ineptiſſimos militiæ, muneribus duris, atque ingenuis. Sic Spartani aliquando, etſi eſſent numero pauciores, præferre ſe numero ſociorum audebant longe majori: quod ipſi milites eſſent omnes, ſocii milites plerique omnes non eſſent, ſed de aliis artibus in eam tum tranſcripti militiam. Sic mei Romani. [f] Sic deſine, Patriti, admirari numeros illos noſtros innumeros ſic deſine. Tu deſine, accuſator, tantis his noſtris viris Alexandri vim objectare. Viros hic dixit avunculus ſuus: in Aſia feminas, & fortunam deprædicabat ejus, quæ eum detulit illo. [g] Ut noſtri item

a *Diod.* 3.

b *Liv.* 7.

c *Polyb.* 1.

d *Bayſ. de re. na.*

e *Tac. ann.* 2. *Theocr. idyl.* 17. *Athen.* 5.

f *Patr. Dial.* 6. *de hiſt.*

g *Suet. Cæſ.* 35.

item fortunam Magni ratione pari laudabat Cæſar: naeti gloriam bellicæ virtutis per populos Aſianos. [a] Circa Africam Europamque exhauſerunt mei laboris plurimum: & ex his tot, ac tantis gentibus Italos magno labore poſt quingenteſimum demum annum domuerunt. Aſiam paucis præliis propter infirmitatem, ignaviamque earum gentium ſub poteſtatem fecere. Ita Appianus. Næ cognomentum Magni amiſiſſet apud nos Alexander, quod contra Perſarum pellicum, & lixarum, & ſpadonum agmina quæſiiſſet. Quid tibi Antiochos, Tigranes, reliquos Aſiæ reges, & Alexandri ſucceſſores memorem victos nullo negotio? [b] Lucullus cum decem millibus peditum, mille equitum vicit prælio Tigranem, qui centum ducebat, & quinquaginta hominum millia. Et ex his cecidit centum millia, amiſſis ſuis ſolis quinquaginta. Sed hic mihi M. Tullius adverſatur: qui, maxima cum his bella regibus fuiſſe, contendit. Sed reſpondeo, Ciceronem inſervire cauſſæ ad Murenæ laudem: & intelligere omnes, Ciceronis contentionem falſiſſimam. [c] Sed reſpondeo cum hiſtoria, *Non aliud formidoloſius fama bellum fuit. Quippe cum Perſas, & Orientem, Xerxem, atque Darium cogitarent*, &c. Cogitarent Hannibalem: *cujus nomen* (ut alius ait) *terribile Antiochi bellum faciebat*. Elimæos, Medos, Caduſios, & id genus alia nomina audirent, quaſi infinitarum nationum: quibus ſane, ut etiam opibus, armiſque copioſiſſima eſt Syria. Tamen & fama tantum ſic bellum formidoloſum: *& nihil fuit in Antiocho ſpecioſius, quam quod a Romanis victus eſt*. Deſine, accuſator, Livio inſultare de Perſeo: qui aliquo uno prælio occiderit duo millia noſtrorum peditum, & ducentos equites, & ducentos adhuc equites ceperit. Deſine, pavorem illic noſtrorum. Nam idem Livius oſtendit, immo debellari noſtros non facile potuiſſe: qui ordine, & certo gradu recederent; cum regii ſparſi eſſent, Audax cœptum dicit regiorum: [d] atque audax inconſultum eſt, temerarium, & infelix: inquit, fidum Perſeo ducem contra cœptum ſuaſiſſe: ait, regiorum venientium impeditum agmen. Quod unum malum in re militari longe eſt maximum, & per mille clades conteſtatum: [e] ipſi mox Perſeo cum ſuo expertum maximo detrimento. Et ſic igitur ad ea verba, parvo potuiſſe momento debellari, eſſe (quod ſollemne hiſtoricis) de aliena potius opinione, quam ſua Livii: qui in re ipſa exprimenda demonſtrat contrarium. [f] Et ſic

a *App. præf.*

b *Plut. ap. reg.*

c *Flor. 2. Jn. ſti. 31.*

d *Serv. Æn. 8.*

e *Liv. 42.*

f *Liv. 35.*

sic igitur, quod scribit alibi, *debellari momento temporis potuisse id dictu, quam re, ut pleraque, facilius*. Desine, accusator, objectare Pyrrhum nobis: & minutulum insuper appellare regem. [a] Qui cum totis viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitis in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, & hoc novo præterea advecto ferarum terrore venerit, [b] Cui trecenta quinquaginta millia peditum, viginti equitum millia a Tarentinis tribuerentur. Desine laudes Pyrrhi. [c] Nam tu scis, quod primo admiratus intuitu arma nostra; quodque primo victor prælio, in quo & ipse graviter vulneratus, victum se censuit, vincendum certe & bello, si iterum vinceret eodem modo: id est, tanta cum suorum fortissimorum jactura. Etiam scis, quod *Romanos vincentes jam inusitata ante elephantorum forma stupere primo: mox cedere prælio coegit: victoresque jam nova Macedonum monstra repente vicerunt. Itaque rex callidus, intellecta virtute Romana, statim desperavit armis, seque ad dolos contulit*: &c. Quæ sunt testimonia duorum, quos tu non recuses, Trogi, ac Flori. Desine desperationem dicere nostram: pavorem ut voles. Neque enim lapides, aut mentecapti fuerunt illi: qui humanos patiebantur affectus. *Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra. Ingemuit*. [d] Ubique supra ceteros dolet, & gemit mortem amicorum Æneas, concussus animum: & per verum dolorem demittit lacrimas, &c. *strepitumque exterritus hausit*. Etiam illud heroicæ fortitudinis exemplar pavet. Etiam ipse fatetur, timuisse alibi quoque, *At me tum primum sævus circumstetit horror: obstupui*. Et alibi adhuc, *Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis Suspensum, & pariter comitique, onerique timentem*. Humanos Æneas patiebatur affectus: Æneadæ patiebantur: sed affectibus non succumbebant. Apage desperationem. [e] Fortunæ violentiam toleravere. Nescis, quæritum. [f] *Utrumne secundis, an magis adversis staret Romana propago?* & responsum? *scilicet adversis*. [g] *Nunquam succubuit damnis, & territa nullo Vulnere: post Cannas major, Trebiamque fremebat &, cum jam premerent: flammæ murumque feriret hostis, in extremos aciem mittebat Iberos*. Apage cum tuis tacitis senatusconsultis: quæ tum erant, cum aliquid ad silendum erat. Apage cum tuis legationibus, & quod ex una Ciceronis occasione concludis generaliter contra omnem experientiam, ultro missam legationem signum esse timoris

[a] *Oros. 4. c. 2. Jor. de reg. suc. Flor. 1. Justi. 17.*
[b] *Plut. Pyrr.*
[c] *P. Dia. 2. Sex. Vict. Flor. 1. Justi. 18.*
[d] *Serv. 6. Eneid.*
[e] *Sall. Catil.*
[f] *Sulpit.*
[g] *Claud. 3. Stilic.*

ris videri. Nego, vel missam legationem. [a] Nonnullas ex Italia ait Trogus. Tacito hoc generali sermone involuisset Romanam? [b] Arrianus diserte negat, Roma missam. [c] Immo loquor tibi verba Livii: Ne fama quidem tuus sic Magnus nobis cognoscebatur. Et hæc est sententia Livii, ut Græcorum de Magno hoc tuo jactantiam simili genere vanitatis confutaret. Desine rursus Hannibalem, & ridicula ferre. Vincere Hannibal Romanos potuit, si dominus fuisset reliqui orbis terrarum: & suorum odiis, & suæ civitatis fortuna non fuisset afflictus. Alexander itaque vincere potuit. Et non in animo tuo erubescebas, cum hæc afferres ridicula? Alexander nec trahebat secum partem orbis bello meliorem, Africam, & plurimam Europam. Noster Scipio vicit istum Hannibalem, nec orbis dominus, nec expers invidiæ apud suos: [d] ut sic sunt Fabii Maximi, & Catonis Censorii duræ illæ adversus Scipionem orationes: & reliqua objecta sunt impedimenta: unde & fuerit illi necesse, per privatas aut suas, aut amicorum opes, plurima administrare. Hic vir, hic est, qui & fortunam virtute vicit, & traxit ad suos. [e] Aspice puerum, aspice *dum genitor nati parma protectus abivit*, cum esset annorum vix septendecim, & pro patris defensione septem & viginti vulnera tulerit. Aspice post Cannensem diem, ut sistit adolescens fugam majorum, & desertionem Italiæ. Aspice in Hispania juvenem, ut cladem nostrorum exercituum, & patrui, & patris, obversus fortunæ abluit sanguine hostium: & fortunam ipsam rapiat illic, & sistat nobis stabilem, atque securam. [f] Hic vir, hic est, quem, veluti in philosophis, Socratem, in poetis Homerum, imitandum in ducibus, ait Hieronymus. Apage cum judicio contrario Nigri, lenti hominis, inertis, supini, levis, contemtibilis: [g] ut sic narrant, atque ostendunt de Nigro historiæ. Quid vero nunc tibi spei superest pro Alexandri victoria? Vincimus nos ducibus, militibus, viris, armis, re alia omni. Vincimur temporibus, & conjurationibus nostrorum? *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis, Tuque, puerque tuus*: qui per istam calamitatem nostram, non per ullam virtutem suam, nos vicerit. Sed & calamitatem illam *credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Falleris. Pœni nos juvare contra Pyrrhum volucre. Pœni juvare valide potuissent, qui tenebant principatum Africæ, & Hispaniæ: &, te modo

a *Just.* 22.
b *Arrian. Tac.*
c *P. Victor. ep. an. Pol. Arist.*
d *Liv.* 28. 29. *Plut. Ca. ex.*
e *Silv.* 12. *Ecc.*
f *Hieronym. ep.* 13.
g *Herodian.*

judice, vincere nos, & orbem reliquum valuiſſent. [a] Quid Tyriorum objectas calamitatem? Urbs illa, & vetus, & nova, credita penitus inexpugnabilis. Scis, Babyloniam regem vix potitum poſt tredecim annorum obſidionem. Scis, irrilui fuiſſe Alexandrum diu. Sed audi, feſtinaſſent magis in noſtrum auxilium Pœni; qui & magis vicini eramus. Neſcis imperii leges. Juvaſſet nos Italia, juvaſſet contra communem hoſtem. Dixi dilectus, dum externa vis ingruere timebatur. Unit communis metus etiam adverſiſſima. [b] Scit Alexander tuus, Oxydracas, Malloſque, alias bellare inter ſe ſolitos, periculi ſocietate inter ſe junctos. Sane tamen ſi ſic vinci tantum potuimus, cum deſerti undique, & oppugnati undique fuiſſemus, neque velim ego hic vincere: at cedo, manum do, herbam præbeo. Aut etiam nos in calamitate aliqua Alexandri ſpem perditam retinemus? Quæ autem hominis major calamitas propriis vitiis eſſe poteſt? O quantam hic Alexandri calamitatem! Nec ſolum ejus temporis, cum victa Aſia, extremoque Oriente ſubacto, cumque illum deducit ad nos Picenus, & cum nihil in illo ſani, nihil ſinceri fingere ingenium valet, ſed temporis uſque ſub Ariſtotele præceptore, ſub Philippo patre imperatore, o quantam Alexandri calamitatem! Laudas diſcipulum Ariſtotelis? [c] Unde tamen viri crudeles, & inquinatiſſimi, niſi ex ludo Philoſophorum, & Philoſophorum Dei, Socratis? Quid mihi longum diſputatis accuſatores Socratis? Is juventutem corrupit: ecce, qui de ſua prodeunt ſchola, corruptiſſimi ſunt. [d] Noſter audit Seneca, in re morali præſtantiſſimus ſupraque reliquos Græcos, ſupraque Socratem. [e] At Nero unde manavit? [f] An te putas, iis viviſſe philoſophos moribus, qui picti in ipſorum libris apparent? [g] Nati, quanta fuerit vitæ Ariſtotelis improbitas, habent plurium monumenta: ingratiſſimus, impudentiſſimus, audax, procax, vorax, ebrioſus, veneficus hic traditur Alexandri magiſter. Et igitur diſcipulus iiſdem attaminatus ecce hic vitiis. Tu libidinem Alexandri excuſaveris, accuſator? [h] Sed infamis ejus notiſſimus: quemadmodum & præceptor quare & a voluptatibus tum conceſſi fuerit alienior. Sic & philoſophus voluit aliquando conceſſas capere, ne ſolas amare inconceſſas, odiſſe conceſſas videretur. Hæc noſtris illis ducibus nec per ſuſpicionem dicentur. Juvat hic, quod veriſſime fiet, Scytharum laudes ſu-

pra

a *Tremell. Iſa. 23.*
b *Curt. 6.*
c *Athen. 5.*
d *Petr. ep. ad Sen.*
e *Auſ. paneg. Gra.*
f *Card. 5. de ſap.*
g *Patr. 1. diſc. perip.*
h *Curt. 7.*

pra Græcos ad Romanos meos transferre: [a] *Prorsus ut admirabile videatur, hoc Romanis dedisse naturam, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequierunt? Tanto plus in Romanis profecit vitiorum ignoratio, quam in Græcis cognitio virtutis.* Et de Romanis sane Polybius ita, Sallustius, quis non? Quid tu captivam Scipioni obiicis, & ancillam, & juventutem solutiorem? Eum aut non ausum videre captivam, conscium suæ incontinentiæ? aut verius retinuisse captivam, in deliciis habuisse, injustum? Ceterum laudate in primo prudentiam decuit Scipionis, qui periculum vitare tantum, quam (in quo nec utilitas, nec necessitas) facere maluit: [b] Et sic Cyrum Plutarchus laudat. [c] *Licet quidam putent, majoris esse virtutis, præsentem contemnere voluptatem: tamen ego arbitror, securioris continentiæ esse, nescire, quod quæras.* Sic Hieronymus. [d] Et Siracides, *Averte oculum a muliere formosa: nam a pulchritudine mulieris tamquam ignis amor accenditur, &c. Utrique videndo femina.* Cum sexcentis id genus aliis verissimis. Etiam prætorem decet non solum manus, sed & oculos abstinentes habere: ut Sophocli Pericles respondit. Dux noster continentissimus, qui ne oculis quidem libare quidquam virgini cum injuria voluit. [e] Etiam in jure humano adulter & is quadam est significatione ex animi propositione sola, qui ejus est mentis, ut occasione data alienam matremfamilias sit corrupturus. Et injuriam fieri sibi censent honestæ mulieres, quæ non honeste aspiciantur. Quod justum judicium est. Nam inhonestum aliquid fingunt in eo homines, quod aspiciunt non honeste: ut honestas honestatem provocat, inhonestas inhonestatem, & quidlibet simile sui. Nunc retentam puellam a Scipione contendas. Quo tamen teste? [f] Narrat Plutarchus, quod, cum adduxissent milites quidam Scipioni virginem formosissimam, responderit illis Scipio, gratissimum sibi futurum munus privato, sed eo non usurum se eo tempore imperatorem. *Vero, an falso, incertum: fama tamen, cum esset adolescens, haud sincera fuisse.* Sic Gellius: Addit, *Versibus quibusdam Nevii adductum videri sibi Valerium Antiatem adversus ceteras omnes scriptores de Scipionis moribus sensisse: & eam puellam captivam non redditam, sed retentam, neque in deliciis, & amoribus ab eo usurpatam.* Sic semel testimonia proferas integra; sic. Notes vero, peccatum, adolescentiæ,

a *Just. 1.*

b *Plut. de aud. poe.*

c *Hier. ep. 7.*

d *Eccl. 9.*

e *l. 25. de V. S.*

f *Plut. apoph. reg.*

a *Gell.* 3. 03. tiæ, incertum. [a] Notes, a Nævio, Campano, homine maledico manasse narrationem. Notes, scripsisse Antiatem, Volscum hominem, tantoque suspectiorem, quanto temporibus illis conjunctiorem. Notes, adversus ceteros omnes scriptores dici hæc de moribus Scipionis. Valerius autem Maximus nec sibi contradicit, nec quidquam dicit contra jucem nostrum. Etenim suspicio illa videtur de ancilla: b & ita, *ne domitorem orbis Africani uxor impatientiæ reum ageret*: id est, ne is, qui potens tot hostium fuit, parum potuisse in se coercendo videretur. Sed & magnum sane flagitium, sive captivam in deliciis habuerit, sive aliam amaverit mulierculam. Magnum eo tempore flagitium: & Alexandri flagitio infando conferendum. Nugas istas defendimus? Siccine tu defendis flagitia Alexandri: quod & peccatum alicubi a nostris est? c Immo noster Commodus non sic insanus, & detestabilis est visus. Auderes ad Camilli, Curii, Fabritii, aliorum quos hic tibi Livius nominat, virtutem tuum admovere Alexandrum? Attingam ejus virtutes bellicas, & disciplinam paternæ militiæ. Reliqua ille lucretur in præsentia, quæ de Aristotele, præceptore altero, imbibit, ebrietatem, crudelitatem, alia, alia. Sobrius non peccarit: ut sic Plutarchus ait in declamatione secunda: dum peccaverit ebrius sæpe. d Et tamen summa ingratitudo, & summa crudelitas in Parmenionem, & filios, alia, alia detestanda non jam ebrii, sed sobrii Alexandri vincuntur. Sed lucretur notas istas. e Crudelitas Alexandri fuit, & sævitia immanis erga virum fortissimum Betim: cujus capti, perque tpirantis talos traiici lora voluit: & justum hostem, fortissimum, ut dico, virum religari ad currum, trahique gloriatus, Achillem imitari se, f quo genus deduceret. f Immanis crudelitas contra Branchidas: abominata scriptoribus: urbs diruta a fundamentis: sacri luci exsuisi: etiam supplices cæsi. Quæ ista feritas? Quia majores istorum Miletum Xerxi prodiderunt. g Immanitas abominata similis in Persas. h Quid, quod gentem Cosseorum per venationis ludibrium deleyit ad Hephæstionis inferias? i Fato ille functus, *detibus* ille *formæ*, *puerisique pereatus*. k Quid, quod ad terrorem voluit, parci aliquando nemini? l Quid cum pollicitus tutum præsidiariis ex urbe abitum, eos progressos aliquantulum viæ occidere fecit? Quid alia? Quid alia, quæ audivimus antea? Quæ ejus justitia movendi bellum aut Scythis, aut

b *Lipsi. ad Valer.*

c *Athen.* 10. 12.

d *Curt.* 3. *de sap.*

e *Curt.* 4.

f *Curt.* 8.

g *Arrian.* 3.
h *Plut. Alex.*
i *Justin.* 12.

k *Curt.* 9. *Polyæn.*
l *Diod.* 17.

In-

Indis? [a] Scytha illi, *Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.* Nam quid interest, navibus pluribus, an myoparone uno infestes maria? Quæ audita eidem vox, & a multis laudata. Tuus iste Alexander latro ipse maximus, & latronum fautor, & scelerum remunerator. Latro usque ad insaniam hic fuit. Aut quid doluit, nihil sibi superfuturum, quod ageret, post victorias patris? [b] Neque enim minus est negotium regere, & conservare; ut ad istum gemitum sic respondere consueverat Augustus. Et responsum Plutarcho laudatur. [c] Difficilius, res conservare, quam parare. Sed quid hæc cogitasset ille, qui etiam, dum plures credidit vesanus mundos, nihil victoriis patris, nihil suis aut affectum conquerebatur, per quas necdum unus quæsitus mundus fuisset? Fautor iste latronum. [d] Nescis, donasse Babylonis satrapeam Mazeo transfugæ? Armeniam Mythreni, alteri proditori? [e] Cum filio Darii fecisse de proditione parentis? Plura hæc, quæ de Philippo patre didicit Alexander; & præceptorem superavit: [f] *virtute, & vitiis patre maior*: ut inquit Trogus. Nos tamen vitia tantum vidimus. Cedite Graii: cedite nobis Macedones. Tu, Picene, ægre ne feras, si Alexandro tuo par fiat noster Germanicus: nisi jam incipis resipiscere, & videre, quemadmodum cedere Alexander & Germanico, & aliis nostris omnibus habet. Ne addideris te mancipio Tyberiano: qui eam ignaviæ notam asperſit optimo Germanico, adulatus sævo patruo. [g] Id tibi contra Tyberium, & Vellejum notarunt ante me alii. Fortis Germanicus probusque: ut etiam Drusus pater. Nam neque illa distinctio recipienda est magistri (ut vocant) ab Etruria: [h] ut priores nostri duces & fortes quidem fuerint, & boni, posteriores fortes tantum. Ecce tibi fortesque, bonosque omnes, & servantes (quod quærimus) bellici juris. Neque enim relictus ullus est indefensus, ut illaudatus: nisi alicubi forte defuimus Pompejo tantulum in re illa amplissima Mithridatica: cum oppressisse dicitur Albanos sub fide pacti, & Phrahatem. Et tamen, amplissima quia fuit illa res, veluti diluvio quodam ferri multa, necesse fuerit. [i] Nam de Antiocho quid est? victo Tigrane rex Syriæ iste Antiochus a Lucullo appellatur, non a civitate. Pompejus regnum ademit: indignum (ut erat) judicans, dari regem hominem Syriæ recusanti: quique annos octodecim, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo

a *Curt. 8.*

b *Plut. in apoph. reg.*

c *Dio. 44.*

d *Curt. 6.*

e *Plut. comp. G. & Ro.*

f *Justi. 9.*

g *Tac. 1. ann. Cæsar. 4. Suet. Aug. Lipsi. Vell.*

h *Machiav. 1. de ar. bel.*

i *Justin. 40.*

Digitized by Google

gulo Ciliciæ latuerit: nunc vero ad alieni operis præmia venerit. In re Mamertinorum non fuit neceſſe pro Pompejo aliquid dicere: quæ immiſta erat bellis civilibus: quorum natura alia, nec noſtræ contentionis eſt. Ita nec Pompejus relictus indefenſus eſt. Ita Magnum nos, merito magnum, habemus: immerito habent Græci ſuum. Magnum quæſivit imperium Alexander. Certe. Sed, ut dixi, in Aſia. [a] Ubi regna pauca, & præſtantes viri pauciores: ut honor ſcilicet, artium nutricula, non virtuti deferri ſub regibus ſolet. [b] Sed adverſus Darium ille egit, hominem novum, Codomannum quemdam, non de Cyri, aut Xerxis genere. Sed tum ille movit in Perſas, cum inſtituta Cyri, & Perſarum vetera collapſa erant. Hæc fortuna Alexandri multiplex. Mei in Italia, per Africam, & Europam egerunt: ubi reſpublicæ plurimæ genteſque liberæ, obſtinatiſſimæ in libertate tuenda, viris virtute virentibus inſtructiſſimæ. Quid mihi diuturnos loqueris labores noſtros? quid Alexandri breviſſima tempora? Regnum regno fuit conferendum, non regnum geſtis unius regis. Regnum erat Alexandri Macedonicum ante Alexandrum natum; Illius regni viribus magnis aggreſſus eſt Orientem. Noſtri a caſis (ut te dicis) ad imperium prodiere. De quibus ſi prodiiſſet Alexander, tum laudares, quod annis decem plus egiſſet, quam egerint noſtri centies decem. Alioqui ſic diſputas tu, plus multo te in jure tuo civili (do tibi exemplum, quod videas facile, & amplectaris libenter) quærere nunc menſe uno, quam faciat puer in menſibus centum, atque centum, itaque puero te eſſe præſtantiorem. Agnoſcis ridiculum, atque pudendam orationem? Aut hoc dicis, plus quæſiiſſe imperii Alexandrum annis decem, quam nos fecerimus unquam, etiam viribus Macedoniæ pares? Sed neque nobis id ſolum agebatur, ut imperium quæreremus, ſed etiam ut quæreremus innocenter per cauſſas juſtas, ut audiſti. Alexandro hæc juſtitiæ cura nulla. Dic mihi bellorum Alexandri cauſſas? Cauſſæ bellorum non ſemper, non ubique ſunt, ſed offerunt ſe per tempora. Et itaque tempora nobis effluxerunt, per quæ imperium comparavimus. [c] Imperium ſi forte non ita latum, ut tu dicis, Alexandri, at certe multo validius, ex tuis illis fortibus Italis, duris Germanis, bellicoſis Gallis, indomitis Hiſpanis, invictis Britannis, nobilibus Græcis, domitoribus gentium Macedonibus, columi-

a *Macrob. 2. de at. ba.*

b *Card. 3. 8. ſuperſuſt. 12.*

c *Card. d. 3.*

luminibus Africæ Pœnis perfectiſſimis, & regnis pluribus magnæ Aſiæ potentiſſimis: id eſt, terris his omnibus ſub utroque ſole optimis, atque pulcherrimis. Hæc eſt amplitudo imperii vis ejus, & firmitas. Quid enim, quid eſt imperium hodie Hiſpanicum? [a] etſi decuplo latius, & eo amplius poſt Luſitaniæ regna adjecta, hodierno Turcico imperio eſt? Romano olim quadruplo? Atque ſic habes, Picene, Alexandri tui, & Romanorum meorum comparationem. Nunc ad judicem adeamus. Nam, aliquem dum exſpecto Æacum, aut Catonem per tua illa ampullata, *virum ſapientem, loquentem decenter, non indulgentem affectibus*, & non video niſi litteratorem quemdam, atque declamatorem, ſic fugio indigni ſententiam judicis, & ad majus tribunal provoco, ubi cauſſæ iſtæ majores cognoſci ſolent. Age, agnoſce, quantum ſit fiduciæ in cauſſa bona te, te acerbiſſimum accuſatorem noſtrum, facio judicem. Si ab ineunte ætate, ſub improbo præceptore, ſub improbiore parente, ad imaginem furioſi juvenis non eſt educatus Alexander: & tota hæc educatio nihil poteſt: ſi ficta, ſi mentita plurima in adulationem Alexandri non ſunt: ſi ille fuit imperator ſapiens: ſi viros, arma, militiam habuit meliora noſtris: ſi cum viris ei res fuit eximiis: ſi res tractavit bellicas per juſtitiam: ſi ornatius noſtro quæſivit imperium: age, ad tē nunc adeo, judica pro Alexandro. Sed ſi his contraria omnia demonſtrata ſunt tibi: ſi hæc omnia, ſi plura Romanorum decora perpetua oſtenſa ſunt tibi, quin ipſe tu pro Romanis non judices, cauſſam nullam habes. In collatione autem fortunæ, & virtutis Alexandri quid potes aliud, ſi collegeris ſupradicta, quam conſtituere cum Curtio, [b] quod, etſi virtuti debuerit Alexander plurimum, plus tamen fortunæ debuit: cujus beneficio ſæpius, quam virtutis magna illa gloria ipſi contigerit. At de fortuna, & virtute noſtrorum. [c] *Populus Romanus tot laboribus, periculisque jactatus eſt, ut ad conſtituendum ejus imperium contendiſſe virtus, & fortuna viderentur*. Sic & Plutarchus: *Virtute duce, comite fortuna*. [d] Sic alius, *Virtus hic convenit, & fortuna, plerumque diſſidentes*.

a *Bod. 2. de rep. 2. & lib. 3. c. 1.*

b *Curt. 9. 12.*

c *Flor. prin.*

d *Amm. 14.*

CAP.

CAP. XIII.

Fortuna Imperii Romani.

NOs non pudet, post virtutem civitatis nostræ fortunam admittere: quæ fortunatum simul imperium, & felicissima secula orbis confecit. [a] Non fuit primo illi magistro Alexandri Homero nota, aut nominata fortuna; quam Latinus Homerus facit etiam omnipotentem. [b] Attamen illa intelligitur divina sors, & voluntas superior quædam arcana; eo olim nomine nuncupata, cum causſæ, rationesque incognitæ eventuum essent. Cui quidem voluntati & templa fuerant erigenda multo quam virtuti justius: vis enim mortalium virtus est. Atque tu mihi disceptationem istam refer religionum ad tempora sua? cum illi forent dii, deæque venerandi, quos civitas, & terrarum orbis universus colebat. Mittenda hic sunt omnia, quæ veræ religionis sint. Neque enim de sapientia divina, aut etiam propria naturæ humanæ incorruptæ, sed de humana, quæ in natura isthac reperiri corrupta potest. Hanc fuisse in Romanis excellentem defendi: [c] quemadmodum & theologi ipsi faciunt, & distinguunt recte. Mittenda itaque & de diis propudiosis, & de templis, & cetera hujus generis: quæ extra aleas longe lateque posita sunt. Quid tamen de templo pacis, ac fidei affers? [d] Immo enim usque a Numa harum apud nos exstitit templum: si Clementis Alexandrini testimonium evalere tuo debet. Quid de templo Quietis, post tot sæcula, perditis illarum religionum monumentis, interpretaris? [e] Martis templum pacifici in oppido fuit. Quod essent aliqua extra oppidum, non ea potest fuisse ratio, quia illorum ablentiam Deorum amarit civitas: [f] curatoris enim valetudinis, propulsatoris incendiorum templa, Æsculapii, atque Vulcani erant extra oppidum templa. Hæc mittamus: & de justitia, & de reliqua virtute politica orationem peragamus. In fine accusationis memoras malas nostras retinendi imperii artes, & malas exercendi: adeoque infelicem orbis conditionem, nobiscum hostibus, nobiscum victoribus, nobiscum rerum dominis, nobiscum semper exstitisse. Aspice, inquis, vicina urbi loca. Romanos agnoscis veros Suevos. Immo, inquam ego, etiam aspi-

a *Virg. 8. Æn. Macr. 5. sat. 16.*
b *Cic. Phil. 3. Arist. 2. polit. Deorib. cap.*
c *Aug. 5. de civ. D. Bell. 5. con. 3. c. 4.*
d *Cl. Alex. Str. 5.*
e *Mart. Cap. lib. 1.*
f *Plut. probl. Ro. Serv. Æn. 6.*

aſpice, & agnóſces veros parentes humanitatis: ipſis humaniſſimis Athenienſibus humaniores: nam ut illi ex amicis pagis pluribus compoſuerint urbem: noſtri adhuc ex hoſtibus in cives allectis iſtud fecere. De Sabinis audiſti, Albanis, aliis. Felix imperium, ſub quo vincentium, & victorum conditio eadem prorſus eſt. Aſpice, inquis, remotiora, aſpice Capuam. [a] Aſpice, inquam ego quoque, & videbis ſtantem urbem, quæ multo maxime merita dirui a fundamentis: multo magis id merita, quam ulla alia, quam Carthago ipſa. [b] Etiam, in defectione illa fœdiſſima, Romanos, dominos, balneis includunt, ubi æſtu anima intercluſa fœdum in modum expirarent. Et locus ipſe, a natura factus ad ſuperbiam, arrogantiam, ferociam, hortari ſic noſtros potuit, cur urbem illam exſcinderent. Verum cum effeciſſent, ut nihil eſſet, cur Capuam timeremus, ſublata illine (ut tu hoc unum concludis) omni imagine reipublicæ, urbem ipſam pulcherrimam non ſuſtulerunt. Ecce, Capuam aſpicimus, laudes illic noſtras invenimus, æquitatem, moderationem, prudentiam: invenimus fortunam ejus urbis, quæ maleficio civium cecidiſſet, niſi hoſtium manibus ſuſtentata fuiſſet. Aſpiceremus Macedoniam, & Illyrium? [c] Aſpicimus regna non ſemel rebellia: & ſic relicta tamen, ut libera jugo regio per nos, neque nobis tamen ſubjecta eſſent: juſſa ſuis legibus vivere, & libera eſſe: ingentibus liberata vectigalibus: dimidio exonerata tributi, quod pendebant ſub regibus ſuis. Quæ illarum regionum felicitas? ut victæ melius duplo, immo incomparabiliter melius (ſi res eſt libertas inæſtimabilis) ſub hoſte fuerint, quam ſub civibus ſuis. Quæ laus munificentiæ Romanæ, benificentiæ, liberalitatis, ſplendoris, magnanimitatis incomparabilis. Romanos tu avaros audeas? [d] Sic & Ægypto poſtea, ſic aliis regnis remiſſius ſemper ſub Romanis fuit, quam fuiſſet ſub regibus. [e] Sed Siciliæ civitates ſic in amicitiam, fidemque recepimus, ut eodem jure eſſent, quo fuiſſent, quæ bello ſubactæ, earum ager, cum eſſet publicus populi Romani factus, tamen illis eſt redditus. [f] Apage os latum, quod audes, ex minoribus decumis, & portoriis, & paſtoribus illic colligere triplo amplius, quam ex decumis frumenti majoribus: quæ quarta millionis erant. Apage, qui a quantitate terræ Siciliæ argumentaris ad provincias alias: cum Siciliæ qualitas provinciis multo amplioribus

a *Cic. agr. 2.*

b *Liv. 23.*

c *Liv. 45.*

d *Str. 2. vit.*

e *Cic. Verr. 3.*

f *Dipſ. 2. de ma. Ro. 2. 3.*

eam æqualem efficiat, aut etiam ſuperiorem. Apage cum tuis illis ſummis Ægypti, & Galliæ. Quid enim cauſſæ eſt: ut Suetonii, & Eutropii veteres libri mendam numeri habeant potius, quam Straboniſ, & Diodori? Illi millionem ex Gallia capiunt. Iſti ex Ægypto, Strabo ſeptem milliones, & ſemiſſem, Diodorus circiter quatuor, capiunt tempore regum: adeoque plus multo capere nos ſolitos poſtea: & plus adhuc ex Gallia; de qua & plus caperetur, quam ex Ægypto. Audin', multo abire Diodorum a Strabone? Strabo notat talenta duodecim millia, & quingenta: Diodorus tantum ſupra ſex millia. Atque ut hæc Diodori ſint Ægyptia, id eſt, majora Romanis Strabonis: [a] tamen ſic eſt Romanum librarum ſeptuaginta, Ægyptium autem octuaginta: abeatque nimis ſumma a ſumma. Et ergo ne libro Strabonis credatur, nec Diodori libro, tam variis. Scis, variis teſtibus non credi, & diſcordantibus. Nam cur lubet, credere Ciceroni, de quo Strabo accepit, quam ipſis quæſtoribus Ægypti, de quibus accepit Diodorus? [b] Scis, credi his magis, qui magis cognoviſſe valent. Viden', quo tibi abeant centum illi, & quinquaginta milliones? Etiam fac magis contrarios Strabonem, & Diodorum; & imminue adhuc de ſumma: nam ſcriptores, qui talenti meminerint, ſolent omnes ad talentum Atticum ſexaginta librarum reſpicere. Et itaque de eodem dixerit & Strabo, & Diodorus, & Cicero: aut cur Cicero, & Strabo retraxerint rem ad Romanum, Diodorus Ægyptiam rationem tenuerit? Audi ab ore anguſto, ſed certe veriori: non quindecim milliones erant in reditibus his populi noſtri. [c] Ecce, ſcribit Cicero, populum Romanum ex tantis vectigalibus exercitum alere vix potuiſſe. Et exercitum numerat ſex legiones, magna equitum, ac peditum auxilia. In quæ tamen omnia non duo milliones inſumebantur. [d] Adi ad tuum iſtum magiſtrum: qui legiones, equites, auxilia numerat, & ſtipendia partitur: nec patitur, te aut eam ſummam attingere: *o noſtri reges*, exclamat, *quanto plus impeditis in legiunculas incompoſitas veſtras?* Neque tamen dico, non multo ſupra duos milliones nobis fuiſſe. Sed reliqua inſumebantur in alia: ut vix iſta ſupereſſent in exercitus: & tamen plura incommenſurabiliter ſuperfuiſſent, ſi, non dico centum quinquaginta, ſed ſi quindecim fuiſſent milliones. [e] Etiam, ſexcentos milliones nobis conditos in uſum belli,

a *Serv. 5. Æn.*

b *6. 2. 35. q. 6.*

c *Cic. parad. 6.*

d *Lipſ. de mil. Ro. lib. 2. c. 5. 6. 7. lib. 3. c. 16.*

e *Panig. conc. CXXX. in Pontif.*

li, credam dicenti Panigarolæ? Ut auget iſte aurum nobis immenſum, & immenſum male: ita imminuit reliqua male, quæ tamen admiranda ſimul cum auro cupit oſtendere. Rem bellicam noſtram ſtetiſſe peditum ducentis millibus, equitum quadraginta, curruum falcatorum tribus, navium duobus, triremium mille quingentis, quinqueremibus octuaginta, paratu duplici in armamentariis, elephantis trecentis. [a] Amplius, amplius. In claſſibus erant centum millia militum, remigumque alibi ſupra quingenta. Sed cum auro maneam. Poſt Pompeii de Mithridate victoriam, octo nobis milliones & ſemiſſem fuiſſe, Budæus, & alii hactenus docti crediderunt. Quid contra dicitur? Ego ut dem, ex una Aſia milliones duos relatos; non dederim tamen, ſupra ſex, & ſemiſſem captos ex reliquo. [b] Nam ceterarum provinciarum vectigalia ita erant tenuia, ut ad ipſas provincias tutandas vix ſatis eſſent. Aſia vero tam opima erat, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecelleret. Hæ ſunt ſolidæ rationes. Illæ leviſſimæ ſunt in numeris, qui tam facile, & tam varie corrumpuntur: quique per leviſſimam variationem notæ minutulæ, litterulæque ſummas immane variant. Illæ ſunt declamationes, *O clementiam imperii Romani*, &c. Et vere tamen o clementiam. [c] Integra tum Gallia non tertiam præſtabat partem ejus, quod Galliæ pars regibus præſtitit poſtea; ut Alciatus, ecce, ſcripſit veriſſime: non vigeſimam ejus, quod nunc præſtat, ut vident omnes. Felix ſeculum illud. Forte autem nec ditius erat multo, nec multo plus poterat dominis erogare. [d] Non ſunt divitiæ ſuccedentium temporum ætati illi, vere aureæ, veteris imperii Romani conferendæ: quod idem Alciatus te docet. Aut numquid tu putas, novum iſtum orbem, ſive novam potius iſtam navigationem Columbi attuliſſe huc ad nos plus auri, & divitiarum, quam & Troglodytica, & Indica, quæ erat olim negotiatio? Si ad tempora ſpectas avorum, & miſera illa poſt direptum toties imperium noſtrum, fortaſſis putes bene: [e] Sed certe nihil iſta ſunt, ſi reſpectes imperium noſtrum. Dic, portio quota fuit imperii noſtri regnum Judææ, & Salomonis? [f] iſte quatuor milliones ex re una accipiebat: ut in ſacris libris eſt, teſtibus illis incorruptiſſimis. Felix ergo ſeculum, felix im-

[a] *Lipſ de ma. Ro. lib. 1. c. 4. 5.*

[b] *Cic. pro le. Ma.*

[c] *Alc. l. 27. de V. S.*

[d] *Alc. 3. diſp. p.*

[e] *Liſp. 3. de ma. Ro.*

[f] *1. reg. 10.*

perium: cum erogabatur in dominos minimum, & subditi erant multo ditissimi. Tu non laudes seculorum felicitatem? Tu Romanos immites audeas? [a] qui victo Antiocho nihil ad conditiones illas addidere pacis, quas ante victoriam dixere, nisi elogium hoc verissimum, *Neque Romanos, si vincantur, animo minui, neque, si vincant, secundis rebus insolescere*: qui captas civitates in eo bello divisérunt inter socios: ipsi gloria sola contenti. In eo bello, in Philippico, in Punico, in aliis. [b] Quæ gaudia, quæ vociferationes universæ Græciæ in eo Philippico, cum vetus a nobis restitutus illic est status, & avita libertas? Qui plausus in sacro, sollemni, amplissimo conventu editi? Quid florum in homines nostros profusum? quid laudum? An tanta terrarum hilaritas seculi felicitas non fuit maxima? Tu in tanta communi lætitia gemis, distracta regna fremis. At securitati nostræ consulere nos etiam decuit. At quieti illorum populorum inquietæ prospicere eo modo oportuit. Sic & fortunati, qui sic positi, ut inquietari vix possent: Sic, sic *O fortunatos nimium, sua si bona norint*. Aspiceremus nunc ipsum regem Persea, filios, reliquam Macedoniæ nobilitatem? Aspicimus, quod prima specie sævum, mox apparuit multitudini pro libertate sua esse factum: nam regis amici, imperare assueti, non æquæ libertatis patientes. Sic Livius quod nos dicimus. Aspicimus hos viventes omnes: qui pessimo suo merito interfici debuissent: qui per instituta gentium, & religiones manibus nostrorum debebantur, qui illo Macedonico bello cecidissent. Vixit Perseus. Vixit: hoc certum, funere honoratus: certum & hoc: sed illud incertum, quomodo mortuus: [c] nam & est traditum, sibi ipsum manum intulisse. Scilicet didicit tandem homo ignaviissimus, in sua fuisse positum manu, nec teneri in custodia, nec duci antea in triumphum: [d] ut, hoc cum deprecaretur, sic audivit ab Æmilio, ejus esse in potestate situm, & catenis, & spectaculo formidato se subducere. Homo ignaviissimus, & abjectissimus: [e] cujus ipsum victorem puderit. Quid si etiam enectus vigiliis est: sed a militibus custodibus (id siles, Picene) pertæsis custodiam longiorem? Quid, etiam credimus Mithridati: cujus illa recitas apud Sallustium verba de nece Persei? Nunc tu audi, quis iste Perseus. [f] Subditicius Philippi filius ex ignobili femina: [g] a Philippo exheredatus: & itaque non nativa-

[a] *Justi.* 31.
[b] *Flor.* 2.
[c] *Zonara.*
[d] *Plut. Apoph.*
[e] *Liv.* 45. *Plut. Æm.*
[f] *Plut. Ara.*
[g] *Liv.* 40.

vitate, non hereditate verus rex. Geſtione autem regni tanto minus dignus, cui ullus capto tribueretur regius honor, quanto ipſe nullo nobiſcum egerat regio more, at per omnia clandeſtina ſcelera, perque veneficia graſſatus eſt. Huic ullum jus patrocinatur in re ulla? Negant ſcriptores de jure belli. Et nunc igitur tu judica ſi clementia ſingularis noſtra non fuit, qui vitam immerenti, honorem indigno aliquem habuit aut hoc tantum nomine, quod nomen ille regium tulerit. Mihi ſane videntur mei voluiſſe rebus omnibus aliquid beatitatis dare, qui vanis etiam tantum attribuere nominibus. Beata tempora. [a] Jubæ captivitatem fortunatam: qui per eam ex barbaris Numidis inter eruditiſſimos hiſtoricos cenſeatur: ut ſic Plutarchus ſcribit. Beata illius imperii tempora: cum & calamitates beatitatem calamitoſis afferrent: & ab acri prodiret dulce. Quod ſi filii Perſei tales a natura non exſtitiſſent, ut ſervi potius, quam reges eſſent: an non ipſi quoque, quod Juba, digniorem vivendi conditionem arripuiſſent? Sed Juba paſſus etiam in civilibus bellis calamitatem: de quibus hoc non eſſe judicium, convenit. [b] Sed Jubæ regnum populi Romani donum, adeoque nec indignus ille contumelia, ſervus ingratus. *Namque memor generis Carthaginis impia proles Imminet Heſperiæ*: ut de hoc Lucanus dixerat. Sane tranſierunt per longa ſecula in hos minores, quæ odia, & inimicitiæ fuere majorum: & ſic notavi antea: [c] & ſic de Samnitibus in bello civili Mariano: ſic generaliter de ſubditis noſtris aliis in pugna Pharſalica notant alii: quemadmodum ſub ſpecie partium agerent magna contentione, & Pyrrho, & Hannibale atrocius, adverſus nos, ut ſe ſuoſque priſcos illos ulciſcerentur: itaque non Afrum Arnobium, non Hiſpanum Oroſium, non ſimilem alium decet obiicere nobis: & Britannos illos tanto minus, qui nec minus linguam habuere promtam in nos illo tempore, quam manum. Et jura tamen non nego populi Romani in dilectu, in tributo, in metallis, in aliis, quæ memorat accuſator. Reſpondent de metallis interpretes ſui juris. Reſpondit de tributis, & dilectibus Cerialis: *Nos jure victoriæ id ſolum victis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cetera in communi ſita. Ipſi victi legionibus plerumque impoſiti præſides, provinciis rectores.*

a *Plut. Cæſ.*

b *Tac. 4. ann.*

c *Dio. 41. Flor. 3.*

res. Nihil ſeparatum, aut clauſum. Sic provinciarum ſanguine provinciæ victæ. Et ſic tamen republica everſa: cum antea Romano milite, & ſocio Latino, Italicove provinciæ domarentur. Et de remigibus tamen, quod hodie ſævum videtur, illud nec fuit olim aliud, quam militia maritima, & ſociorum navalium itidem dilectus. Ne tu tibi ſomnies adfixos hos noſtros remo vel captivos miſeros, vel turbes maleficos. Vaſtati, ſpoliati, deleti ſunt multi? Se accuſent: qui in ſe provocaverint arma Romana. [a] *Quæritur belli exitus, non cauſſa*, lane inepte. Nec enim ulla eſt legum culpa, ſi ſontes afflicti ſint, atque peremti. Ad cauſas ego te factorum retraxi: & illic vaniſſimus es deprehenſus. Felices tamen & iſtos dices afflictos ſemper: [b] quia & pœnas luere delictorum ſit ſemper melius, quam impune in delictis vitam tranſigere: ut veriſſimæ ſunt philoſophorum traditiones. Feliciſſimos dixeris, nobis victoribus, dominiſque, per quos victis nihil, præter facultatem malefaciendi, ablatum eſt. [c] *Nam quantum ferro, tantum pietate potentes Stamus. victrices temperat ira manus.* Amicos, ſocios, cives voluimus noſtros hoſtes: [d] ecce paulatim civitas data omnibus, qui in orbe Romano exſtiterint: ecce Roma communis patria. O immenſam civitatis Romanæ laudem! [e] *Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit: Humanumque genus communi nomine fovet, Matris, non dominæ, ritu: civesque vocavit. Quos domuit: nexuque pio longinqua revinxit. Hujus pacificis debemus moribus omnes. Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes: Quod cuncti gens una ſumus.* [f] *Vivitur omnigenis in partibus haud ſecus: ac ſi Cives congenitos concludat mœnibus unis Urbs patria, atque omnes lare concilientur avito.* Hæc ſunt teſtimonia, quæ cum ipſis conſentiunt rerum experimentis. Hæc ſunt teſtimonia fortunati imperii Romani; & Romanæ virtutis. O mirificam virtutem, quæ & amat, & fovet hoſtes! [g] *Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum eſt, Pyrrho, & Hannibale ab altero, propter probitatem ejus, non alienos animos habemus. alterum propter crudelitatem ejus, ſemper hæc civitas oderit.* Semper oderit Roma Hannibalis crudelitatem. Sed virtutem Hannibalis amarit ſemper: [h] cui ſtatuaſque in medio oppido plures habuit. O mirificam fortunam orbis in tanta domini caritate, & cura! Gives voluit Roma omnes: [i] voluit de barbaris mites. Adnotabo tantum de Hiſpa-

[a] *Sen. Her. fu. 2.*
[b] *Pla. Gorg.*
[c] *Prop. 3. el. 21.*
[d] *Mag. 4. miſcel.*
[e] *Claud. 3. Stilic.*
[f] *Prud. 2. Symm.*
[g] *Cic. Lal.*
[h] *Jov. icon. & lib. 27. Herodia. 4. Pli. 34. c. 6.*
[i] *Str. 2.*

nia.

nia. [a] Populus ille barbarus, ac ferus: cui propiora feris, quam hominibus fuisse dicuntur ingenia: cui in tanta seculorum serie nullus dicitur dux magnus, præter unum illum a latrocinio (hæc virtus Hispana) Viriatum: ille populus legibus nostris ad cultiorem vitæ usum traductus est: & militia nostra jam instructus triumphatores nationum, imperatores orbis dedit, Balbos, Trajanos, Theodosios. Populos fortunatos nostros omnes: qui in imperio nostro non acceperunt solum, sed etiam dederunt imperatores, ipsi etiam Afri, & Syri, & Thraces, & Britanni ultimi. [b] Vicimus nos conjurationes vicinorum mortales, flammas Gallicas, Pyrrhi elephantos, opes Antiochi, Siphacis amentiam, Mithridatis pertinaciam, Hannibalis dolos, Punicam perfidiam, Ligurum difficultates, Samniticam rabiem, Etruscum robur, Campanam superbiam, Hispanorum rebelliones, Cimbrorum immanitatem, Macedonum minas, paludes Germanorum, æstuaria Britannorum, deserta Africæ, culta Asiæ. Omnia virtuti Romanæ pervia patuerunt, & dederunt victa manus. Sed sic victa sunt omnia, ut victa esse profuerit, ut sceptro hoc nostro regerentur. [c] Audi martyris ad Deum verba, *Qui sceptra Romæ in vertice rerum locasti, sanciens, mundum Quirinali togæ servire, & armis cedere: ut discrepantium gentium mores, & observantiam, linguasque, & ingenia, & sacra unis domares legibus.* Fortuna orbis, virtus urbis. [d] Non fortuna universale nobis imperium peperit, sed virtus, disciplina, apta ad tantam rem omnia: quod Polybius contra Græcos quosdam suos & dicit audenter, & docet potenter. [e] Bonus, qui rebus interfuit, miles: bonus, qui rebus præfuit, dux: bonus, qui summis imperatoribus adfuit, arbiter. [f] Hunc lege de republica nostra, lege de re militari: & cernes infra civitatem nostram omnia, veluti lenta viburna infra aerias cupressus. Sed hæc virtus nostra non inhumana, non superba erat: quæ benevolentiam omnem, & bonitatem diffundere liberalissime in omnes nollet. [g] *Armorum, legumque parens, quæ fundit in omnes Imperium primique dedit cunabula juris.* Hoc illud est jus civitatis nostræ, quod de floribus libatum Græciæ, refictum de arte Romana, exstincto imperio nostro durat adhuc, & in omnes penetrat orbis terrarum partes, etiam in eas, ad quas Romana arma non pertigerunt. Habes orbis desiderium, Picene: habes orbis delicium: qui destitutus fortuna

a *Justi. ult. Serv. 3. Geor. Cuja. de abig.*

b *Petr. ep ad Caro. 4. Prop. 2. el. 1. & 3. el. 10.*

c *Prud. Laur.*

d *Polyb. 1.*

e *Polyb. 3. 4. 12. Plut. apopth. reg.*

f *Polyb. l. 2. 3. 6.*

g *Claud. 3. Stilic.*

tuna illa beata imperii noſtri: retinet tamen mordicus, & rapit ſitiens Romanas leges: cum quibus & memoriam dulcem ſibi renovet veteris ſub imperio Romano felicitatis, & horum temporum triſtitiam parte aliqua admiſta temperet voluptatis. Illis artibus Roma crevit: iſtis artibus Roma ſtetit. Sile mihi, Picene, arcana tua; quibus illi utuntur, aut imbelles domini, aut impotentes tyranni: quorum nec leonina ſatis ubique pellis, & vulpina eſt longe propria. Iſta non decent Æneadas magnos. Heu, & ingentem Æneam, & magnanimum heroem defendemus? Etiam defendemus contra Picenum: quemadmodum & ſe defendit Æneas ipſe contra Picenos. [a] Scimus, hos pro Turno ſtetiſſe: iſte noſter Picenus, ecce, antiquum ſapit. Dardanium Æneam, Hetruria oriundum, dixeris peregrinum? Cognato auxilia tuliſſe Etruſco non pateris? *Hinc Dardanus ortus: genus a quo principe noſtrum. Dardanidæ duri, quæ vos a ſtirpe parentum Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem:* Dardanium Æneam ſane! nec Dardanum parricidam, ſi immo defendi ſæpius iſta cædes, etiam & laudari poteſt: adeoque nec damnata illico ſit, atque accuſata eſt. Audiſti de cæde Remi: explicant de aliis juriſconſulti. Laomedontium ſane, ſed heroem: & nec de ſanguine tamen ſatum Laomedontis, at cognatum tantum. Etiam ne fictitia placent Daretis fictitii ſcripta? etiamne Phriſingenſis, neſcis cujus, chartas ineptiſſimas laudas? Servius ubi exſplicat poſtea, quæ fuerit Æneæ necromantia: perge eodem commentario legere. Sciomantiam videbis innocentem Æneam autem proditorem? [b] Et Dionyſius non auditur, tantæ diligentiæ, tantæ fidei auctor Dionyſius ait, refugiſſe Æneam in arcem: illinc infirmiores, & thesauros miſiſſe: illum ibi reſtitiſſe Græcis diu, abiiſſe Græcis invitis incolumem. Hujus viri adventum in Italiam doles? [c] & neſciebas, Aborigines, genus hominum agreſte, ſine lege, ſolutum cum Trojanis ſic conveniſſe, & coaluiſſe, ut invidiæ fuerint vicinis mox, & incomparabilis imperii fortunatiſſimi jecerint fundamenta. Etiam minæ fortunatæ, de quibus tanto auguſtius Ilion conſurrexerit: iraſceris agreſtibus illis tamen: & perfugas indignaris receptos. Quid? & hoc igitur tibi jus eſt, undique exterminare, quos irreparabilis calamitas alicunde diſpulerit? Pium certe, humanum, & æquum hoc jus eſt tuum. Nam quanta illa fuerit menſura agri,

a *Serv. p. 8. p. Æneï. Meſſ. de orig. gen. Rom.*

b *Dionyſ. 1.*

c *Salluſt. Catil.*

agri; & qualis ager fuerit, qui tributus Trojanis fuit, pudet dicere. [a] Jugera duri, atque asperrimi agri septingenta. Sed & hæc felix paupertas. [b] Paupertas, & parsimonia, & honor his habitus extulere imperium nostrum, & urbem nostram rem pulcherrimam effecerunt. [c] Illic Poplicolæ, Curii, Fabritii, Scipiones, Scauri, Menenii Attilii, reliqui: qui divites honorum, pauperes opum aliarum vixerunt. Divitiæ, & luxuria, & honor his habitus imperium nostrum perdiderunt. [d] Otium, & divitiæ ingruentes miseriæ fuere: & ex justissimo, atque optimo imperium meorum crudele, intolerandumque reddiderunt. Sic tempora distingues cum auctoribus omnibus: & voluptates, & lascivitates desines Curibus objectare severis. Antonii desines objectare crudeles voces: reliqua temporum succedentium: quæ nec laudat quisquam: nec ipse defendere velim: in defensione ego moderatior tanto, qui nec jure utor concesso defendendi etiam nocentes, atque nefarios, quam tu, qui per damnatum omnibus immane nefas, tempora justissima variis, & injustissimis omnibus modis accusasti. Imperium accusasti præstantiorum: quibus per omnem justitiam, per universalem, ac sempiternam legem naturæ parere habent inferiores: [e] ut sic Philosophi generaliter docent: Dionysius in hac causa nostra respondet. [f] Justum Romanum imperium Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Thomæ, aliis sanctis patribus, & magnis doctoribus visum est. [g] Josephus, Polybius, alii & hoc dicunt, docentque, imperium factum virtute. Virtute retentum imperium est. Scilicet & servatur res eo modo, quo quæritur. [h] Armis justis quæsitum, legibus justis conservatum: ut de nostro sic imperio Gothus. [i] Tanta majorum nostrorum virtus, ut etiam vitia potuerit posterorum sustentare: quod inquit Seneca: & quod est virtutis signum plusquam humanæ: neque enim fulcrum ullum est, quod sustentare rem possit, quæ præcipiti ruina devolvatur. At illaudata tibi, laudata omnibus virtus majorum illas ipsas ruinas vitiorum consecutorum, & præcipites in ruinam posteriores, & perire festinantes sustentat. [k] Hi nostri majores, *bi tantum parient Latio per vulnera regnum, quod luxu, & multum mutata mente nepotes, non tamen everti∫∫e queant*. Sed eversum tandem est imperium: & cum reliquis omnibus mortalibus habuit finem suum. [l] Sed, quod prædictum tanto antea fuit a viris sapientibus, ecce pul-

a *Serv. 11. Æn.*
b *Liv. prim.*
c *Val. 4. c. 4. Liv. 46.*
d *Sallust. Catil. pr.*
e *Pla. 4. de legi. Dionys. 1.*
f *Cov. reg. peccatum. p. 2. §. 10. Vict. relect. Da. ad. Bell. 5. con. 3. c. 6.*
g *Josepb. 3. be. Polyb. 1.*
h *Jor. de re. ſu.*
i *Sene. de co. ad ma.*
k *Sil. 3.*
l *Sall. or. 2. ad Cæſ. Tac. 4. hiſt. Lact. de di. pro. c. 15. Plus. de for. Ro.*

sis Romanis: Romanos dico? & hos intelligo postumos, colluviem nationum, moribus exstinctis antiquis, deleta omni etiam imagine veteris populi? [a] *Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus.* Sed ecce hoc quoque nomine depulso, hac larva, umbraque per barbaros triumphata, ecce bella omnium, omnium inter se gentium, *vicinæ ruptis inter se legibus urbes Arma ferunt, sævit toto Mars impius orbe. Ut cum carceribus se se effudere quadrigæ. Addunt se in spatia, nec quisquam retinacula tendit: Fertur equis currus, nec quisquam regit habenas.* Et hic rides Picene, orbis ridet? &, discrepare gentes moribus, legibus, linguis, sacris, animis, etiam rides? Sed, si quid mihi orbis facies, & omnium mortalium ora significant, contra vicimus: & unitatem scissam animorum deplorant omnes: pietatem, liberalitatem, fidem, magnanimitatem, pacem, securitatem, æquanimitatem Romanam suspirant, & imperium Romanum: cui justo, æquo, bono subductos se lamentantur.

[a] Prop. 4. eleg. 1.

FINIS LIBRI SECUNDI.

575959

Digitized by Google

Digitized by Google